

H-β
12
6

H - 1 - 2

H-P
12
6

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,
JCTI ET PRAESIDIS,
QUAESTIONUM
JURIS PUBLICI
L I B R I D U O,
QUORUM PRIMUS EST
D E R E B U S B E L L I C I S ,
SECUNDUS
D E R E B U S V A R I I A R G U M E N T I .
TOMUS QUINTUS.
EDITIO SECUNDA.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM VAN KERCKHEM, 1751.
Cum Privilegio.

AMPLISSIMO GRAVISSIMOQUE

V I R O,

WILELMO VAN CITTERS,

JCTO, UR'BIS MIDDELBURGENSIS
SAEPIUS, ET CUM MAXIME CON-
SULI, CURATORI SOCIETATIS IN-
DIAE ORIENTALIS IN STATIONE
ZELANDICA, ETC. ETC. ETC.

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

 t Tibi , Vir Amplissime ,
 has *Juris Publici Quae-
 stiones* inscriberem , non
 una ratio me movit . Si cir-
 cumspiciendum esset no-
 men illustre , tuo quid illustrius ? nam
 Gentem tuam , ipsis natalibus illustrem ,

* 2 adeo

D E D I C A T I O.

adeo meritis ipse tuis ornasti, ut eorum
splendor usquequaque se exserat, sive
deliberandum sit de communi Foede-
rati Belgii bono, sive de proprio Zelan-
diae nostrae. Utriusque salus Tibi cor-
di & curae est, sed quia persona, quam
sustines, magis Te Zelandiae addicit,
ejus in primis salus Tibi suprema lex
est, atque adeo Te haec sollicitum ha-
bet, ut ab aliquot retro annis fere totum
occupaverit. Quare, si recte auguror,
Zelandia nostra, Te salvo, salva erit,
satis utique illa sibi consultum existimat,
si Te uti frui liceat in rebus arduis &
ambiguis, & nemo invidet, nisi qui
minor est. Singulari autem cura ita
Middelburgensibus tuis consulis, ut eo-
rum opes, publicae ac privatae, crescant,

mer-

D E D I C A T I O.

mercatura , aliquamdiu intermortua ,
reviviscat , & aedificia , collapsa olim
vel deserta , surgant altius & ornatius.
Horum sane haud ita pridem emptores
& conductores desiderabantur , nunc
desiderantur venditores & locatores.
Quicunque Te novit , simul novit , ita
Te agere rem publicam , ut optimus
quisque Paterfamilias solet agere rem
privatam , absque fôrdibus , absque
omni avaritia . Sed nolim in singulas
virtutes tuas excurrere , ne ipsa earum
copia obruar , & pudori tuo gravis sim.
Quod in iis admirantur , habent om-
nes , quod imitari possit , nemo . Animi
tamen tui moderationem & aequalita-
tem , quae in rebus agendis undique pel-
lucet , silentio non transmittam , quia

D E D I C A T I O.

haec in Zelandis rara virtus est. Si
Mattiaci apud Tacitum *de Moribus
Germanorum C. XXIX.* fuerint *Zelandi*,
ut nonnullis quidem videtur, scis, quid
de illis ibi dixerit Tacitus, esse nimirum
*similes Batavis, nisi quod ipso adhuc ter-
rae suae solo & caelo acrius animantur.*
Tu hac parte non Mattiacus, vel Mat-
tiaci non *Zelandi*. Majus igitur & dig-
nius nomen, quod huic Operi inscri-
berem, non succurrebat, non quod ex
ea inscriptione Fortunae meae blan-
diar, vel auctoritatem Operi conciliem,
cum nihil sit, quod ultra expetam, &
probe sciam, Opus ex ipso Opere stare
vel cadere oportere, sed quod velim
nomen meum publice profiteri inter
eos, qui virtutum tuarum majestatem
comiter observant. Si

D E D I C A T I O.

Si circumspiciendus esset amicus,
ecquem Tibi praeferam? nam ex quo
me amicitia tua dignatus es, tot & tanta
ejus argumenta voluisti existare, ut in-
gratus sim, nisi publico testimonio id
agnoscam. Amicitia nostra, patere,
ut dicam, per plurimos annos stetit, &
adhuc stat, integra & illibata, non tra-
latitia illa urbanitate, quae verborum
lenociniis absolvitur, & saepe fallit,
cum ad rem ipsam perventum est, sed
sine dolo, sine fraude & fuko. Animi
candidi & vere Zelandi est aperte age-
re, nec subdole latebras quaerere, qui-
bus abdatur amicitia, semel bona fide
contracta. Scio, qui Viri etiam egre-
gie cordati haberi volunt, & tamen his
latebris se totos involvunt, qui verbis de-
mul-

D E D I C A T I O.

mulcent amicos, sed, ubi ratio amicitiae reddenda est, solidae rei nihil quicquam praestant. Tu sollicite primum quaeris, an, qui amicitiam tuam ambient, satis Tibi videantur digni, &, si sint, & donec sint, eorum commodis promovendis prolixè studes, nec ab aliis, male feriatis, pateris Te avelli & transvorsum agi. Expertus loquor, neque enim cessasti mihi meisque ex animi sententia favere, ex quo in amicitiam me tuam recepisti. Ego vicem reddidi, sed exiguum, nam exiguum est, quod rebus tuis, tam alto loco collocatis, possum adferre.

Si circumspiciendus esset Judex competens earum rerum, quas his Libris ago, Tu certe de his ipsis etiam de plano

D E D I C A T I O.

no pronunciare potes. Ut Juris Romani prudentia proprium Scaevolarum patrimonium fuit, sic Juris Publici Scientia Gentis tuae hereditaria dos est. Loquor de ea scientia, quae non in umbratili professione, sed in rebus publice agendis consistit. Unde ex Gente tua prodierunt Consules, Legati, Ordinum Syndici, & qui non alii ad Rempublicam nati factique? Hanc gloriam, a Majoribus tuis acceptam, sedulo propagasti, omnibus undique conquisitis, & magno aere comparatis, quae Te ad Rempublicam administrandam reddere possunt doctiorem & meliorem. An quid igitur in his Libris praestiterim, quod in utilitatem Reipublicae redundare possit, tui in primis judicii erit,

Tom. V.

* *

fatis

D E D I C A T I O N

satis enim operae pretium me tulisse putabo , si Tibi , paucisque aliis , Tui similibus , placuerim . Sed ne videar Te in os laudare , qui non meus est mos , manum de tabula . Vale , Vir Amplissime , nec nisi serus in Caelum redi , publico & privato Tuorum bono . Hagae Batavorum pridie Calend . Maji
CIO CCC XXXVII.



A D

AD LECTOREM.

CUM quatuor abhinc annis ederem Observationum Juris Romani libros quatuor posteriores, significabam, me tunc satis dedisse Jurisprudentiae Romanae, & animum esse, si quid in posterum moliver, transire ab his, quae in solis fere JICTORUM Cathedris aguntur, ad ea, quae in Consistoriis Principium, vel Auditoriis Judicium tractari solent. Quare tunc fidem dedi, me, si quid vitae supereffet, id esse impensurum Juri Publico vel Patrio. Non quod consti-
tuissem edolare Commentarios Juris Publici vel Patrii, sic enim plurima essent dicenda, quae ab aliis jam dicta sunt prius, sed quod animus esset feligere & excutere illustres aliquot Quaestiones, quae & prodesse & delectare possent. Ex parte nunc fidem datam libero, exorsus a Jure Publico: ecce enim hic habes Quaestionum Juris Publici Libros duos, quorum alter est de Rebus bellicis, alter de Rebus variis argumenti. Et cum Jus Publicum bifariam accipiatur, vel de eo jure, quod, ratione magistra, inter Gentes obtinet, vel de eo, quod ad administrationem cuiusque Civitatis pertinet, hae Quaestiones utrumque complectuntur. Sic autem in his sum versatus, ut magis quotidiana me magis habuerint sollicitum, utque in definiendis controversiis rationi, sanae, inquam, rationi primas trahuerim. Addidi deinde Pacta Gentium, Ordinum nostrorum Edicta & Decreta, saepe & exempla, quae

AD LECTOREM.

hic & alibi Gentium exstant, quia Ius Publicum etiam exemplis se solet tueri, & de singulis modeste ivi in consilium.

Ut vero, quae hic ago, ad omnes ubique Civitates pertinere possunt, ita cum maxime pertinent ad Rem publicam Foederati Belgii, nulla enim quaestio est, quae non eo referatur, nulla, ad quam non attuli leges, ea de re lata per omnes aetates nostrae Reipublicae, ab ipsis ejus incunabulis ad nostra usque tempora. Singulis Quaestionibus sententiam meam adscripsi, idque liberum esse existimavi, in libera praesertim Republica. Prudens tamen eam omisi in his, quae ad meam aetatem proprius accodebant, ne me invidiae exponerem, neve cuiusquam, adbuc vivi, auctoritatem, si forte ab eo dissentirem, viderer oppugnare. Multo magis abstinui a sententia dicenda, si ea occurrerent, de quibus adbuc sub judice lis est, nolui enim, ne cui res sit praejudicio, sententia mea definire, quae nondum definita sunt. Ubi de Dominio eminenti, ubi de aliis ago, passim id observabis.

Quod ad causas praeteritas utique sentire, quae vallis, & quae sentias, dicere licet, eamque libertatem nemo cuiquam hominum negaverit. Scio non semper Ordinibus Foederati Belgii, vel etiam Ordinibus singularum Provinciarum, idem sedisse in Juris Publici prudentia, quod mibi sedet, & saepe me id esse professum, sed in his, quae ex sola ratione definitur, non semper aequum videtur Titio, quod videtur Maevio, suum
kig

A D L E C T O R E M.

hic cuique judicium est, cum cuique placeat sua ratio:
Quin nec ipsi Ordines semper una eademque sententia
usi sunt, nunc hoc, nunc aliud rursus placuit, & in
bis, quid sequendum videatur, libera cujusque est elec-
tio. Quamvis autem omnium Rerum publicarum inter-
esset, ne in causis Juris Publici aliud atque aliud pla-
ceret, atque haec varietas Principibus exteris bilem
moveret, nulla tamen adeo beata est, vel unquam fuit,
ut semper & ubique id obtineri possit. Ea sane Rei-
publicae nostrae ratio est, ut membra, ex quibus Or-
dinum Collegia constant, in tempus mutentur, & mu-
tatis membris ecquis mirabitur etiam sententias mutari?
Ipsae Curiae Supremae, quae vice sacra jus dicunt,
quanvis ex formula Jurisjurandi teneantur legibus, de-
una tamen eademque quaestione, quae meritis est, sae-
pe aliud atque aliud judicant, etiam membris nulla parte
mutatis, possunt enim, qui minus ante sapuerunt, resi-
piscere, potest prior sententia memoria excidisse in quaes-
tione, quae in utramque partem recte defenditur, potest
nunq; haec lex, nunc alia magis persuadere, possunt &
alia incidere, quae non commemoro.

Quin si vel Ordinum auctoritas in causis publicis sem-
per sibi constaret, sic tamen integrum esset ab ea dissentire,
non equidem in facto, quod ex ea auctoritate definiendum est, sic enim utimur jure constituto, sed ubi dun-
taxat quaeritur, ut fere hic quaerimus, quid, sola ra-
tione consulta, aequius melius sit? & quid constituere op-
timum esset, si de jure constituendo ageretur? Nulla ul-

A D L E C T O R E M.

lorum hominum auctoritas ibi valet, si ratio repugnet. Non Grotius, non Pufendorfius, non Interpretes, qui in utrumque commentati sunt, me convicerint, si non convicerit ratio, quae in Jure Gentium definiendo fere etramque paginam facit. Inde est, quod auctoritatibus eōacervandis fere abstinuerim, non difficulter alioquin earum mole potuisse implere & onerare hos Libros. Saepe quidem Grotio & Pufendorfio testimonium denunciavi, sed non alia ratione, quam quod illi in Jure publico principatum teneant, & aliorum omnium familiam ducent, silentio fere praeteritis minorum Gentium Interpretibus. Ab utriusque tamen sententia recessi, ubi ipsa ratio videbatur recedere. Hanc praecepue in consilium addibui, &, nisi illa vincat, nihil vicerit in omni Quaestione Juris publici.

Attamen non intercedo, quominus rationi possit accedere auctoritas, quae rationi pondus addat, sed hanc malim arcessere a perpetua consuetudine hoc illo modo pascendi inter Gentes, & ab exemplis, hic illuc frequen-tatis, quam a testimonio veteris alicujus Poëtae vel Rhetoris, qua Graeci, qua Latini: nae enim illi sunt pessimi Juris Publici Magistri. Ad ostendandam eruditio-nem haec magis pertinent, quam ad conciliandam auctoritatem Juri Publico. Plus me movet auctoritas eorum, qui, in media luce hominum versati, ad Rempublicam adhibentur, & ab exemplis, quae inciderunt, didicerunt sapere. Hi Pacta Gentium, ex usu Gentium, solent componere; non quod illorum auctoritati sine ratione af-

sur-

A D L E C T O R E M.

furgam, sed quod, ubi ratio suffragatur, illis plus tribuam, quam aliquot Poëtis vel Rhetoribus. Vetera exempla & vetera Gentium Pacta, quae apud Historicos, Graecos & Latinos, exstant, habent sane suum pretium, sed, ut mores Gentium mutantur, sic & mutatur. Jus Gentium. Ratio eidem semper est eadem, sed ubi haec ambigua est, ut saepe est in utramque partem, ex perpetuo fere usu Jus Gentium aestimandum est. Plurima olim Juris Gentium fuerunt, quae nunc non sunt, ut est in Ratihabitione Pactorum, etiamsi ex mandato Principis inita fuerit. Atque inde est, quod exempla, quod Pacta Gentium, quibus hic utor, maluerim deprotrahere ex recentiori, quam antiquiori memoria, quia enim, quae hic scribo, ad usum pertinere volui, major ratio erat habenda nostri, quam veteris aevi. Non omnia quidem omnium Gentium Pacta excussi, nam id nimiae diligentiae esset, sed ex his, quae hic attuli, satis intelliges, ecquid in argumentis, quae tracto, plerisque Populis Europaeis placuerit. Habis, qua mente acceſſerim ad Jus Publicum; recte, an secus, publici judicij erit.

Auctoritates, quibus usum sum, addidi, quia nolebam mibi sine sponsorē credi, addidi & loca, ubi exstabant, sed ea fere rejici ad calcem cujusque paginae, ne Lectorem morarentur. Quae ubique exstabant, & cuivis ad manum erant, indicare supervacuum duxi. Usus sum Aitzema's Historien, ejusque Herstelde Leeuw in 4^o. earumque Editionum Tomos & paginas allegavi. Libros vulgatos Edictorum & Decretorum, vulgo Het

Groot

A D L E C T O R E M.

Groot Placaat-Boek, simpliciter indicavi hoc signo Plac.
adjectique numeri significant Tomum, Librum, Tittu-
lum, Partem, & cujusque partis singularem Numerum.
Sed in omnibus Tomis, quin & in uno eodemque non sem-
per distinctiones sibi constant, aliquando partes, aliquan-
do partium numeri omittuntur, aliquando etiam Tituli.
In Tomo V. rursus nihil babes, quam Libros & Titulos,
omissis numeris, unde ad Paginas indicandas recurren-
dum fuit, ut & in Appendice Tomi II. ubi nulla alia
fere distinctio est. Sed qui hos Libros solent versare, sa-
tis intelligent, quid sibi velint numeri, singulis Tomis
adscripti, etiam si non intelligant, ut ipse non intelligo,
cur in adhibendis distinctionibus tantum variaverint
Editores. Magis quidem commodum fuisset cujusque
Tomi paginas adducere, sed si, resectis superfluis, &
his, quae bis tervetotidem verbis repetita sunt, ipsa quo-
que eorum Librorum editio repeteretur, inter paginas
utique utriusque Editionis non conveniret. Edicta Or-
dinum Hollandiae, Placaten van Holland, Amsterdami
edita anno 1645. sic indicavi Plac. Holl. De Senten-
tien van den Hoogen en Provincialen Rade, Rotter-
dami apud Naeranum 1662. appellavi Decisiones mix-
tas, hoc indicio, Decis. mixt. Het Repertorium van de
Placaten, berustende ter Griffie van den Hove van Hol-
land, sic exhibui Repert. Cur. Holl. &, ubi sermo erat
de Edictis Ordinum Generalium, Repert. Ordd. Gener.
De Papegaay of het Formulier-boek ita notavi Formul.
quod Formularium significat. De Hollandsche Consul-
tatione

A D L E C T O R E M.

tationen en Advisen *ita descripsi* Consil. Holl. vel Consil. H. en het Nederlandsch-Advis-boek *ita* Consil. Belg. vel Consil. B. *Reliqua scribendi compendia nemo est, qui non intellexerit.* Attuli aliquando *Edicta & Decreta Ordinum*, quin & alia nonnulla, quae Libris, nunc editis, nondum inserta sunt, & tunc provocandum fuit ad Acta Ordinum, vel ad Collectanea mea, in quibus exstabant. *Usus sum de Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit, in folio editis anno 1672. ejusque Editionis paginas reperies. Quod autem verba quaedam Edictorum vel Decretorum non expresserim Lingua Latina, sed propria & Belgarum vernacula, non alia se re causa factum puta, quam quod de sensu eorum non usquequaque constaret, quodque adeo maluerim ea Lectoris arbitrio relinquere, quam mea versione definire, ecquis eorum sensus esset. Tantum est, quod scire tua forte intererat. His itaque vale.*



CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAP.

I.	D	efinitio Belli , ejusque explicatio.	Pag. 1
II.	U	t bellum sit legitimum , inductionem belli non videri necessariam.	5
III.	D	e Statu belli inter Hostes.	17
IV.	E	cquando res hostium mobiles , & praesertim naves , fiant capientium?	25
V.	R	es mobiles , & praesertim naves , an & quoisque recuperatori cedant?	35
VI.	Q	uoisque extendatur immobilium possesso , bello quae sita?	44
VII.	H	ostium actiones & credita , quae apud nos inveniuntur , an exorto bello recte publicentur?	51
VIII.	A	n hostem liceat aggredi vel persequi in amici territorio vel portu?	58
IX.	D	e Statu belli inter non hostes.	67
X.	D	e his , quae ad amicorum nostrorum hostes non recte advehuntur.	75
XI.	O	bseffis Urbibus , Castris , Portibus an quicquam liceat advehere?	83
XII.	A	n licitum ob illicitum publicetur?	92
XIII.	D	e amicorum bonis , in hostium navibus	

CON

CONSPECTUS CAPITUM.

	bus repertis.	Pag. 98
XIV.	De hostium rebus , in amicorum na- vibus repertis.	104
XV.	An res , ab hostibus captae , in non hostis imperium delatae , postlimi- nio revertantur ?	109
XVI.	De Jure postliminii varia.	115
XVII.	De piratica , & an Barbari in Africa sint piratae ?	121
XVIII.	De Praedatoria Privata.	130
XIX.	Quousque exercitores navis praedato- riae teneantur de damno injuria da- to ?	139
XX.	Si navis , non ad praedandum emissā , praedam tamen ceperit , ad quem ea pertineat ?	146
XXI.	An res hostium liceat affsecurare ?	152
XXII.	An liceat militem conducere in amicæ Gentis Populo ?	158
XXIII.	An singulis Belgii Foederati Provinciis jus sit belli gerendi ?	163
XXIV.	De Repressaliis nonnulla , & an earum quoque jus sit penes singulas Pro- vincias ?	171
XXV.	Variae Quaestiunculae.	178
	*** 2	L I-

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI SECUNDI.

CAP.

- I. **C**omitum potestatem in Belgio Foederato non cessasse nisi post 26.
Jul. 1581. *Pag.* 187.
- II. Ex consilio non fraudulentio neminem Reipublicae obligari, nec etiam quenquam recte puniri, quod mandatum Principis sui exsequutus sit. 196
- III. Qui Recte Legatos mittant. 202
- IV. An singulae Provinciae Foederati Belgii Legatos possint mittere, vel accipere? 208
- V. Qui recte Legati mittantur. 217
- VI. Legati quid rerum olim egerint, & nunc agant, cum publice audiuntur. 222
- VII. An valeat, quod Legatus egit contra arcanum mandatum? 228
- VIII. An legatis donum munus accipere licet? & alia ejusdem argumenti. 235
- IX. Quaedam de praerogativa ordinis inter Legatos, & inter Principem minorrem

CONSPECTUS CAPITUM.

- rem praesentem, & majoris absen-
tis Legatum. Pag. 244
- X. De servanda fide pactorum publico-
rum, & an quae eorum tacitae ex-
ceptiones? 251
- XI. An peregrini ab administratione Rei-
publicae sint arcendi? 259
- XII. Imperium & Jurisdiction an possint man-
dari? 267
- XIII. An ob debitum Universitatis singula
membra conveniri & damnari pos-
sint? 275
- XIV. An liceat Urbes, earumque moenia
exstruere, reficere, extendere, mu-
nire sine consensu Principis? 283
- XV. De Dominio eminenti nonnulla, & de
refundendo pretio eorum, quae jure
ejus dominii occupantur. 290
- XVI. Ut solius Principis est crimina remittere,
sic ejus solius esse videri, criminum
impunitates publice promittere. 299
- XVII. Judices extra territorium suum non
recte exilium indicere, nisi ex pri-
vilegio Principis. 307
- XVIII. An jus Religionis, ut olim fuit, ita
nunc
*** 3

CONSPECTUS CAPITUM.

- nunc quoque sit penes singulas Pro-
vincias? Pag. 315
- XIX.** Optimo jure Ordines Hollandiae 13.
Mart. 1663. Ecclesiastis praescripsis-
se novam orandi formulam cum pro-
se, tum pro aliis Magistratibus. 325
- XX.** Interpretatio §. 4. Pacis Monasteriensis
30. Januar. 1648. 332
- XXI.** Quando & quorum navibus praestan-
da sit reverentia? & an damnum,
quod ob reverentiam non praestitam
accipitur, commune sit, ut in iactu? 339
- XXII.** Varia de tributis, vectigalibus & pu-
blicanis. 347
- XXIII.** An Ordines Generales recte sese im-
misceant controversiis singularum
Provinciarum? 357
- XXIV.** De modis conciliandi dissentientes
Provincias. 364
- XXV.** Variae Quaestiunculae. 372

PRI-

PRIVILEGIE.

De STATEN VAN HOLLAND en WESTVRIESLAND doen te weesten: Alzoo Ons te kennen is gegeven by Johannes van Kerckhem, Burger en Boekverkooper binnen de Stad Leyden, dat hy, van tyd tot tyd, gedrukt had, *Cornelii van Bynkershoek, Presidis Curie Suprema, Observationum Juris Romanorum, Libri Octo*; Nog, *Opuscula varii argumenti; En Opera Minora*, te zamen uyt-makende Vier Deelen in Quarto; En dat hy werkelijk bezig was te drukken Desels *Quæstiones Juris Publici*, mede in Quarto; En nademaal eenige baatzoe-kende menschen hen niet ontzien hadden, de voorgemelde Vier reets gedrukte Werken, tot syn Suppliants groote schade, buyten 's Lands na te drukken, en bedugt zynde, dat zy de onder de Pers zynde *Quæstiones Juris Publici* mede, by den uyikomst, zouden komen na te drukken, en in deze Landen in te voeren: zoo was het, dat hy Suppliant, zig keerde tot Ons, ootmoedelyk verzoekende, hem Suppliant, syne Erven of Regt verkrygende, te verleenen Octroy en Privilegie, om de voorsz. genoemde *Cornelii van Bynkershoek, Presidis Curie Suprema, Opera omnia*, binnen den tyd van Vyftien Jaren, hier te Landen, alleen te mogen drukken, 'tzy in het geheel, of ten deele, en zulx in zoodanige formaaten en taalen, als hy Suppliant zoude komen goed te vinden: wyders gedienslyk smeeckende, dat het Ons gelieven moge, expresselyk te verbieden het dissemineren en debiteeren van de reets voorsz. buyten 's Lands gedrukte of nog te drukken van den *President Corn. van Bynkershoek Opera*, in wartaalen en formaaten, het zy in het geheel, of ten deele, zulx zyli mogte, en dat wel met een boete van Drie duyzend guldens te statuëren tegen die gene, die eenige der voorsz. Werken, in het geheel of ten deele, in wat taalen of formaaten, hier te Lande, zouden komen te drukken, in te voeren, verruylen, of te verkoo-pen, midsgaders op het verbeuren van alle de ingebrachte, verkogte, en verruyld exemplaaren, ende dat zoo dikmaals, als ymmand deswegens zoude agterhaald worden: ZOO IS 'T, dat Wy de zaake en 't voorsz. verzoek overge-merkt hebbende, ende gencegen weesende ter bede van den Suppliant, uit Onse regte Wetenschap, Souveraine Magt ende Authoriteit, den zelven Suppliant geconsenteert, geaccoordeert, en geoctroyeert hebben, confenteren, ac-corderen en octroyeren hem by dezen, dat hy, geduyrende den tyd van Vyftien eerst agter eenvolgende Jaren, de voorsz. Werken van den voorn. *President van Bynkershoek*, in dier voegen, als zulx by den Suppliant is verzocht, en hier vooren uytgedrukt staat, binnen den voorsz. Onsen Lande, alleen zal mogen drukken, doen drukken, uygiven, ende verkoopen: verbiedende daaromme allen ende eenen yegelyken, dezelve Werken, in 't geheel ofte ten deele, te drukken, naa te drukken, te doen naa drukken, te verhandelen of te verkoo-pen, ofte elders naagedrukt, binnen den zelven Onsen Lande te brengen, uyt te geven, ofte te verhandelen en verkoopen, op verbeure van alle de naagedruktie, ingebrachte, verhandelde ofte verkogte Exemplaren, ende een Boete van Drie duyzend guldens, daar en boven, te verbeuren, te appliceren een Derde part voor den Officier, die de Calange doen zal, een Derde part voor den Atem der Plaafse, daar het casus voorvalleu zal, ende het resterende Derde part, voor den Suppliant, ende dit 't elkens zoo menigmaal als dezelve zullen werden agterhaalt; Alles in dien verstande, dat Wy den Suppliant met dezen Onzen Octroye alleen willende grauisceren tot verhoedinge van syne schade, door het

het naadrukken van de voortsz. Werken , daar door , in geenigen deele verstaars , den innehouden van dien te autoriseren , ofte te advoueren , ende veel min het zelve , onder Onse protectie , ende bescherminge , eenigh meerder credit , aanzien , ofte reputatie te geven : nemaar den Suppliant , in cas daar in yts onbehoorlykx zoude influeren , alle het zelven , tot fynen Lafta , zal gehouden welen te verantwoorden , tot dien cynde wel expresselyk begeerende , dat , byaldien hy desen Onsen Octroye voor dezelve Werken zal willen stelleu , daat van geene geabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie zal mogen maaken , nemaar gehouden wesen het zelve Octroy in 't geheel , en zonder eenige omissie , daat voor te drukken , ofte te doen drukken , en dat hy gehouden zal zyn een Exemplaar van de voortsz. Werken , op groot Papier , gebonden en wel geconditioneert te brennen in de Bibliotheecq van Onse Universiteyt te Leyden , binnen den tyd van Ses Weeken , naa dat hy Suppliant dezelve Werken zal hebben beginnen ut te geven , op een boete van Ses hondert Guldens , naa die expiratie der voortsz. Ses Weeken , by den Suppliant te verbeuren , ten behoeve van de Nederduytse Armen van de Plaats , alwaar den Suppliant woond ; En voorts , op pene , van , met 'er daad , versteeken te zyn van het effect van dezen Onsen Octroy ; Dat ook de Suppliant , schoon by het ingaan van dit Octroy , een Exemplaar geleveret hebbende aan de voortsz. Onse Bibliotheecq , by zoo verre hy , geduyrende den tyd van dit octroy , dezelve Werken zoude willen herdrukken , met eenige Observatiën , Noten , Vermeerderingen , Veranderingen , Correctien , of anders , hoe genaamt ; of ook in een ander formaat ; gehouden zal zyn , wederom een ander Exemplaar van dezelve Werken , geconditioneert als vooren , te brennen in de voortsz. Bibliotheecq , binnen dezelve tyd , en op de boete en pénaliteit , als voortsz. Ende ten eynde den Suppliant dezen Onsen Consente ende Octroye moge genieten , als naa behooren , Lasten Wy allen ende eenen yegeleyken , dien het aangaan mag , dat sy den Suppliant van den inhouden van dezen doen , laaten ende gedoogen rustelyk , vredelyk , ende volkomenlyk genieten ende gebruiken , cesserende alle belet ter contrarie : midts , dat de Suppliant gehouden zal wesen , van de verkryging van dit ons Octroy , aan de Boekverkoopers dezer Lande , ten spoedigste , door circulaire Brieven , of advertissement in de Couranten , kennisse te geven . Gegeeven in den Hage , onder Onsen Grooten Segelc , hier aan doen hangen , op den festienden Februarij , in 't Jaar Onses Heeren ende Saligmakers Duyzend Sevenhondert Seven en Dertig.

J: H: V: W A S S E N A E R vt

Ter Ordonnantie van de Statem

W I L L E M B U Y S.

Aan den Suppliant zyn , nevens dit
Octroy , ter hant geselts , by Ex-
tract authentiek , Haar Ed : Gr:
Mo: Resolutien van den 2 Juny
1715 , en 30 April 1728 , ten
eynde , om zig daer na te regu-
leren .

COR.



CORNELII VAN BYNKERSHOEK,
JURISCONSULTI ET PRAESIDIS,

QUAESTIONUM JURIS
PUBLICI

L I B E R P R I M U S.

D E R E B U S B E L L I C I S.

C A P U T I.

Definitio Belli, ejusque explicatio.



uum Cicero dixit *L. I. de Offic. C. 11.* esse
duo genera decertandi, alterum per dis-
ceptationem, alterum per vim, per ge-
nus posterius intellectus *Bellum*; non
quod bellum ita definire voluerit, ut
eum voluisse censem Grotius *de Jure B.*

& *P. L. I. C. 1. §. 2. n. 1.* nam imperfecta esset ea
definitio, non secus atque imperfecta est alia Alberici
Gentilis *L. I. de Jure Belli C. 2.* qui bellum esse ait, *Pu-*
blicorum armorum justam contentionem. Utramque defi-

Tom. V.

A

ni-

2 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nitionem , quamvis prima probetur Grotio , minus tam
men esse perfectam , intelliges ex ea , quam ipse addo ,
& omnes , nisi fallor , belli numeros implet . *Bellum est
eorum , qui suae potestatis sunt , juris sui persequendi
ergo , concertatio per vim vel dolum.* Videamus singula .

Ait definitio , *eorum , qui suae potestatis sunt.* Sive
nempe Gentium , sive singulorum hominum , ubi nulla
est Civitas : iidem quippe tunc utriusque sunt , neque ,
quod singulorum hominum est , recte dixeris privatum
bellum , quia privatum nihil est , nisi ratione publici ,
quod , ubi Civitas non est , nullum est . Hoc bellum
singulorum in Civitate cessat , & ideo si debitori meo ,
qui mihi decem debet , decem extorsero , incido in Le-
gem Julianam de vi privata , quia non solum vis est , si ho-
mines vulnerentur , sed & tunc , quoties quis id , quod
deberi sibi putat , non per judicem reposcit l. 7. ff. ad
L. Jul. de vi privata.

Ait definitio , *juris sui persequendi ergo.* Scilicet nos-
tri defendendi vel recuperandi causa , sola belli ratio est ,
sed cave existimes , belli finem esse . Gens , quae Gen-
ti injuriam intulit , & ipsa , & omne ejus imperium Genti ,
injuriam passae , in commissum videtur cadere . Is cer-
te belli finis est , si ita videatur Genti , injuriam passae ,
neque enim ubi haec recuperavit tantum , quantum alia
ademerat , bellum cessat , vel cessare debet . Ad Princi-
pem , contra quem bellum gerimus , universa Respubli-
ca pertinet , tam personae , quam res ; sicuti igitur debi-
torem nostrum & omnia ejus bona exigimus , ita & in
bello Principem & universam ejus Rempublicam . De-
bitorem quidem non ultra exigimus , quam nobis debe-
tur , sed in bello , dissoluto quodammodo generis huma-
ni foedere , ad hostem ejusque omnia subigenda accin-
gi-

gimur, occupando omne id jus, quod ipse Princeps in Rempublicam eam habuit, hoc est, omnium hominum rerumque, qui quaeve in ea Republica sunt, dominium; generalis nempe belli conditio est, ut ad mensuram noa geratur.

Dixi, *concertatio*. Quo verbo non duntaxat certandi actum significamus, sed & ipsum belli statum, re enim expressa facile qualitas sequitur. Sic JCti, cum servitatem definiunt, non solam actionem, qua liberi homines alterius imperio subjiciuntur, intelligunt, sed & ipsam conditionem & statum servitutis. Etiam Grotius id animadvertisit in definitione belli, quam ipse ex Cicerone suam fecit.

Dixi, *per vim*. Non per vim *justam*, omnis enim vis in bello justa est, si me audias, & ideo justa, cum liceat hostem opprimere, etiam inermem, cum liceat veneno, cum liceat percussore immisso, & igne factitio, quem tu habes, & ille forte non habet, denique cum liceat, ut uno verbo dicam, quomodo cunque libuerit. Scio Grotium de veneno contradicere *de Jure B. & P. L. III. C. 4. §. 15.* & inter percussorem distinguere ibidem §. 18. Scio Zoucheum, ut nihil fere solet ipse definire, animi quoque dubium haerere *de Jure Fecial. Part. II. Sect. 10. Q. 5. & 6.* Sed si rationem, Juris Gentium magistrum, sequamur, in hostes, qua hostes, omnia licet. Bellum alicui facimus, quia putamus, eum, per injuriam nobis illatum, sui suorumque perniciem meruisse, isque armorum nostrorum finis est, quem, qua forma adsequaris, quid resert? Ne judicem injustum dicas, qui ad mortem damnatum, licet vincitum & inermem, a carnifice gladiato jubet necari, nam si damnatum solvas armesque, jam erit fortitudinis fortunae-

4 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

que periculum, non injuriae factae punitio. Quin si putes, te vi sola uti posse, qua hostis tuus utitur, simul putabis, ejusdem juris esse eum, cuius tu es, & tamen ob injuriam, quam tibi fecit, eum debellare constitueristi. Hostis tuus apud te damnati loco est, & ita tu quoque apud hostem tuum, sed apud tertium, utriusque amicum, par utriusque causa est, & ambo estis justi.

Ne quidem *dolum* in definiendo bello excipere volui, cum nihil omnino inter sit, dolo, an virtute in hostem agas. Alii aliter sapiunt. Si auctoritates, si exempla in utramque partem desideres, magno numero figgeret Grotius de *Jure B. & P. L. III. C. 1. §. 6. & seqq.* Ego omnem dolum permitto, sola perfidia excepta, non quod contra hostem non quodlibet liceat, sed quod fide data, quotenus data est, hostis esse desinat. Et sane cum ratio belli omnem perdendi hostis modum probet, cur dolo faciendo se opponant tot auctoritates & exempla, non alia causa est, quam quod justitiam, de qua sola nos quaerimus, cum animi magnitudine, nonnunquam in bellis frequentari solita, pessime confundant tam Scriptores, quam ipsi belli Duces. Justitia in bello omnino necessaria est, animi vero magnitudo a mera voluntate proficiuntur. Illa hostem perdi sinit quocunque modo, haec quocunque sibi adrogat & fieri vult in propria causa, hosti concedit in sua, ac fere bellum geri desiderat, quemadmodum duella, olim in nonnullis Civitatis recepta. Justitia permittit plures habere milites, permittit & aliarum machinarum igniumque usum, quam habent hostes, animi magnitudo non permittit. Justitia omnem dolum, excepta, ut dixi, perfidia, admittit; animi magnitudo non admittit, forte ne tunc qui-

quidem, cum eo utatur hostis, dolo enim uti metuentis est, animus vero magnus nunquam metuit. Ad justitiam pertinet, quod Augustinus dixit *Quæst. X. in Josuam:* *Cum justum bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Vides, de *Jutia* sermonem esse. Ad animi magnitudinem refero, quod Consules Romani ad Regem Pyrrhum scribunt apud Gellium *L. III. C. 8. Nobis non placet pretio, aut praemio, aut dolis pugnare.* Saepe & aliae Gentes animi magnitudinem praetulerunt *justitiae*, saepe & hanc illi, quin ipsi quoque Romani nunc has, nunc illas partes sequuti sunt. Si ita, ut modo dicebam, concilie auctoritates & exempla, nihil erit pugnae in modo pugnae, modo memineris, justitiam exigi posse, animi magnitudinem non aequa.

C A P U T . I I .

*Ut bellum sit legitimum, indictionem belli non
videri necessariam.*

Qui de Jure publico commentati sunt, ut bellum sit legitimum, varia desiderant, interque ea, ut bellum publice denuncietur, aut Edicto in hanc rem proposito, aut Feciali misso. Atque ea sententia moribus Gentium, certe Europearum, recepta creditur. Sane, priusquam manu & ferro res agatur, petendum, quod nobis abest aut abesse querimur, sed an facta duntaxat petitione, eaque negata, citra indictionem vim inferre liceat, hoc est, de quo quaeritur? non licere existimat Albericus Gentilis *de Jure Belli. L. II. C. 1.*

6 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

publice enim renunciandum esse amicitiae, ne clam res agatur. Jure quidem Naturae nulla est indicendi belli necessitas, ut & Grotius consentit magni Operis *L. III. C. 3. §. 6. n. 1.* eo referens testimonia, quae sine inductione bella esse justa pronunciant, at vero Jure Gentium *interpellationem* desiderat, *qua constet, alio modo fieri nequire, ut nostrum aut nobis debitum consequamur*, ibidem *n. 2.* De publica denunciatione haec addens *d. C. 3. §. 11. ut certo constaret, non privato ausu, sed voluntate utriusque Populi, aut Populi Capitum geri bellum.* Et sic quoque, tanquam ex Jure Gentium, respondet Pufendorf *de Jure N. & G. L. VIII. C. 6. §. 9. & 15.* & Huber *de Jure Civitatis L. III. Sect. 4. C. 4. n. 27.* eadem usus ratione, qua utitur Grotius. Non desunt tamen, qui exceptiones quasdam addunt, ut ipse ille Gentilis *d. L. II. C. 2.* & Zoucheus *de Jure Facial. Part. II. Sect. 10. Q. 1.* Quin Joannes Nicolaus Hertius in *Adnot. ad Pufendorfium d. L. VIII. C. 6. §. 9.* non negat quidem, inductionem belli in mores Gentium transivisse, at putat, eos mores vim obligandi non habere, nec aliter habendos, qui eos negligunt, quam ne censeantur inter Gentes, quas *moratores* dicimus.

Christianus Thomasius, sani judicij homo, ad Huberum *de Jure Civitatis d. n. 27.* belli inductionem recte mihi videtur referre ad sola officia humanitatis, ad quae praestanda nemo unus cogi potest, & opportune rogat, quid intersit, & quid unquam interfuerit inter bellum indicatum vel non indicatum? hujus, an illius aliud unquam jus fuerit? Quare negat ad solum Jus Naturae pertinere, quod ex Dione Chrysostomo adducit Grotius *d. §. 6. n. 1.* pleraque bella sine denunciatione suscipiuntur, ita & ad Jus Gentium ipse refert, & mox superdicit;

Dig-

Digna est quaestio, ut peculiari Dissertatione latius explicetur.

Ego ei explicandae non peculiarem Dissertationem, sed hoc Caput destinavi. Puto autem, nullam esse rationem, quae inductionem belli exigit, atque adeo esse ex iis, quae recte praestantur, sed nullo jure petuntur. Potest bellum incipere ab inductione, at etiam potest a vi mutua. Id videntur significare Ordines Generales, cum 17. Januar. 1665. edixerunt (¹), naves nostras, ab Anglis captas, posse vindicare, quia captae erant ante inductionem belli, aut vim a Belgis illatam. Sed & potest bellum recte incipere a negata petitione, quid enim a vi distat negata petitio? Peti oportere, quod nobis debetur, ad summum concedo, sed non aequa, ut additis belli minis, aut ipsa inductione petatur. Quod Grotius de *interpellatione* dixit, ad solam petitionem referre posse, sed non potes, quod mox dixit de *publica denunciatione*. Illius tamen & aliorum praejudiciis, quamvis nulla ratione defendantur, res, alioquin liquida, obscurior esse coepit. Constare autem debebat, ubi judicia cef-sant, ut cessant inter Principes, quemque recte posse manus repetere rem suam, quam aliis ei nullo jure abstulit, & negat restituere. Quod si sit, inductionis belli non pendet nisi a voluntate ejus, qui indicit, aut est solemnitas quaedam, quae non nisi conventione, quae inter Gentes nulla est, introduci potuit.

Attamen majoris animi Principes Populique, ut vi manifesta honestius & gloriosius vincant, bella, nisi indicta, non facile gerunt. Repetenda hic est animi magnitudinis & justitiae distinctio, de qua dixi Capite pro-

(1) *Plac. III. 1. 7. 1.*

8 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

proximo; haec & sine indictione vim permittit, illa animosius expendit omnia, neque satis gloriosum existimat hostem inermem atque imparatum opprimere, & censet indignum, eos forte, qui fide pacis publicae ad nos advenere, illa, nulla ipsorum culpa, repente sublata, mox adgredi & spoliare. Unde Polybius *L. XIII.* C. 1. belli indicendi morem, quem peculiarem Achaei & Romani habebant, impense laudat, quemadmodum & laudat, quod in bello a dolo & infidiis abstinuerunt; sed utraque laus ad animi magnitudinem pertinet. De Achaeis addit Polybius *d. C. 1.* eos etiam locum pugnae solitos constituere, plane ut & antiquos quosdam Hollandiae Comites, bella gesturos, legimus, non duntaxat ea indixisse, sed & pugnae locum & tempus condixisse. Hanc condictonem utique necessariam non esse etiam Grotius consentit *L. III. de Jure B. & P. C. 3. §. 11.* & tamen indictionem ipse urget, atque si necessaria esset. Differentia rationem si quaeras, non habebis aliam, quam quod in Europa nunc locus & tempus pugnae constitui non soleant. Ex quo apparet, Grotium Libros suos *de Jure Belli ac Pacis* non tam scripsisse de Jure Gentium universo, quam potius de moribus, apud plerasque Gentes Europaeas receptis, qui tamen mores Jus Gentium non constituunt, ut ipse Grotius nos docet ejusdem Operis *L. II. C. 8. §. 1. n. 1. & 2.* Sed, ut in hoc argumento, ita & saepe alias ex solis moribus Jus Gentium efficit, & ideo, ubi mores discrepant, vix quicquam ausus est definire.

Ex eo autem, quod Polybius dixit, Achaeorum & Romanorum propriam laudem esse, bellum indicere, satis intelligimus, non tantum Jure Naturae, sed & moribus Gentium verissimum esse, quod exstat apud Dio-

Dionem Chrysostomum, bella indicta geri *ιπτι τον πλειστον, ut plurimum.* Sane, exceptis Achaeis & Romanis, apud ceteras Gentes non aequa frequentabatur *indictio*: neque enim alii Graeci adversus Graecos aut Barbaros bellum gesturi, aut hi adversus illos, bellum publice edicebant. Quin nec Judaeos, ex mandato Dei olim pugnantes, bellum holtibus suis indixisse legimus. Sed neque Macedones, qui tanta cum gloria Persarum Imperium deleverunt, ulla belli *indictione usi sunt.* Etiam hodie, quantum comperi, belli *indictione* non utuntur nisi Gentes Europoeae, neque omnes tamen, neque semper, utuntur autem ad exemplum Romanorum, non alias forte ob causam, quam quod ab his fere processerint. Tanta certe Romanorum dignatio fuit apud Populos Europeos, ut non tantum eorum leges, sed & mores receperint, quamvis eorum mores fuerint distincti a moribus reliquarum Gentium, ut est mos indicendi belli, de quo nunc agimus. Quare, si quis Princeps in Europa, ut superiori saeculo contra Germanos Gustavus Adolphus, sine *indictione* bellum gerat, contra vulgarem Europearum Gentium morem gerere credendus est, sed contra Jus Gentium gerere, eorum tantum est dicere, qui, quod domi suae fere servare vident, ubique locorum legem esse putant.

Sed excutiamus rationem, cuius tanta vis est in *Jure Gentium* definiendo. Haec autem, ut modo dicebam, non alias solemnitates desiderat, quam ut amice repetamus, quod nobis manu ademptum est; quin forte nec amica repetitio desiderabitur, quia vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt, nec scio, an ulla solemnitates, quibus vis repellatur, *Jus Gentium* noverit. Sed largiamur, inter bonos bene agier oportet.

10 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

re, & repetitionem desiderari, an, ea negata, vim mutuam fieri vetabis? ego non veto, sed vetat Grotius, vetant alii, nisi praecesserit indicatio. Rationes autem, quibus vulgo defendunt necessitatem indicandi belli, oppido sunt nullae. Quam dedit Gentilis, improbavit ipse Grotius *d. L. III. C. 3. §. 11.* ipse vero aliam dedit, quam supra repraesentavi, sed si non deteriorem, deterrimam certe. An, si inter Principes, absque praevia inductione, vi armata agatur, dubitabimus utriusque Principis voluntate bellum geri? si non dubitemus, cui bono indicatio? utique certo constat, quod publice agitur. Quare haec ratio ratio non est, & tamen ea defungi maluit Grotius, quam necessitatem inductionis palam arcessere ab eo, quod plures Europaei inductionem esse necessariam crederent, satis gnarus, inde *Jus Gentium* non effici. Ratio, ipsa, inquam, ratio, *Juris Gentium* est anima, &c, si de ea disputes, nihil omnino est, quod inductionem urgeat, sed plura, quae dixi, urgent, ne necessariam putemus.

Sed quidni quaedam addam de moribus Gentium, etiam Europaearum, si vel ex iis solis res esset definenda? Veteris quidem aevi exempla commemorare infinitum esset. Bellum illud internecinum, quod inter Hispanos & Belgas Foederatos a condita eorum Republica ad annum 1648. gestum est, coepit a vi mutua, absque ulla inductione. An, quod indicium non sit, dubitabis de jure ejus belli, de jure victoriae, de jure pacis, anno 1648. sequitae? ego non dubito. Sed aliud videtur sedisse Ordinibus Hollandiae, cum 4. Mart. 1600. edixerint, (2) dominis navium, quas in Hispania Philippus III. anno

(1) *Plac. II. 4. 2. 2. 1.*

LIBER I CAP. II

no 1598. publicaverat, daretur vindicatio, quod, cum antea Belgae libere in Hispaniam commeassent, nulla denunciatione praecedente, naves illae essent publicatae. Si me hujus Edicti patronum quaeras, non invenies: quis enim jure ab Hispaniarum Rege desideraverit, ut ipse bellum indiceret, utpote cui Belgae ab anno 1581. non destiterant bellum palam facere? nam a vi mutua recte incipit bellum, ne quid de aliis dicam, quae forte hic incidebant, & ob quae inductionem non esse necessariam JCti consentiunt apud Zoucheum *de Jure Focial.*

Part. II. Sect. 10. Q. 1.

Deinde Ordines Hollandiae ajunt in *Praefatione*, & in ipso *Edicto*, antea liberum fuisse Belgarum in Hispania commercium, ante annum nempe 1598. Sed id verum esse, neque potui animadvetere, neque, si sit, ad causae justitiam quicquam pertinet, quemadmodum mox dicam. Ut, si ita commeaverint & mercati sint Belgae, precario vel per Magistratum negligentiam potius commeaverint & mercati sint, quam jure belli. In *Praefatione* sane *Edicti*, quo 4. Apr. 1586. (3) Leycestranus Comes ex sententia Ordinum Generalium, eorumque Consiliariorum commercia Belgarum Foederatorum cum Hispanis vetuit, continetur, Hispaniarum Regem in Hispania & Lysitania naves Belgarum jam tunc publicasse. Et in §. 1. l. *Edicti* 1586. ut & in alio *Edicto* 18. Jul. 1586. (4) omne cum Hispanis commercium vetuit Leycestranus. Id quidem in §. 1. *Edicti* 4. Aug. 1586. restrinxit ad loca Belgii, quae tenebat Hispanus, permisso sic in ipsam Hispaniam commercio, sed

(3) *Plac. I. 2. 22. 1. 2.*

(4) *Ibidem I. 2. 22. 1. 4.*

12 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

sed non alia de causa, quam ad utilitatem mercantium Batavorum; quod jus belli non mutat, nec mutare potuit sine consensu Hispanorum.

Quin si indictio fuisset necessaria, Belgis ad evitandam navium publicationem nihil omnino profuisset. Quid enim si Hispanus eo anno 1598. solemniter bellum indixisset Belgis, & mox eorum naves publicasset? eodem forte die? jure belli hoc potuit: neque enim vel Belgae vel alii Principes, cum bellum subito exarsit, hostium suorum subditis solent denunciare, ut res suas, alioquin publicandas, avehant. Nemo id desideraverit, imo contra respondet Tryphoninus in l. 12. pr. ff. de Capt. & postlim. revers. Atque ita omnes Gentes observant, nisi expresse aliter pactum sit, ut aliquando pacisci solent. Ecce exempla aliquot ejusmodi Pactorum. In §. 4. Foederis Utrecht. cum Muyd. & Weesp. 1 Jul. 1463. placuit (5), pacem illam duraturam 14 dies, na dat wy Stad en Steden voorn. dat die een de andere opdoen schryven, intra quos 14 dies subditis earum Urbium liceret se suaque bona ex hostium potestate subducere. In §. 16. Pacis inter Regem Lysitan. & Ordd. Gener. 6. Aug. 1661. convenit (6), si lites inter Regem & Ordines orientur, id edicendum, atque ex eo intra biennium alterutrius subditorum bonis damnum inferre nefas esse. Quumque inter Regem Franciae & Ordines Generales anno 1662. convenisset, oriente bello, utriusque subditis in alterius Imperio intra 6 menses avehendi bona sua facultas esset, Rex Franciae, indicto Belgis bello anno 1672. conventionum il-

{ 5 } Handvæften van Weesp. p. m. 18.

{ 6 } Plac. II. Append. p. 2859.

illam anni 1662. Hollandis praestandam esse specialiter edixit 14 Apr. 1672. (7). Iudicem eidem juri avehendi sex menses praescripserunt §. 15. Pacis Neomagensis 10 Aug. 1678. (8) & novem §. 39. Pacti marini 10 Aug. 1678. (9) & rursus 9 menses §. 14. Pacis 20 Sept. 1697. (10) Iterumque 9 menses §. 36. Pacis 11 Apr. 1713. (11) Et in §. 32. Pacis inter Angl. & Ordd. Gener. 31. Jul. 1667. (12) placuit, si bellum inter eos exarisset, ne alterius subditorum bona, apud alterum inventa, publicarentur, sed ea intra sex menses liceret avehere. Si non exemplorum satis esset, possem & alia addere, & alia quoque habet Zentgravius *de Orig. verit. & Oblig. Jur. Gent. Art. VII.* §. 9. Ubi autem ejusmodi pacta de statu belli suspendendo non intercedunt, quicquid dicant alii, bellum statim inferri potest. Grotius, qui inductionem desiderat, post eam nullum aliud tempus requirit, quominus vis inferatur *L. III. de Jure B. & P. C. 3. §. 13.* & ita quoque sapit Zoucheus *de Jure Fec. Part. II. Sect. 3. Q. 10.* & Zentgravius *d. loc.* Quare Rex Hispaniarum eo anno 1598. potuisset & bellum indicere, & mox occupare naves Hollandorum, cum nullum, quod prohibeat, pactum intercesserit, nec intercedere potuerit inter Principem & eos, quos pro subditis suis habebat Princeps.

Habes exemplum illustris belli, sine ulla inductione quam longissime gesti. Nescio etiam, cur ab Hispanis in-

(7) *Hollandische Mercurius* 1672. p. 31.

(8) *Plac. III* 1. 13. 33.

(9) *Ibidem* II. 1. 13. 34.

(10) *Ibidem* IV. 1. 13. p. 315.

(11) *Ibidem* V. 13. p. 456.

(12) *Ibidem* III. 1. 13. 28.

14 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

indictionem exigere potuissent Belgae, utpote qui ipsi Hispanis neque ab initio, neque post inducias unquam bellum indixerint. Imo, si vel indictio Jure Gentium esset necessaria, Hispani forte objecissent, ei utique locum non esse nisi inter Principes, qui utrimque sui juris sunt, in bello civili nunquam fuisse frequentatam, in eo Principi rebellantium subditorum bona occupare nefas non esse. Sed hanc rationem non urgeo, sufficit aliunde constare, non jus belli, at solam mercantum utilitatem Hollandis expressisse id Edictum 4. Mart. 1600. Atque ea ipsa utilitas anno 1639. creditur Hollandos egisse transversos, & nullo jure commisissse cum Ordinibus Generalibus in alia causa, quae non minus ad jus belli pertinebat. Cum enim Canariarum Insularum Praefectum, dolo illectum, quidam hoc avexissent, & Ordinibus Generalibus magis placceret, Praefectum, optimo jure avectum, justae praedae esse, contradixerunt Hollandi, sed, ut ait Aitzema (13), ob solum mercaturae suae favorem. Egò vero putem, fatis fuisse causae, cur ob rem ipsam contradixerint Hollandi: erat enim hoc factum longe turpius, quam Philippi III. publicatio, anno 1598. facta, nam quamvis post inductionem bona hostium vulgo capiantur, & hostis in hostem statim recte agat, si pacta non obstent, utique amico amicum prodere non licet. Belgae ad Fortunatas Insulas accesserant amici, & ultra accesserant, sola mercaturae causa, ut liberum utrimque commercium eo usque erat exercitum. Navarcha Hollandus, sic ad mercaturam admissus, simulat, se Praefectum ab una Insula ad aliam esse transvecturum, & avehit Rotete-

terodamum, ut praedae esset. Quod perinde mihi videatur, ac si quis cum caduceo & sagminibus ad hostem accedat, mox, ubi occasio erit, eum occisurus.

Sed transeamus ad alia bella, sine inductione quoque gesta. De Gustavo Adolpho, Germaniam invadente, res nota est (14), & inde quoque notum, Ferdinando II. de omilla inductione quiranti; a Gustavo responsum esse, ipsum etiam Imperatorem, absque ulla belli denunciatione, antea Borussiam invasisse. Sic Principes, qui nullis Praetorum Edictis tenentur, saepe tamen utuntur Edicto, *quod quisque juris &c.* Accidit id etiam anno 1657. nam, cum media pace Franci Belgarum bona, penes se reperta, detinuissent, Belgae deinde & Francorum bona detinuerunt, de quo exstat Hollandiae Ordinum Edictum 26. Apr. 1657. (15) & Ordinum Generalium Decretum 6. Maj. 1657. (16) Ajunt quidem Ordines Generales *d. Decreto*, ex Jure Gentium manifestum esse, eam detentionem inter non hostes esse illicitam, nisi ex justa causa, petitaque ante & negata satisfactione. Sed nemo Princeps detinet, nisi ex causa, quam ipse justam putat. Sane quia injuria vix alter cognosci potest, praeviā quoque petitionem admisserim, sed ob vulgarem, qui nunc est, Legatorum usum de ea parum est laborandum, frequentissimae enim sunt Legatorum querelae, si vel minimum incidat, quod Principem suum possit offendere. Sed pergamus. Etiam Lysitanos eodem anno 1657. ante bellum & ullam vim Belgarum naves detinuisse legimus (17). Et in bello,

quod

(14) Ex Armis Suecicis, p. 54.

(15) Plac. II. 4. 28. 3. 1.

(16) Hollandsche Mercurius 1657. p. 42. & seqq.

(17) Ibidem 1657. p. 85.

16 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

quod inter Angliae Regem & Ordines Generales actum,
& anno 1667. pace mutua transactum est , plurima a se
fuisque , non indicto bello , capta esse conqueruntur
Ordines Generalis in Epistula, ad Angliae Regem scripta
16. Sept. 1666. (18) perperam , ajunt Ordines , quia in-
dictio non praecesserat , sed de eo judicabis ex iis , quae
hic dispiro. Ludovicus quoque XIV. anno 1667. Hispa-
nis bellum non indixit , & tamen , quasi salva pace , Re-
gem Hispaniarum constituerat exuere Ditionibus , quas
habebat , causatus , suum repetentibus belli inductione
non esse opus . At vero , si alias indicatio necessaria sit ,
quis , obsecro , hunc colorem ferat ? neque enim bellum
gerere quicquam aliud est , quam id , quod quis sibi de-
beri existimat , manu extorquere ab invito & renitente
Principe vel Populo . Ad haec prolixa est Ordinum Ge-
neralium querela in Edicto contra Francos 9. Mart.
1689. (19) eundem Franciae Regem , bello nondum indic-
to , anno 1688. Belgas , eorumque naves & merces de-
tinuisse , & mox belli inductione vix Parisiis publicata ,
arma esse illata & bona subditorum suorum direpta .
Prior pars querelae utique justa est , nam ea detentio ad-
versabatur §. 15. Pacis Neomagensis , & §. 39. Pacti ma-
rini 10. Aug. 1678. nondum enim elapsis mensibus ,
quos supra dixi fuisse praescriptos juri avehendi , quod ad
hoc suspensus erat status belli , atque ita injusta occupa-
tio eorum , quae intra praescriptum tempus ex hostium
potestate subduci poterant . Quod ad alia autem nullum
pactum intercesserat , & sic dubitem , an posterior pars
querelae aequa fuerit justa . Sed , quicquid ejus rei
sit ,

(18) Hollandische Mercatoris 1668. p. 170 - 172.

(19) Plac. IV. I. 6. 1.

sit, sufficit, exempla, quae attuli, satis probare, nihil causae esse, cur vel de moribus Europaeorum tam benigne sentiamus, atque si nempe ex his constaret de necessitate indicendi belli.

C A P U T III.

De Statu belli inter Hostes.

Diceres, belli conditionem magis oportere pellucere inter ipsos Principes, quorum plerumque sola res agitur, quam inter subditos, qui utique, si ipsorum causa non vertatur, animo tam hostili non client. Cum autem inter hostes hostiliter agi oporteat, nemo exspectasset, ut hostibus bene precemur, & salutem dicamus. Sane Populi Romani majestas, plena gravitatis, pelluxit in Cajo Popilio, qui, quamquam salutatus ab Antiocho Rege, tunc hoste, eum, nisi postea amicum, re-salutare noluit, ut est apud Plutarchum *Apophthegm. p. m. 364.* Idem de porrecta Antiochi, & negata Popilii dextra narrat Livius *L. XLV. C. 12.* & Polybius *Excerpt. Legat. C. XCII.* Consules tamen Romani, cum ita res Romanorum ferret, Pyrrho hosti *salutem dixerunt* in Epistula apud Gellium *L. III. C. 8.* Et adeo adulandi ferax fuit saeculum praeteritum, & est hoc nostrum, ut Principes neque adulacionis obliviscantur inter ipsa arma. Unde nunc hostes hostibus precantur omnia prospera, seque invicem vocant *amicos*, & hostium damno quasi indolent. Atque ita est in Epistulis Ordinum Generalium ad Angliae Regem 10. Jul. 16. Sept. & 26. Nov.

18 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

1666. (1) & rursus Angliae Regis ad Ordines Generales 4. Aug. & 4. Oct. 1666. (2) Quamvis autem Utrique tunc temporis in mutuam perniciem accingerentur, attamen inter Jus belli & officia amicitiae satis convenire scribunt Ordines in d. Epistula 10. Jul. 1666. Quin & Gallorum Rex, qui tunc quoque bellum gerebat contra Anglorum Regem, anno 1666. ad eum misit Legatum, qui conflagrationi Urbis Londinensis indoleret (3). Humanitatem, clementiam, pietatem, ceterasque animi magni virtutes in bello exercere glriosum est, sed oppido putidum, solis verbis ludere, quid enim nisi verbis ludis, cum indeoles conflagrationi Urbis, quam ipse cuperes incendere?

Quia in victum victori licent omnia, jus quoque vitae & necis penes victorem esse, nemo dubitaverit. Exstant de eo jure in veteri memoria tot ac tanta apud omnes peraeque Gentes testimonia & exempla, ut iis colligendis & describendis vel spissus Liber non sufficeret; & Scriptores Juris Publici in eo argumento jam industriam suam exercuerunt. Quamvis autem jus occidendi fere obsoleverit, id tamen soli viatoris voluntati ac clementiae tribuimus, neque adeo negamus, adhuc exerceri posse, si quis omnino jure suo uti velit. Reliquias ejus juris hic illic exstare, plena fide comperi: eo sane modo accipiendum & defendendum puto Ordinum Generalium Edictum 1 Oct. 1589. (4) quo hostes, qui cum Sanctae Gertrudis Montis proditoribus invenirentur, capitis poenas dare voluerunt,

&

(1) Sunt in *de Hollandsche Mercurius* 1666. p. 111. 112. 170--172. &
176--178.

(2) *Ibidem* 1666. p. 112. 113. & 172--174.

(3) *Ibidem* 1666. p. 154.

(4) *Plac. J.* 1. 17. 5.

& aliud eorundem Ordinum Edictum 24. Febr. 1696.
 (5) quo capitibus quoque poenam posuerunt hostibus, qui
 intra indicia, navigantibus constituta, ad littus acce-
 dent, aut in continentem descendunt, ibi rapinam acturi:
 neque enim si hostis cum commilitone suo, quamvis
 proditore, sit, Jure belli quicquam delinquit, ut nec
 delinquit, qui terram hostilem, in spem praedae, inva-
 dit. Arce eum, si potes, sin autem, cur alio loco ha-
 bebis, quam reliquos hostes: Ex eodem jure vitae & ne-
 cis defendo, quod Belgae quandoque Hispanos, quia
 non redimebantur, suspenderint, sic enim memoriae
 proditum est (6). Poenam laquei in captivos exercere
 licet, sed, si non liceret, ideo exercere, quia non re-
 dimuntur, nec rationem, nec ullam auctoritatem ha-
 bet, imo contra observatur, ut mox audies.

Juri occidendi hostes succedit jus servitutis, diutissi-
 me olim exercitum. Sed & in servitutem redigendi
 consuetudo moribus plerarumque Gentium nunc exole-
 vit. Scripsit quidem Cujacius *Comment. post. ad l. 5 ff.*
de Just. & jur. etiam inter Christianos adhuc captos fieri
 servos, servitutem duntaxat esse mitiorem, eamque
 sententiam non aliunde probat, quam ex jure redimen-
 di. Sed consuetudinem redimendi captivos, &, do-
 nec redimantur, detentionem, unde magis existimat
 servitutem esse, quam quaslibet alias detentions, qui-
 bus hodie adversus exterros debitores utimur ad conse-
 quendum, quod nobis debetur? neque enim illae deten-
 tiones remitti solent nisi soluta pecunia, aut praestita
 cautione, plane ut in causa captivorum. Quin & cap-
 tivi,

(5) *Plac. IV. 1. 7. p. 216.*

(6) *Apud Aitzema Histor. L. VI. p. 16.*

20 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tivi , si non redimantur , saepe & sine lytro dimissi . Atque ita Supremus Belgii militaris Senatus 14.Dec. 1602 . quatuor & viginti hostes , in obsidione Boscana captos , quia non redimebantur , dimittendi potestatem fecit , ne scilicet carceris miseriis perirent (7) . Valde autem fuisset inexspectatum , & moribus , qui nunc frequentantur , alienum , si Senatus jussisset illos captivos vel laqueo punire , vel etiam in servitutem distrahere . Unde , cum Gravio Solmensis , qui in Hybernia militabat , anno 1690. constituisset captivos in Americam in servitutem deportare , Dux Berwycensis ei denunciavit , hoc si fieret , se , quoscumque caperet hostes , ad remos in Franciam transmissurum (8) . Sed quia ipsa servitus inter Christianos fere exolevit , ea quoque non utimur in hostes captos . Possumus tamen , si ita placeat , imo utimur quandoque adversus eos , qui ea in nos utuntur . Quare & Belgae , quos Algerienses , Tunitanos , Tripolenses in Oceano aut mari Mediterraneo capiunt , solent in servitutem Hispanis vendere , nam ipsi Belgae fervos non habent , nisi in Asia , Africa & America . Quin & anno 1661. ipsi Ordines Generales Admiratio suo mandarunt , piratas captos in servitutem venderet (9) . Idemque observatum est anno 1664 (10) .

Servituti igitur successit vel captivorum , qui ejusdem gradus & conditionis sunt , permutatio , vel detentio , donec redimantur . Et redimendi necessitas nonnunquam pactis exprimi solet , certa , pro dignitate cuiusque personae , si capiatur , constituta pecunia ; quae si

(7) Van Dalen *Nostabile Krygs - besoignes* p. 145.(8) Sic est in de *Hollandseche Mercurius* 1690. p. 245.(9) Aitzema *Histor. L. XLII.* p. 238.(10) Idem *L. XLIV.* p. 278.

solvatur, cessat summum illud jus, quod alioquin victori in victos & captos competit. Captura autem, quamvis apud Romanos etiam exercita sit aduersus eos, qui tempore belli exoriuntis in alterius Imperio inveniebantur *l. 12. pr. ff. de Capt. & postlim. revers.* hodie, quamvis exerceri possit, raro tamen exercetur. Quin & ipse Franciae Rex Ludovicus XIV. quum 26. Januar. 1666. (11) Anglis bellum terra marique indixisset, omnique interdixisset commercio, & inde Angli, qui erant in Francia, sibi bonisque suis metuerent, 1. Febr. 1666. (12) rursus edixit, metum illum utique vanum esse, Edicto enim eo 26. Januar. 1666. duntaxat bellum indici Anglis, qui deinde in mari invenirentur, aut in Imperio Francico hostem agerent; non iis privatis, qui in Francia domicilium fixissent, placere tamen, Angli, qui in Francia habitabant, nec adepti erant jus subditorum (*ongenaturaliseert zynde*) intra tres menses abirent, quocunque videretur. Sed hoc soli humanitati tribendum esse, si non intercedant pacta, quae statum belli suspendunt, *Capite proximo* disputavi. Quia vero plerumque ejusmodi pacta intercedunt, rarius jus belli exercetur in eos, qui in pace ad alteros pervenerunt, & ibi deprehenduntur, si bellum subito exarserit. Ceterum elapsso tempore, quod abire volentibus vel humanitas dedit, vel pactis definitum est, jure belli recte capiuntur, qui ultra remanserunt, vel non impetrata venia advenerunt. Et secundum haec Ordines Generales edixerunt 4 Apr. 1674 (13). si qui hostes haererent in Belgio Foederato aut

(11) *Hollandsche Mercurius* 1666. p. 6. & 7.(12) *Ibidem* p. 7. & 8.(13) *Plac. III. 1. 2. 5.*

22 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

aut in Imperio Ordinum Generalium , non impetrata
accedendi venia , recte caperentur , nec , nisi redempti ,
redderentur.

Quamvis autem jus occidendi captivos obsoleverit ,
quaerunt tamen , an non , etiam sine levis notae macu-
la , eo jure uti liceat adversus eos , qui obstinatius se de-
fenderint ? & sunt qui putant . Turpissime , nisi & imbellem
forte virgunculam , si pudorem suum adversus robustum
stupratorum , unum pluresve , pertinacius defenderit , poe-
na dignam existimes . Licent in hostem omnia , sed si
ob fortitudinem , nihil crudelius . Quin & ipsi hostium
nostrorum fortitudine gaudemus , atque indignamur
ignaviae . Memini me legere , Algerienses Praedatores
ignavum quemdam Navarcham , qui navem suam prae-
validam , libertatem sibi soli pactus , ignavissime dedi-
cerat , non aliam ob causam miserrime , & per ludi-
brium excarnificasse . Scilicet apud hostes quoque glo-
riam fortitudo , ignavia contemptum ferunt . Si , quid
alii de hoc argumento scriperint , scire desideres , satis-
facient desiderio Gentilis de *Jure Belli L. II. C. 16.*
Grotius de *Jure B. & P. L. III. C. 4. §. 13.* & Zou-
cheus de *Jure Facial. Part. II. Sect. 10. Q. 9.*

Exposuimus , quid hostibus in hostes vivos liceat , sed
de cadaveribus hostium quid dicemus ? Olim quidem
feris & avibus projiciebantur , sed nunc vel victores
sepeliunt , vel victis ad sepulturam concedunt . Quin-
imo & plus datur humanitati . Ordines Generales 16.
Sept. 1666. (14) cadaver vicarii Architalasse Angli ,
quod in eorum potestate erat , medicatum in Angliam
mi-

(14) Hollandsche Mercurius 1666. p. 70.

miserunt, quum ipsi antea, nempe 10. Jul. 1666. (15) ab Rege Anglia exquisivissent, id in Angliam transmitti, an in Hollandia sepeliri vellet, isque illud praecoptasset 4. Aug. 1666. (16) Simile quid & Franci facitarunt anno 1692. (17)

Ex natura belli commercia inter hostes cessare non est dubitandum. Et quid valebunt commercia, si, ut constat, bona hostium, quae apud nos inveniuntur, vel ad nos adferuntur, Fisco cedant? & an quis, quamdiu jus occidendi hostis obtinuit, cum mercibus ad hostem accesserit, & inter commercia hostis eum trucidaverit? id dices recte factum? sed omnino cessant commercia: unde & in belli inductionibus plerumque mutuis commerciis interdicitur, saepe & Edictis, postea fecutis. Ex §. 11. Edicti Comitis Leycestrani de interdicto cum Hispanis commercio 4. Apr. 1586. (18) subdit, contra illam legem cum hoste commercia exercentes, patibulo & navibus rebusque, quibus ad hostem commeabant, puniuntur, exteri vero tantum navium merciumque publicatione. Idemque juris est ex §. 12. Edicti ejusdem Comitis 4. Aug. 1586. (19) Quin ex §. 13. d. Edicti 4. Apr. & ex §. 14. d. Edicti 4. Aug. consilium quoque commercia cum hoste exercendi perinde punitur, atque ipsum factum, & ita etiam Hollandiae Ordines antea edixerant 27. Jul. 1584. (20). Insuper additum omnibus his Edictis, ut accusatio eorum, qui contra

(15) *Hollandseche Mercurius* 1666. p. III. & 112.

(16) *Ibidem* 1666. p. 112. & 113.

(17) *Ibidem* 1671. p. 189.

(18) *Plac. I. 2. 22. 1. num. 2.*

(19) *Eodem loco num. 4.*

(20) *Ibidem* num. 5.

24 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tra ea cum hoste commercia exercuissent, esset aeterna; sive in ipso facto deprehensi fuissent, sive non fuissent. Et ex d. Hollandiae Edicto 27. Jul. 1584. pecuniariae, ei delicto statutae poenae, persecutio porrigitur quoque adversus eorum, qui deliquerunt, heredes. Quod non putem esse ex Jure Romano: nam iis Edictis, si verum amamus, non agitur de crimen, quod in laesam Majestatem incidit, sed de extraordinario quodam, quod non tam ex perduelli animo, quam cupiditate lucri profiscitur.

Quamvis autem nulla specialis sit commerciorum prohibitio, ipso tamen jure belli commercia esse vetita, ipsae inductiones bellorum satis declarant, quisque enim subditus jubetur alterius Principis subditos, eorumque bona aggredi, occupare, & quomodocumque iis nocere. Utilitas vero mercantium, & quod alter populus alterius rebus indigeat, fere jus belli, quod ad commercia, subedit. Hinc in quoque bello aliter atque aliter commercia permittuntur vetanturque, prout e re sua subditorumque suorum esse censent Principes. Mercator Populus studet commerciis frequentandis, & prout quisque alterius mercibus magis minusve carere potest, eo jus belli accommodat. Sic aliquando generaliter permittuntur mutua commercia, aliquando quod ad certas merces, reliquis prohibitis, aliquando simpliciter & generaliter vetantur. Utcunque autem permittas, sive generaliter, sive specialiter, semper, si me audias, quod ad haec statutus belli suspenditur. Pro parte sic bellum, pro parte pax erit inter subditos utriusque Principis. Licitu utrimque halecaria piscatio ex Edictis Francorum & Belgarum anni 1536. (21) &

(21) Repertorium Cur. Holl. p. 23. A.

& olim ex Edicto 22. Dec. 1552. (22) non vetita commercia, sed sub quibusdam cautionibus permissa. His adde, quae acta sunt toto Bello Hispanico, & Lysitanico & Anglico annis 1653. 1665. & 1672. atque etiam Francico annis 1672. 1689. & 1702. nam omnia commemorare longum esset.

Hostium nomine an & amici nostri intelligantur, qui vieti apud hostes sunt, urbe eorum forte occupata, dubitari posset? non putat Petrinus Bellus de *Re militari Parte II. Tit. II. n. 5.* & nihil definit Zoucheus de *Jure Focial. Part. II. Sect. 8. Q. 4.* Ego putarem, etiam eos intelligendos esse, certe quod ad bona, quae sub hostium Imperio habent, atque adeo ea bona jure belli probe recte a nobis occupari, si hostes antea ab amicis occupaverint. Quaecunque hostium sunt, recte capimus, ea autem bona pars sunt Imperii hostilis, quaeque ita hosti prodesse, nobis nocere possunt. Si vero bona amicorum in nostro Imperio sint, licet ipsi, jure belli vieti, apud hostes sint, aliud dicerem, quia verum est, neque hostium esse ea bona, neque hostibus utilitatem praestare posse. Hostibus quomodo cunque nocere belli ratio flagitat, quidni igitur iis eripiamus bona, quae ipsi jure belli accupaverant, & quibus in rem suam utuntur? Scio, qua ratione contradicant alii, amicos nempe nostros, quamvis apud hostes sint, hostili in nos animo non esse, nam, quominus ibi sint, eorum liberi arbitrii non esse, & ex solo animo rem aestimandam. Sed res non pendet ex solo animo, quia neque omnes reliqui hostis nostri subditi, utique paucissimi, in nos feruntur hostili animo, at res pendet ex jure, quo illa bona apud hostes sunt,

(22) *Repertorium Cur. Holl. p. 71. B. & 72. A. & B.*
Tom. V.

26 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

funt , & ex utilitate , quam illis praebent in necem
nostram.

C A P U T I V.

*Ecquando res hostium mobiles, & praesertim
naves , fiant capientium ?*

De Personis hostium supra diximus , nunc dicamus de eorum bonis & actionibus . Bona autem cum sint mobilia , vel immobilia , constat , utraque jure belli recte occupari . Quibus occupata cedant , & an praeda privatis cedat , si absque auctoritate publica praedatum iverint , nunc non disputo , quaedam de eo arguento dicturus C. XX . Quaero potius , nam quotidiana , nec minus digna quaestio est , ex quo tempore dominium mutet occupatio : inter res mobiles , de quibus nunc agimus , nihil quicquam distinguo , five homo sit captus , five capta navis , five merx , five supellex , five aliud quid , quod in praedam cadere possit . Jure Romano , ut recte observat Grotius de Jure B. & P. L. III. C. 6. §. 3. n. 1. tunc capta capientium fieri dicuntur , ubi intra praesidia fuerint perducta ; cuius juris non alia ratio est , quam quod tunc omnis rei persequendae & recuperandae spes decollaverit . Cui , inquit Grotius d. loc. n. 2. consequens esse videtur , ut in mari naves & res aliae captae censeantur tum demum , cum in navalia aut portus , aut ad eum locum , ubi tota Classis se tenet , perducta sunt : nam tunc desperari incipit recuperatio . Sed , addit , recentiori Jure Gentium inter Europaeos Populos introductum videmus , ut talia capta censeantur , ubi per horas vigin-

et quatuor in potestate hostium fuerint. Quod in *Notis* etiam ad ea transfert, quae terra capiuntur. Grotium bona fide descripsit Zoucheus de *Jure Facial. Part. II. Sect. 8. Q. 1.* & Loccenius de *Jure Marit. L. II. C. 4. n. 4.* Quod Grotius ait de XXIV. horis, nunc servari apud omnes Populos citra ullam distinctionem, an capta navis in portum a victore fuerit perducta, nec ne, olim quoque respondit, qui apud Admiralitatem Amsterdamensem Fisci causam egit (¹), & sic etiam alii sapientiunt (²).

Sed ego illud usu servari nunquam potui animadvertere. Reperi quidem, Judices militares ita judicasse 24. Dec. 1624. (³) & eosdem etiam alias ita censuisse (⁴), verum quis audiat homines, juris plerumque imperitissimos, nulla plane auctoritate usos, & forte solius Grotii auctoritate seductos? in ipso Belgio Foederato Leges moresque repugnare, abunde persuadebunt, quae *hoc & sequenti Capite* proxime dicentur. Scio, Ordinum Generalium apud Anglos Legatum anno 1631. desiderasse (⁵), ut Ordines eam Jurisprudentiam, quae XXIV. horas justae occupationi praescribit, sua auctoritate probare vellent, sed probatam non invenio. Omni etiam ratione destituitur, si enim ex ea rem aestimes, sola mutati dominii ratio in vera occupatione consistit; vera autem occupatio est, quam tuta retentio excipit, cui quid faciunt horae XXIV. quum & ultra eas res possit esse non vere occupata, atque etiam citra eas occupata verrissi-

(1) *Consil. Belg. T. II. Consil. 65. p. 161.*

(2) *Consil. Holl. T. II. Consil. 151. V. mits.*

(3) Apud van Dalen Notabile *Krijgsbesoignes* p. 158.

(4) Apud Eundem p. 48.

(5) Sic refert Aitzema *L. XI. p. 461.*

28 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rissime? Sane ob factorum differentiam generale quid; quod certum sit, ea de re constitui non poterit, sed singula facta consideranda sunt, & de singulis hoc habendum, aliter rem hostis factam non videri, nisi ita facta sit, ut eam retinere & defendere posit. *In bello capta ejus fiunt, qui primus eorum possessionem nacltus est l. 1.* §. 1. ff. de *Acquir. vel amitt. possess. & non videtur possessionem adeptus is, qui ita nacltus est, ut eam retinere non possit l. 22. ff. Eod.* Haec vera JCtorum philosophia est, ab ipso Jure Gentium dictata. Quando autem ita adepti videamus possessionem, ut retinere, vel non retinere possumus, causarum, ut dixi, varietas definire non permittit. Tunc tamen retinere videmur posse, ubi rem hostilem, ut Jus Romanum loquitur, *intra praesidia deduximus, praesidiorum autem nomine & Castra, & Portus, & Urbes, & Clasles intelligimus,* eorum enim omnium eadem causa est in tuta defensione rei occupatae.

Sed quid sufficient XXIV. horae, cum ne quidem, mutando dominio, sufficiat, rem hostilem intra praesidia esse deductam? si nempe credas, quae aliis male fana ratio suggessit, etiam ius, quorum alioquin auctorati ad surgere jus fasque est. Existimant autem, naves captas non aliter hostium fieri, quam si & in portum hostilem deductae sint, & ibi publicatae, & inde postea liberae enavigarint in portum non hostilem. De mercibus & aliis praedis, quarum tamen eadem ratio est, idem dicendum esset, sed dicere, credo, pnduit. Audi, quid de navibus captis Ordines Generales decreverint 27. Nov. 1666. (6) dat Schepen, by den vyand genomen, en

(6) Consil. Belg. I. II. Consil. 61.

en in Engeland en de Ryken, daar onder horende, opgebragt, en aldaar geconfisqueert, en by Neutralen getogt, dog in 't uytkommen van de vyandelyke havenen in ipso actu, of vervolg van 's Lands Schepen verovert, eer zy in haar eigen of andere vrye havens geweest zyn, als nu en in 't toekomende zullen verklaard werden voor goeden prinse, gelyk van ouds altyd gebruykelyk is geweest, en zoo als ook het dispositif op 't vierde point van de Casus positie van 26. Juny 1630. onder anderen mutatis mutandis diëteert. Ipsa verba exhibui, ne puttes, me incredibilia narrare. Miraberis autem, ego certe miror, quid ad rem faciat, utrum naves in proprium emtoris, vel in amicum portum pervenerint, nec ne. Ille portus proprius vel amicus, modo nescio quo, dabit nescio cui, nescio quid. Dominium dare non potuit hosti, qui jam occupaverat & vendiderat, neque emptori, qui ita rem nostram emisset a non domino, eamque rem nobis eriperet portus quidam proprius vel amicus. Fingendum potius erat, navim, hostis factam, hostilem esse, & hostilem manere, donec eo viatio purgetur, & non purgari, nisi proprium emptoris vel amici portum subierit, ideoque antea recte capi. Sed id quoque fingere non licet, cum ex emptione res ad emptorem pertineat, nec quicquam intersit, an vendoris fuerit ab initio, an ex occupatione & publicatione.

Animadverte autem, quam male provocetur ad antiquam consuetudinem, & aliud Ordinum Generalium Decretum 26. Jun. 1630. (7), quod illi consuetudini causam praebuisset. Factum est id Decretum ad Con-

(7) Append. Consil. Holl. Amsterd. p. 57.

30 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

sultationem Admiralitatis Amsterdammensis, quae varia habebat capita, & ad quartum sic respondent Ordines: *Op 't vierde point verklaren haar Hoog Mogen-de de Schepen, by den Vyand genomen, in Vlaanderen ingebragt, en by Neutralen gekogt, maar in 't uy-ko-men van de Vyandelyke havenen in ipso actu of vervolg van 's Lands Schepen verovert, eer zy in haar eigen of andere vrye havens geweest zyn, voor goeden prinse, gelyk van ouds altoos is gebruykelyk geweest, in kragte van het regt, hier vorens op het eerste point geallegeert; als ook zodanigen, welke zoo genomen en gekogt, en uyt de voorschrevene Vlaamsche Havenen geloopen, in andere Havenen onder den Coning van Spanjen gearri-veert, van daar komende op Zee van 's Lands Schepen verovert werden.* Esse id Decretum valde alienum ab hac causa, ex ipsa Consultatione appareat, quin & ipsi Ordines, provocantes ad Caput primum Decreti, sat-*tis ibi significant, quae ejus condendi fuerit ratio. Scilicet commercii intercludendi ergo Ordines Generales portus Flandriae navibus bellicis obfederant, adeoque omnes quorumcunque naves, eo destinatas, indeque exeuntes, publicabant, quemadmodum ex ratione & Gentium usu Urbibus obfessis nihil quicquam licet advehere, vel ex his evehere. Atque inde dicebat Admi-*

ralitas, ut & Ordines decreverunt, idem quoque juris esse in navibus, quae antea nobis eruptae & deinde venditae erant, cum, obfessis portubus, etiam amicorum naves liceat intercipere. Quod ita verum est, si capiantur itinere nondum absoluto, dum navarchae versantur in re illicita, absolutum autem iter non intelligi, nisi hae naves proprium emptoris vel amicum portum subierint. Id vero, neque aliud Ordines Generales complexi .

plexi sunt illo Decreto 26. Jun. 1630. ex quo ad eam, de qua nunc dispuo, quaestionem recte argumentaberis, si & anno 1666. Angliam, Scotiam, Hiberniam, & omnia illa, quae in Asia, Africa & America habebant Angli, Classibus suis obsessa habuerint Ordines Generales. Relatum quidem est, eosdem Ordines anno 1652. quod ad Anglos, tale quid jactitasse, omnibus sic interdicto cum Anglis commercio, (8) sed quo jure jactitarint, nunc non quaero, contentus monere, eosdem Ordines anno 1663. Hispanis, cum hi Lysitaniam obsessam habere vellent, id ipsum negasse, quod contra Anglos antea sibi arrogaverant, sic enim proditum est in Annalibus (9).

Ex his appareat, defendi non posse d. Decretum Ordinum Generalium 27. Nov. 1666. Et sane, si ejus rationem sequi placeat, mox praesto erunt immania monstrorum portenta, nam, ut inquit ille,

— — — *Si prava est regula prima,
Omnia mendose fieri atque obſtipa necesse est.*

Manifestum enim inde, omnia hostium bona eodem loco esse habenda, quum quicquid hostes ex occupatione habent, non minus eorum esse constet, quam quod habent ex hereditate, emptione vel alio quocunque titulo. Idem igitur dicendum erit non tantum, ut supra indicabam, & de mercibus, & de aliis rebus, quas nobis eripuerunt hostes, sed etiam de navibus, & ceteris omnibus, quae aliunde, quam a nobis habent, & amici nostri

(8) Aitzema L. XXXII. p. 774-777.

(9) Apud cundem L. XLIII. p. 858.

52 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nostrī apud eos compararunt. Quod si admittas, admittis quoque, Principibūs jus fas esse, hostibus suis tanquam aqua & igni interdicere, simulque iis tribuis potestatem vetandi cuiuscumque commercii, quod tamen hactenus dūntaxat est exercitum in iis, quae *Contrabanda* dici obtinuit: sic enim, quaecunque ab hostibus comparabunt amici, in commissum cadent, nisi in portum liberum fuerint perducta.

Sed ex iis, quae contra rationem in una specie constituantur, grave est regulam generalem condere, cuique tamen Principi inde injuriae facienda praebabitur occasio. Eam utique, nec aliam rationem habet Edictum Ludovici XIV. Francorum Regis, quo 17. Sept. 1672. omnes naves, etiam ab amicis suis in Belgio Fœderato emptas, & inde primum exeuntes, capi & publicari jussit, quemadmodum & die sequenti publicata est navis quaedam, quam Hamburgenses, in Hollandia aedificatam &emptam, & Hamburgensibus epibatis instructam, ex Hollandia Hamburgum ducebant, quaque in eo itinere a Francis capta erat. Ad quod Edictum Regis Franciae Ordines Generales, ne minus injuriosi viderentur, etiam adversus amicos suos (nam in amicorum caput cuditur haec faba) in hunc modum edixerunt (¹⁰): *dat alle Schepen, in plaatzen onder den Coning van Vrankryk by Neutraalen ingekogt, zoo zy, schoon met neutraal bootsvolk bemant, de eerstemaal uyt wyandelyke Havenen varende, en nog in geen neutrale, waar na toe zy gedestineert waren, geweest, in handen der Commissie-vaarders vervielen, goede prinsen zouden wesen.* Diceres id Edictum jure retorsionis subsistere, sed retorsio non est nisi adversus

(10) *Plac. III. 1. 7. 8.*

fus eum, qui ipse damni quid dedit, ac deinde patitur, non vero adversus communem amicum. Quare nec illud Edictum Ordinum Generalium 29. Nov. 1666. inde defendi poterit, quod Angli antea & ulterius & adhuc injustius fuerint progressi, cum nempe eorum Legatus 23. Dec. 1664. Hanseaticis Civitatibus, & Anglorum & Ordinum Generalium tunc amicis, denunciaverit, quascunque naves, sine distinctione itineris, in Ordinum Generalium Imperio comparassent, ut amicas se non esse habituros; ut haec retulit Aitzema (11). Qui injuriam non fecit, non recte patitur.

Ceterum ex iis Decretis Ordinum Generalium 1630. & 1666. id tamen constare existimares, ea, quae ab hostibus nostris amici nostri compararunt, iis eripi non posse, si semel in portum amicum fuerint deducta, cum ajunt, recte publicari, *eer zy in bare eigen of andere vrye Hævens geweest zyn*, sed ne id quidem sati constat. Consuluerat (12) quidem Admiralitas Amsterdammensis etiam ea de re Ordines Generales, at nihil definitum est, simpliciter quippe Ordines resconderunt per epistulam 26. Jun. 1630. (13). *Of Schepen, op de Ingestetenen deser Landen by den vyand genomen, in Vlaanderen opgebragt en geconfisqueert, en sonder gedepreben-deert te zyn, in Engelandt, Vrankryk of elders gebragt, en van daar op andere vrye reisen by Schepen deser Landen genomen, ook van goeden prinse behoorden verklaart te werden, zullen wy als nog een korten tyd in bedenken bouden, begerende, dat UL. ondertusschen ons latent toe-*
ko-

(11) L. XLIV. p. 681.

(12) Append. Consil. Holl. Amsterd. p. 57.

(13) Ibidem p. 53.

34 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

komen de sententien, hier over gewesen, en de bescheiden, wat desen aangaande in andere Landen gepractiseerd word. De hac ipsa quaestione anno sequenti 1631. etiam Curiam Hollandiae consultam legimus (¹⁴), sed an & quid responderit, me latet. Quamvis autem JCti Hollandi, de ea sententiam rogati, 25. Jan. 1636. vere & ex ratione juris responderint (¹⁵), nostras naves, ab hostibus captas, & ab amicis emptas, per occupationem plane hostium esse factas, atque ita & eorum, qui eas ab illis emissent, tamen & deinceps ea de re turbatum est (¹⁶). Ne tamen in posterum aliis causis praejudicio sit illa Ordinum dubitatio anni 1630. repetendum est, quod supra dicebam, causam, de qua tunc agebatur, fuisse specialem, agebatur enim de portubus Flandriae obsessis, quod non animadversum tenbras peperit, sed unde non recte argumenteris ad eos portus, quorum aditus & exitus liber est. Satis, ut dixi, iniquum est d. Decretum 27. Nov. 1666. ne igitur aliam, quae ex facto speciali est, iniquitatem addamus.

Sed si ea Ordinum Generalium mens sit, navis dominium non transire, nisi ab hoste capta & in portum deducta sit, & inde rursus libera enavigarit, atque in portum amicum advenerit, quae ratio erit eorum Edictorum, quibus Ordines navis, ab hostibus captae, & a nostris recuperatae, certam partam recuperatori tribuunt, certam pristino domino? si sola occupatio dominium transferat, quid juris pristino domino? si non transferat,

(14) Apud Aitzema L. XI. p. 516.

(15) Consil. Holl. T. V. 161. Q. 6.

(16) Videatur Aitzema L. XXI p. 275. & 376. & L. XXIII. p. 533. §

rat, quid juris recuperatori in certam partem, quum domino superfit vindicatio? & quid attinet navem in portum amicum advenisse, vel non advenisse, si pristino domino nihil quicquam juris superfit adversus recuperatorem, postquam navis in portum hostilem deducta & ibi publicata est? utique nihil tunc juris superesse ipse putem, & putant alii (¹⁷), & perpetuo usu observatur apud omnes peraeque Gentes. Sunt haec ejusmodi, quae nec cum d. Decreto 27. Nov. 1666. nec cum ratione, nec cum Jurisprudentia componi possunt.

C A P U T V.

Res mobiles, & praesertim naves, an & quo-usque recuperatori cedant?

Quae attigi *ad finem proximi Capitis*, prolixius dis-
putanda & excutienda sunt. Quam in rem ob-
servandum est, ut immobilia, quandocunque re-
cuperata, postliminio redeunt ad priores dominos, sic
mobilia, de quibus hic agimus, non redire, & hoc est,
quod Labeo ait in l. 28. ff. de Capt. & postlim. revers.
*Si quid bello captum est, in praeda est, non post liminio
redit.* In navibus tamen, quamvis eae rebus mobilibus
accenseantur, distinguit l. 2. pr. ff. Eod. ut nempe
iis, quae in bello usum praestant, postliminium sit, re-
liquis non sit, sed hanc & alias Juris Romani inter res
mobiles differentias moribus Gentium obsoleuisse, recte
ob-

(17) *Groenewegen de LL. Abrogat.* ad l. 3. §. 1. ff. de Capt. & Postl.
revers.

36 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

observat Grotius *de Jure B. & P. L. III. C. 9. §. 15.* Unde nunc mobilia, sine distinctione omnia, in praeda sunt, sine ullo jure postliminii. His consequens esse videbatur, ab hostibus capta, & deinde recuperata, recuperantibus cedere, quia occupatio, quae in bello fit, dominium transtulit, &, ut transtulit occupatio, sic & transfert recuperatio. Sed non recuperamus nobis met ipsis, nisi quae jam pleno jure hostium facta sunt, nam, si non fuerint, pristino domino vindicandi jus erit. Ecquando autem res mobiles censeantur pleno jure hostium factae, pendet ex iis, quae Capite praecedenti disputavimus.

Quamvis vero incerta sit ejus rei definitio, id tamen certissimum, res mobiles, intra praesidia hostium deductas, plene & plane hostium fieri, atque ita ex affe cedere recuperatoribus, si postea deprehendantur. Tantum dicimus de navibus, in portus hostiles deductis, & deinde recuperatis, sic ut priori domino nihil quicquam in eas juris supersit, ut monebam *in fin. praeced.* Cap. Secundum haec quum inter Regem Angliae & Ordines Generales, tunc belti socios, 22. Oct. 1689. convenisset (¹), ut alter alterius naves recuperatas, sub certa mercede, restitueret pristino domino, id tunc demum obtinere volunt, si non alterius naves jam fuerint intra praesidia hostium deductae, tunc enim recuperatoribus totae cederent.

Id quidem satis liquidum est, sed non aequo liquidum, quae praesidia, quos portus intelligamus? eorum, qui naves ceperunt, an & sociorum? dices, sociorum sufficere, utique si sint belli socii, atque ita & hostes eo-

rum,

(1) *Plac. V. I. 13. 24.*

rum, quorum naves captae sunt. In portu ejusmodi socii aequa tuta est navium captarum retentio, ac in portu proprio, & nulla recuperandi spes, nisi rursus inde enavigaverint. Sed cum Franci duas naves Hamburgenses cepissent 28. Dec. 1675. in quibus erant mercatorum Amsterdammensium bona, & in potestate sua habuissent 14. dies, ac deinde eas perduxissent in portum Hullensem, qui est in Anglia, aliud video placuisse Ordinibus Generalibus, etiam tunc, cum Admiralitas Duinkerkensis, ante reversos Francos, eas naves earumque merces publicaslet, atque etiam Franci bonorum partem vendidissent Hulli: nam ecce naves cum reliqua praeda, nondum distracta, Duinkerkam repetentes, a Zelandis capiuntur, & ibi cum reliquo onere publicantur. At vero Ordines Generales, ea de re aditi a mercatoribus Amsterdammensibus, 23. Oct. 1676. decreverunt (2), recuperata bona pristinis dominis esse restituenda, quod nempe in portum hostis nondum fuissent perducta, & ibi publicata & distracta. Per portum hostis intelligunt hostem, cuius navis cepit, ajunt enim, den *voorschreve vyand*, ut sic non sufficerit subiisse alium portum, vel amici, vel belli socii. Zelandi jure, Ordines Generales auctoritate mihi videntur vicisse.

Hostium igitur fiunt naves, ab iis captae, & in portus suos perductae. Sed quid si nondum perductae fuerint, haeserint tamen aliquamdiu in portu amici vel socii, vel navigaverint per aliquod tempus cum nave victore? Sane, si Leges patrias consideremus, si auctoritates JCtorum, qui de moribus scriperunt, vix est, ut diuturnitas temporis, ex quo naves captae sunt, vel statio, etiam

(2) *Fermul. T. II. C. 24. p. m. 295. & seqq.*

38 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

etiam tutissima, dominium transferant, nisi & perductio ad portum accedat. Unde, qui de jure respondent, simpliciter scribunt⁽³⁾, quaecunque, antequam in hostium portum perducerentur, recuperata sunt, postliminium habere, et si per menses aliquot fuerint capta, atque etiam haeserint in portu communis amici, nisi enim hostes in suum portum deduxerint, hostium non fieri. Suavis ibi sermo est de postliminio, nam, qui sciunt, quid *postliminium* sit, sciunt quoque non esse, nisi ejus, quod in hostium dominium ante transierat. Dicendum erat, ante deductionem in portum res non esse factas hostium, sed remansisse prioris domini, recuperatas igitur ei cedere, & non recuperatori.

Sed utile erit Leges Patrias ea de re consuluisse, servato, quia varia existant, temporis ordine. Est qui putat ex Edicto Ordinum Hollandiae 4. Mart. 1600. (4) pristinis dominis jus fuisse vindicandi naves suas, etiam in portum hostilem deductas & ibi publicatas, ubicunque eas deprehendissent. Recte, sed loquitur id Edictum de navibus, quas Ordines Hollandiae existimabant contra jus belli fuisse publicatas, ut supra dixi C. II. atque ita id Edictum ad hanc rem non pertinet. Si jure fuerint captae, deductae & publicatae naves, cessat omnis vindicatio, &, si rursus enavigaverint, superest sola recuperatio, & quicunque tunc recuperaverit, dominus erit ex asse. At scire refert, ante deductionem in portus, & publicationem, sic sequutam, quid juris sit pristinis dominis in navem recuperatam, & quid recuperatoribus? Si noverimus, quid his com-

pe-

(3) *Confil. B. III. 68. & 69.*(4) *Plac. II. 4. 2. 1.*

petat, simul novimus, reliquum illis deberi. Antiquissima, quod sciam, in hanc rem est Lex Ordinum Generalium 4. Jul. 1625. (5) ex qua, si intra 24. horas naves recuperetur, privatim recuperatoribus cedit pars octava; si intra binas 24. horas, quinta; si post binas 24. horas, tertia. Quod ipsum iidem Ordines 22. Jul. 1625. (6) transtulerunt & ad naves bellicas, quae privatorum naves recuperant. Successit deinde alia eorundem Ordinum Lex 11. Mart. 1632. (7) ex qua, sine ulla temporis distinctione, privati recuperatores (*particuliere uytreeders*) habebant eorum, quae recuperaverint, bessem. Sed aliud rursus iisdem Ordinibus placuit 1. Sept. 1643. (8) nam ex §. 58. Edicti, tunc facti, si intra 24. horas naves recuperetur, cedit recuperatori octava pars, si intra binas 24. horas, quinta ex §. 57. si post binas 24. horas, tertia ex §. 56. d. Edicti, plane ut in Edictis anterioribus, quae sic memoravi, factis 4. & 22. Jul. 1625. Mox iterum ad bessem, sublata omni temporis distinctione, recursum est in *tois Kruyffers*, nam secundum id Edictum anni 1632. iis recuperatoribus bessem dedit §. 16. Edicti Ordinum Generarium 8. Febr. 1645. (9) qui §. 16. addit, de pretio naves & oneris inter recuperatorem & dominum recte privatim transfigi, &, si transactio non succedat, Admiralitatis ea de re esse jurisdictionem. Rursum alia eorundem Ordinum mens fuit 19. Apr. 1659. nam ex Decreto ejusdem diei recuperatoribus, sive bellicae naves

(5) *Plac. I. 2. 14. 3. 2.*(6) *Ibidem I. 2. 14. 3. 4.*(7) *Ibidem I. 2. 14. 3. 3.*(8) *Ibidem I. 2. 7. 3. 1.*(9) *Ibidem I. 2. 15. 1. 1.*

40 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ves recuperaverint, sive privatae, nihil quicquam debetur, nisi pars nona cum ex navibus, tum ex bonis recuperatis, abrogata sic iterum omni temporis distinctio. Id Decretum publice quidem editum non est, sed reperi inter Acta Ordinum Generalium, & memoratur quoque alibi⁽¹⁰⁾. Tandem Ordines Generales, falsis, ut ajunt, Legibus antiquis quod ad naves bellicas (quas Leges antiquas intelligant, nescio, cum variaverint) de privatis recuperatoribus ita edixerunt 13. Apr. 1677. (11) iis nempe cederet, *voor bergloon*, quinta pars rerum & navium, ab hostibus recuperatarum, si in eorum potestate res navesve fuissent nondum 48. horas; si 48. horas, & nondum 96. horas, tertia pars; si ultra 96. horas, pars dimidia. Atque ea ipsa temporis distinctio, eaedemque partes inter Regem Angliae & Ordines Generales placuerunt 22. Oct. 1689. ea conventione, quam supra attuli, si scilicet alterius subditus privatus ab hoste recuperaverit alterius subditi naves mercesve, si autem navis bellica recuperaverit, recuperatori, sine distinctione temporis, non cedit nisi pars octava.

Cur tam varie? & quae ratio temporis, diversimode distincti? & cur distinctio temporis partes, nunc maiores, nunc minores dabit? Unde iterum, si distinctio temporis placeat, tanta partium varietas? & unde etiam, rejecta omni temporis distinctione, modo bes, pars longe maxima, modo nona, pars longe minima, recuperatoris erit? Sane difficile est rationem reddere eorum, quae fere sine ratione idonea constituuntur; hic, si ullibi, provocare licet ad l. *Non omnium, novissimi*

⁽¹⁰⁾ Conf. B. III. 68. & 69.

⁽¹¹⁾ Plac. III. 1. 17. 16.

visti cetera. Exigit tamen publica Gentium tranquilitas, & ipsa subditorum nostrorum beata quies, ut semel, consulta ratione, certi quid statuamus. Ex eo res tota pendet, ecquando existimemus, naves mercesve captas pleno jure hostium esse factas? Jure quidem definitum est, hostium esse factas per veram plenamque occupationem, sed rerum & factorum varietas non permittit, ut semper sciri possit, an vera & plena sit occupatio, id est, an hostis ita cepitur, ut, quae cepit, retinere & defendere possit. Quae hostis cepit medio mari, procul a finibus suis, potest amittere, & saepe amittit per alterius recuperationem. Si, quae cepit, deduxerit ad fines & portus suos, nemo dubitaverit, pleno jure capientis esse facta. Tantundem dicerem, si vel in portum amici vel socii deduxerit, sed si id, ut supra dicebam, obtinere non liceat, largiamur, quaecunque mari capta sunt, in portum proprium vel in Classem propriam esse deducenda, & non antea pleno jure quaesita videri.

Quid igitur, si antea recuperentur? Pristinis dominis utique vindicandi jus erit, utpote dominio in hostem, atque adeo in recuperatorem nondum translato; *pristinos* dico, quia qualiscunque occupatio intercessit. Sed an dominus vindicabit a recuperatore, non soluto servaticio sive praemio recuperationis? absque ulla mercede pro operis & impensis, in recuperationem factis? id vero acquitas, Juris Gentium magistra, non patitur. Haec postulat, ut detur servaticum, sive praemium, sive merces, quocunque nomine appellare placet. Recuperator servavit navem & merces, alioquin domino perituras; cur, sine spe mercedis, se objicit periculo? cur pro re aliena pugnabit, tanquam pro aris & focis? cur arma

42 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

virosque adhibebit, atque oleum & operam perdet? utiliter utique gessit negotium domini, & pro impensis, in recuperationem factis, ipsa negotiorum gestorum actio ipsi praesto erit. Aliam actionem, quae recuperatori competenteret, ipse non novi, si ex regulis Juris Romani res esset definienda, & cum haec actio etiam hodie ad mercedem porrigitur, ut recte observat Jacobus Gothofredus *de Salario C. V. n. 10.* & eo quo que jure utamur, hac sola etiam hodie defungi licet cum ad impensas, tum ad mercedem. Sed quo jure placuerit partem rei recuperatae recuperatori dare, ipse non intelligo, & minus intelligo, quemadmodum illa pars vel major vel minor sit pro ratione temporis, quo res capta penes hostem fuit. Quid hic horae 24. ? quid 48. ? quid 96. ? major minorve hostis possessio, dummodo res capta in tuto non fuerit, recuperatori, si me audias, nequit tribuere plus minusve juris.

Quare, si ex ratione rem placet aestimare, ipse putarem, omnem temporis distinctionem esse abolendam, ejusque loco habendam rationem operarum & impensarum, quas recuperator fecit, habendam rationem periculi, quod in recuperanda subiit, habendam rationem pretii navium & mercium recuperatarum, & ex his omnibus, boni viri arbitrio, statuendum, quid pro operis, impensis, mercede recuperatori tribuendum sit, neque id parca, sed liberali manu ad excitandam recuperatorum industriam. Nihil putabis interesse, magno, an facili, imo nullo negotio quis recuperaverit capta? nihil, an fortiter pugnaverit? nihil, an plurimum impenderit? recuperata minimi, an maximi pretii fuerint? Sin autem existimes, eorum omnium aestimationem esse adeo incertam, ut de his diu multumque litigandum esset,

effet, repono, non minus diu multumque litigari posse, & saepe litigatum esse de pretio navium & mercium, & quid ex his detrahendum sit, priusquam verum pretium iniri possit.

Sed age, si placeat partem dare, partem dato, non autem pro modo temporis, quo res apud hostem fuit, sed pro modo impensi laboris, quemadmodum & in aliis rebus recuperatis ad operas & impensas solet attendi. Sic Lex Rhodia iis, qui naufragium servarunt, mercedem dedit, & pro mercede partem naufragii, sed variam pro modo impensi laboris, ut est apud Harmenopulum Προχ. L. II. T. 11. §. 18. & secundum haec interpretor *het redelyk bergloon*, quod iis, qui res naufragas servarunt, constituit Maria Burgunda in §. 24. LL. quas Hollandis & Zelandis dedit 14. Novemb. 1476. Naufragii quoque servati partes tribuit Edictum, quod 15. Maj. 1574. Philippi II. nomine Wilelmus Orangius edidit, & saepe deinceps, novissime autem repetitum est 2. Apr. 1676. (12) sed tribuit servatori maiores etiam partes, quam ibi expressae sunt, si nempe plus operarum & sumptuum fecerint navarchae. Ad haec etiam respexisse opinor Ordines Hollandiae, cum 22. Jul. 1677. (13) constituerunt *een redelyk bergloon*, si quis ligna, quae sine custode & prono flumine natare, deferret ad Corpus Lignariorum, quod Dordtechti est. Non distinguunt illae Leges, quamdiu res naufragae & illa ligna natarint, & in potestate marium, fluminum & ventorum fuerint, ut nec ulla ejus distinctionis est ratio, sed ex boni viri arbitrio constituitur mer-

ces

(12) *Plac. III. 6. 2. 4.*(13) *Ibidem III. 4. 5. 7.*

44 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
ces pro modo operae & impensae ; neque aliter puto
constituendum esse in recuperatis ab hoste & navibus &
mercibus.

Sane in Libro , qui inscribitur *Consulatus maris* , C. 287. ita , ut modo dicebam , res definita est : nam is , qui navem & onus ab hoste recuperavit , jubetur na-
vem & onus restituere pristino domino , salvo tamen
servaticio , idque servaticium , ut justum sit , constituitur
pro modo operae & impensae , in recuperationem fac-
tae , praeterita omni distinctione , quamdiu navis o-
nusque in potestate hostium fuerint . Recte autem ibi
additur , eam restitutionem duntaxat obtinere , si na-
vis nondum fuerit deducta in locum tutum , sed si in
locum tutum ; dominio sic plane & plene in hostem
translato , navem mercesque , deinde recuperatas , ex
asse recuperatori cedere . Quae apprime convenient cum
his , quae hoc Capite disputavimus . Velle omnia , quae
in illa farragine Legum Nauticarum reperiuntur , aequae
proba recta essent , sed non omnia ibi sunt tam bonaæ
frugis .

C A P U T VI.

*Quousque extendatur immobilium possessio ,
bello quaesita.*

Videndum , nam res digna est , quo usque extendat-
tur immobilium possessio , bello quaesita , & ex
possessione dominium . Grotius *de Jure B. & P. L.*
III. C. 6. §. 4. simpliciter dixit , non qualemcunque pos-
sessionem sufficere , *sed firmam* , quod mox explicat , si
ager

ager mansuris minutionibus ita includitur, ut nisi iis expugnatis parti alteri palam additus non sit. Quid ergo? an capta Urbe etiam ager captus censemitur? & quoque? nihil quicquam de eo Grotius; & tamen in locorum possessionibus & occupationibus saepe id quaestionem facit. Res exemplo fiet clarior. Occupaverant Franci Casalem Taurinumque in Pedemontio, pactis autem inducitis convenerat, ut quisque bello possidebat, ita & induciarum tempore possideret. Quae situm est de agris & pagis, qui Urbibus illis, quas Franci tenebant, obnoxii munera & functiones praestabant, Francisque etiam tempore belli praestiterunt? Et sunt Jcti, qui hanc causam definiverunt contra Francos, quia Jure Gentium desideratur possessio, naturaliter acquisita, neque occupata pars non occupatam trahit, rati etiam, Francis non prodesse praestitas illas incolarum functiones, quum & ipsi incolae inviti possideantur a dominis suis. Ita fere disputat Petrinus Bellus *de Re Militari Part. V. T. 3. n. 7.* & seqq. cui nescio an suffragium suum addat Zoucheus *de Jure Feciali. Part. II. Sect. 9. Q. 48.* Sed fatis perperam Bellus, certe si de inducitis agatur, ut agebatur in ea specie, quum illud generale, UTI POSSIDETIS, utique & quasi possessionem complectatur, etiamsi veram neges. Illa autem quasi possessio constabat in praestandis & accipiendis muneribus & functionibus, non nisi Domino praestari solitis, sed & de vera possessione judicabis ex iis, quae sic dicam.

Ex ratione igitur despiciendum est, quae proprie sit immobilium possessio, bello occupata. Constat autem, parte occupata, etiam totum occupari & possideri, si is sit occupantis animus, & ita quoque Paulus noster defi-

46 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nit in *I. 3. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* neque id civile magis, quam naturale esse, & res ipsa, & usus, optimus docendi magister, satis ostendunt. Possessio consistit in occupato, &, quod occupatur, Jure Naturali in potestatem nostram redigitur ; occupatum autem intelligitur etiam id, quod manibus vel pedibus nostris undiquaque contrectatum non est, si nempe ita fedeat occupanti, & natura rei exigat, ut in agris & fundis. Si putas aliter, non facile dixeris, quid occupatum possessumve sit: nam, si omnia contrectari velis, neque superficiem fundi contrectasse sufficiet, sed necesse erit omnes glebas non tantum circum ambulare, sed & effodere.

Quamvis autem verum sit, parte apprehensa, etiam totum apprehendi, si quis hac mente apprehenderit, id tamen non aliter obtinebit, quam si ejus totius, de quo agitur, nemo aliis partem possidet, si enim & aliis partem possideat ejusdem totius, idem ex eadem ratione totum possideret. Quod dicere non licet, cum duo eandem rem in solidum possidere nequeant ex verissima Pauli Philosophia in *d. I. 3. §. 5.* nam sic alterius dominatio dominationem alterius in eadem re excluderet. Si ergo & aliis possideat, & aliis partem, quam aliter corporaliter non detinet, apprehendat, nihil ultra occupavit, quam quod naturaliter apprehendit: neque enim, pro semisse, aut pro rata partium, quam quisque occupavit, cetera, quae non detinentur, possidere licet, quia in illis ceteris prioris occupantis dominatur possessio, quae ab alia, simili dyntaxat, excludi nequit, earundem quippe virium utraque. Et in ea, quam detinet, parte non alias ob causam alterius possessionem, quam *civilem* vocant, abolevit posterior *occupans*, quam

quam quod eam naturaliter teneat, naturalis enim possessio civilem sustilit. Idque ipsum est, quod Celsius ait in *l. 18. §. 4. ff. Eod.* *Si cum magna vi ingressus est exercitus, eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.* Cum ait, *magna vi*, significat esse, qui resistent, possessionemque, quam priores domini habebant, vi quoque tuerentur. Non ulterius igitur hostium exercitus agrum occupavit, quam nostrum cedere coegerit. Forte & sic intelligendus Paulus in *d. l. 3. §. 1.* cum ait, parte occupata, dum ea mente sit, totum equidem occupari, sed *usque ad terminum*, quod accipio usque ad eam partem, quam aliis possidet, sive vicinus in suo fundo proximo, sive quis alius in hoc eodem fundo, de cuius possessione occupanda agitur.

Unde in Regione occupata non est difficile animadvertere, quid proprie occupatum videri debeat. Scilicet jus Metropolitanum per se in hoc argumento nihil quicquam ad rem pertinet, id enim est civile Imperium, quod victus Princeps constituit, ubicunque placet. Quod si sit, facile intelligimus, si ex pago forte aliquo Imperium in universam Regionem exerceatur, eo occupato, non etiam Urbes, Oppida, Arces, quae adhuc Princeps detinet, occupata videri, sed ex ipso facto occupationis & possessionis haec omnia aestimanda esse. Secundum haec dicimus, parte Regionis occupata, totam occupatam videri, si nullam aliam partem victus retinuerit; si retinuerit, nihil occupatum esse, quam quod vi extortum est victo, & a victore possellum. Sed circa unius Imperii plures distinctas Regiones belle quaeri potest, an ea utendum si distinctione, qua uteremur in privatorum fundis contiguis? Si Titius fundos contiguos habeat Cornelianum, Maevianum & Sempronianum, *Ga-*
jus,

48 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ius, parte Corneliani occupata, totum Cornelianum possidere intelligitur, Maevianum vero & Sempronianum non aequa, fundo enim possesso ad terminum quidem, sed ad terminum duntaxat, neque ultra possidemus *d. l. 3. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Qui partem fundi Corneliani intravit, non alio animo intrasse censetur, quam ut possideat totum ejus, cuius partem occupavit, de Maeviano autem vel Semproniano fundo ne cogitasse quidem videtur. Parte occupata in toto, quod ab aliis rebus distinctum est, consistit terminus possidendi, neque ultra progredimur, sive domus sit, sive fundus, sive horreum, sive aliud quid, quod in Civitate rei immobilis appellatione venit. At, si me audias, alia ratio est immobilium, quae occupantur jure victoriae. Animus victoris est non duntaxat unam Regionem, sed totum Imperium hostile invadere, & suas facere cunctas ejus Imperii Regiones, nec alias hic est terminus, quam in ea Regione, quam victus adhuc retinet. Si nihil intercedat, quod possidere non potest occupator, si velit, dic, quid possessionem victoris sisstat, &, quomodo progrederiatur, impedit? nulla autem Regione retenta, etiam una a victore occupata, vel occupata sola Metropolis totius Imperii possessionem dabit. In hanc sententiam verissimum est, quod ad Cofroëm, Persarum Regem, Imperatoris Justiniani Legatus dixit apud Menandrum Protectorem *Histor. Byzant. Tom. I. p. 143.* Ο γας δεσμός Ἡγεμονίας, πᾶς ἐν ἔχει τὸν τινέντας? Qui enim dominus est ejus, qui imperat, quomodo nec dominus erit ejus, quod ei subest? Ceterum si aliquid adhuc retineat victus neque τὸν τινέντας videbitur, quod ille Imperio Metropolitanò exemit, & vi armata defendit. Merito igitur irrisi sunt Principes, qui, quod

quod Romam vel Constantinopolin haberent, universi Orbis Romani Imperium sibi arrogarunt, etiam tunc, cum alli Principes magnas ejus Imperii partes occupatas tenebant. Similis est arrogantia Belisarii apud Procopium de *Bello Vandal.* L. II. C. 4. nam is, cum Carthaginem ipsumque Regem Gelimerem in potestatem redigisset Justinianus, palam jactavit, etiam cuncta ad eum pertinere, quae Gelimer in Sicilia habebat. Omnino perperam, neque enim jus, quod in Carthaginem vel personam Regis habebat, eorum, quae in Sicilia erant, possessionem transferre poterat. Sicilia proprio Marte se defendebat, nec, capto Rege, eo ipso capitur universum ejus Imperium. Occupatio necessaria est, vel cessio, si in pace ita convenerit.

Nunc videamus, quid Ordines Foederati Belgii in hanc rem decreverint & edixerint. Quum in §. 3. *Induciarum* inter Archiducem Austr. & Ordines Gener. 9. Apr. 1609. convenisset, ut quisque induciarum tempore possideret, ut tunc possidebat, & Archidux Edicta sua in agro Kuykensi affixisset, Ordines Generales 20. Aug. 1609. edixerunt⁽¹⁾, agrum Kuykensem ad se pertinere, quia possidebant Urbem de *Grave*, cui ager ille erat subditus, ne quis igitur aliis in eo ullum imperium exercere vellet. Quumque Ordines Generales expugnassent Arces in den *Lande van Overmaze*, & tamen Hispani incolis interdixissent, ne se se subjicerent jurisdictioni Senatus Brabantini, qui est Hagae Comitis, jure retorsionis huic interdictioni se se opposuerunt Ordines, ut est in eorum Edicto 8. Mart. 1634.⁽²⁾ Rur-
fus,

⁽¹⁾ *Plac. II. 5. 5. 2. 1.*

⁽²⁾ *Ibidem II. 5. 5. 2. 4.*

50 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

sus, cum Buscoducum ad Ordines Generales pertineret; & Hispani multum turbarent quod ad agrum Buscoducensem, variis Ordinum Edictis iis obviam itum est, nempe 20. Januar. & 3. Aug. 1630. 13. Maj. 1631. 20. Jun. 1634. 2. Febr. & 2. Dec. 1636.⁽³⁾ & iterum 24. Dec. 1642. ⁽⁴⁾ in quibus Edictis 8. Mart. 1634. & 2. Febr. 1636. memoratur quoque Edictum Regis Hispaniae, factum 10. Jul. 1628. quo ipse ille Rex prolixe afferuit, agrum subjectum Urbis victorem sequi. Atque eo jure etiam Ordines usi sunt in illis Edictis, & recte usi sunt, quia agrum occupasse censentur, qui in illum pro arbitrio imperant. Si qua Arx tamen sit in argo, nondum occupata, quousque illa in agrum imperat, alterius possessio & dominium non porrigitur.

Si, quae disputavimus, recta sint, ut mihi quidem esse videntur, recte etiam Senatus Brabantinus, qui Haagae Commitis jus dicit in eas Brabantiae Regionis, quas Ordines jure belli occuparunt, recte, inquam, ille Senatus 26. Oct. 1629. edixit, Feudorum, quae in agro Buscoducensi sita erant, investituram a se esse petendam, non a Senatu Brabantino, qui Bruxellis est, & simul apparent, nullo jure contra edixisse Hispanorum Regem 15. Nov. 1629. ut haec omnia narrat Aitzema⁽⁵⁾. Buscoduco quippe expugnata, omnis ager circumiacens ad Ordines Generales pertinebat, atque ita & Feudorum, qui ibi erant, erant quoque Domini; val-

⁽³⁾ Plac. I. 1. 4. 2. n. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

⁽⁴⁾ Ibidem I. 3. 2. I. 2.

⁽⁵⁾ Histor. L. IX. p. 882.

fallus autem victus debet fidem & officia victori, non Principi victo.

Minus dubitabitur, si qua Provincia cessum sit, omnibus ejus partibus cessum esse, qua de re circa *Twent*, parte Transisulaniae, extat Ordinum Generalium Edicatum 22. Dec. 1610. (6)

(6) *Plac. II. 5. 5. 2. 2.*

C A P U T V I I .

Hostium actiones & credita, quae apud nos inveniuntur, an exorto bello recte publicentur?

Si Pa^cta inter Principes intercedant de subducendis intra certum tempus bonis, siquidem bellum exardeat, quemadmodum plura ejusmodi pacta commemo- ravi supra C. 2. verum est, ut reliqua bona, sic & actiones creditaque subduci posse. Sin autem non intercedant, vel intra constitutum tempus bona & actiones non subducantur, quaesitum, quid juris? Et sane, cum ea sit belli conditio, ut hostes sint omni jure spoliati proscriptique, rationis est, quascunque res hostium, apud hostes inventas, dominum mutare & Fisco cedere. Solet praeterea in singulis fere belli inductionibus constitui, ut bona hostium, tam apud nos reperta, quam capta bello, publicentur. Exstant quandoque & separata in eam rem Edicta, sive inductionis belli praecesserit, sive non praecesserit. Orangius Dynasta 25. Aug. 1572. formae, quam tunc edidit de regimine Hollandiae. (1), in- fe-

(1) *Plac. III. 1. 1. 23.*

32 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

seruit: dat de goederen van die gene, die ben openbaarljk voor vyanden dragen, terftont by de Magistraten, waar onder die gelegen syn, geännoteert sullen werden, en die vrugten ontfangen tot vordering van de gemeene faak. De immobilibus haec intelligo, quae moris est annotari, ut eorum fructus, tempore belli, cedant publico. Si merum jus belli sequamur, etiam immobilia possent vendi, & eorum pretium in Fiscum redigi, ut in mobilibus obtinet, sed in omni fere Europa sola sit immobilium annotatio, ut eorum fructus, durante bello, percipiat Fiscus, finito autem bello ipsa immobilia, ex pactis, restituuntur pristinis dominis. Rursus de omnibus indistincte bonis, ubicunque repertis, Ordines Generales edixerunt 2. Apr. 1599. (1) in haec verba: *Verklaren voor goeden prinse alle personen en goede ren, geseten onder het gebied van den Koning van Span gien, tot alle plaatsen, daar men die zal mogen bekomen.* Exstat & epistula Ordinum Hollandiae ad Curiam Hollandiae 25. Nov. 1672. (2) qua simpliciter etiam detineri publicarie jubentur bona eorum, qui apud hostes morantur, *zig onthouden;* in quam sententiam & editum est ejusdem diei Edictum Curiae Holl. (3) ex quo nec post diem editi Edicti dominis reddi possunt. Quod an satis conveniat Pactis, anno 1662. inter Regem Franciae & Ordines Generales initis, nunc non disputo. Cum autem inter bona vel maxime sit hereditas, constat neque hostem acquirere posse hereditatem, apud nos jacentem, et si ex testamento vel ab in-

(1) Plac. II. 4. 2. 1. 2.

(2) Bello Juridico Casu 52. n. 2. & Casu 99. n. 2.

(3) Plac. III. 1. 8. 2.

intestato ei debeatur. Secundum haec quum anno 1695· quidam in Hollandia deceperet intestatus, cuius cognati proximi & heredes in Francia erant, hereditatem esse publicatam memini.

Quemadmodum illa, quae recitavi, Edicta loquuntur generaliter, sic & generaliter videntur accipienda de quibuslibet bonis, sive corporalibus sive incorporalibus. De incorporalibus tamen, ut sunt actiones & credita, dubitari video, & dubitasse, quin & aliquando contradixisse nostros Ordines. Cum Francorum Rex & Episcopi Coloniensis & Monasteriensis anno 1673. etiam actiones publicassent, & exigi jussissent, quod subditi sui debebant Belgis Foederatis, Ordines Generales Edicto 6. Jul. 1673. (5) id improbarunt, edixeruntque, solvi non posse nisi vero creditori, ideoque se eam exactiōnem, sive vi, sive consensu factam, ratam non esse habituros. Sed profecto videtur esse Jus commune, ut & actiones publicentur, ex eadem nempe ratione, qua corporalia quaelibet. Actiones utique sive credita non minus Jure Gentium sunt in dominio nostro, quam alia bona, eccur igitur in his Jus belli sequamur, in illis non sequamur? & cum nihil succurrat, quod distinctioni idoneae locum praebere possit, etiam sola ratio Jus commune defendit. Sed nec desunt exempla & auctoritates, quae defendant. Constat ex Polybio *Excerpt. Legat. C. XXXV. n. 4.* inter Romanos & Antiochum convenisse, ut non minus actiones, quam alia quaeque, tempore belli publicata, restituerentur, idque praebet argumentum, etiam actiones utrimque fuisse publicatas. Id ipsum jus Franciae & Hispaniae Re-

(5) *Plac. III. 1. 8. 4.*

54 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Reges invicem quoque exercuisse, indicat §. 22. Pacis, inter utrumque initae 17. Sept. 1678. (6) namque eo §. cavetur, ne restituerentur credita, ante publicata. Et Daniae Rex, bello Suecis indicto, 9. Mart. 1676. (7) publice edixit, bona Suecorum in Imperio Danico, & quod quis cui Sueco deberet, intra sex septimanas Fisco deferrentur publicanda, arbitraria & dupli poena non parentibus statuta. Simile quid anno 1667. contra Anglos edixerat Danus, ut est relatum apud Aitzema (8).

Neque ab hac doctrina semper tam alienos fuisse Bellgas apparent ex Edicto 18. Jul. 1536. (9) & ex Edicto Philippi II. contra Francos 27. Mart. 1556. (10) & ex Edicto Otdinum Hollandiae 29. Januar. 1591. (11). Exstat & Edictum, quod 7. Dec. 1577. (12) factum Philippi II. Hispan. Regis nomine, Orangius Dynasta & Curia Hollandiae promulgarunt, quo non duntaxat eorum, qui ad Joannem Austriacum transferant, sed omnia hostium suorum bona, mobilia & immobilia, actiones quoque & credita, publicari jusserunt. Ordines etiam Generales 4. Jun. 1584. (13). Bruggenses & Vryenses, quod ad Hispanos desciverant, hostes suos esse declararunt, & jusserunt eorum bona, actiones creditaque, tam publica, quam privata, publicari. Atque ita deinde, cum Venloënses quoque ad Hispanos transiissent, Comes Ley-

ccg-

(6) *Francia anti Hispan.* p. m. 218.

(7) *Hollandsche Mercurius* 1676. p. 47.

(8) *L. XLVII.* p. 390.

(9) *Repert. Cur. Holl.* p. 32. B.

(10) *Ibidem* p. 28. A.

(11) *Decis. Mixt.* 143.

(12) *Plac. II. Append.* p. 2147.

(13) *Plac. II. 4. I. 1. 3.*

cestranus Edicto 9. Jul. 1586. (14) eos crimen perduellionis commisisse complexus est, eorum bonis mobilibus & immobilibus, actionibus & creditis, publicari iussis. Ne autem credas, de Bruggensibus, Vryënsibus & Venloënsibus id duntaxat edici, quod non tam hostes, quam perduelles essent, ex eo nempe, quod antea Foe-deri Utrechtano sese obligassent, observari velim, in d. Edicto 4. Jun. 1584. vñ. Ordonneren, haec etiam porrigi ad omnes, boudende onse tegenpartye, wie dat de zelve zyn, plane ut in d. Ed. 7. Dec. 1577. tam perduelles, quam hostes, quod ad hanc ipsam rem, con-junguntur.

Notanda etiam sunt in hanc rem Ordinum Generalem 2. Oct. 1590. & Ordinum Hollandiae 29. Oct. 1590. facta Decreta (15), quibus, ut sunt ejusdem anni & mensis, in eandem quoque sententiam continetur: *Dat die uyt Vyanden Landen, ook voorstien met behoorlyk paspoort, in dese Provincien komen, niet gequalificeert syn in regten in dese Landen iets te mogen eyschen by actie personele of reële, ten petitoiren of posseffoiren, maar dat men de zelve a limine judicii zal repelleren, op dat de hostiliteit tegen de vyanden, en de confiscatiën van goederen en REGTE N DER ZELVER, mogen blyven in haar geheel.* Ex his Decretis neque actiones personales exerceri licet, & adjecta ratio palam significat, ideo exerceri non posse, quia hostium non tantum bona, sed & actiones Jure Belli publicantur. Et quam olim Rex Franciae Belgarum bona arresto inclusisset, Ordines Hollandiae 26. Apr. 1657. (16) idem de

(14) Plac. II. 4. 1. 1. 2.

(15) Ibidem Append. p. 2209.

(16) Ibidem Plac. II. 4. 28. 3. 1.

56 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

de bonis Francorum constituerunt, vetueruntque quicquam iis solvi, &c, si quis solvisset, alterum tantum solveret, unde iis, qui in Francia damnum passi essent, id damnum resarciretur, & praetereadimidum poenae nomine, jusseruntque, poena posita, bona creditaque Francorum deferre delegatis ad hanc rem in quaue Urbe. Credita igitur recte publicare tunc Ordinibus placuit, &, ni fallor, recte. Quapropter si subditus Principi, qui credita publicavit, solverit, quod hosti debebat, liberationem contingere, optimo jure responsum est *Consil. Holl. T. I. Consil. 297.*

Haec autem non subsistunt, ubi ea benignitate bella geruntur, ut commercia utrimque licita sint: neque enim commercia sine contractibus, neque contractus sine actionibus, neque actiones sine judiciis, neque judicia sine personis, quae jure litigant, explicari possunt. Quis merces vendat, & ad hostem devehat, sine spe recuperandi pretii? & quae spes recuperandi, si adversus emptorem eundemque hostem judicio experiri non licet? Quamvis igitur hostis personam standi in judicio non habeat, ut simpliciter constitutum est in d. Decreto 2. & 29. Oct. 1590. atque ita quoque responsum & judicatum sit *Consil. Holl. T. I. Consil. 289. & T. V. Consil. 168.* & apud Groenewegen ad Tit. C. *Qui legit. person. stand. in judic. bab. commercii tamen causam recte excipit d. Consil. 289. & Groenewegen d. loc. si nempe mutua sit commerciorum libertas, si non sit, actiones, etiam ex commerciis natæ, recte publicabuntur.* Sed an causam commerciorum distinguendum est a reliquis omnibus causis, ut scilicet in his negemus, in illa sola hosti largiamur personam standi in judicio? sic distinxit d. *Consil. 289. &, si recte, sic quoque in ipsa*
pu-

publicatione actionum esset distinguendum. At si hosti semel permittas actiones exercere, difficile est distinguere, ex qua causa orientur, nec potui animadvertere, illam distinctionem unquam usu fuisse servatum.

Ceterum si hostem arceas a judicio, neque adversus hostem, si forte in tuo Imperio haereat, recte experies in judicio; atque ita iniquum est, quod confirmata inferioris judicis, & Curiae Hollandicae sententia, Supremus Senatus judicavit 18. Sept. 1590. (17) hostem nempe, qui cum libero commatu in has Regionis venerat, per arrestum hic conveniri posse; manifeste enim impium est, hostium actiones hic praeccludere, ut praclusae sunt d. Decretis 2. & 29. Oct. 1590. & non idem jus hostibus permittere. In Jure belli quod quis sibi sumit, hostibus quoque tribuendum est.

Quod dixi de actionibus recte publicandis, ita demum obtinet, si, quod subditi nostri hostibus nostris debent, Princeps a subditis suis revera exegerit. Si exegerit, recte solutum est, si non exegerit, pace facta reviviscit jus pristinum creditoris, quia occupatio, quae bello fit, magis in facto, quam in potestate juris consistit. Nomina igitur, non exacta, tempore belli quodammodo intermotori videntur, sed per pacem, genere quodam postlimii, ad priorem dominum reverti. Secundum haec inter Gentes fere convenit, ut nominibus bello publicatis, pace deinde facta, exacta censeantur perisse, & maneat extincta, non autem exacta reviviscant, & restituantur veris creditoribus. Ita sane convenit in §. 5. Pacis inter Fredericum III. Daniae & Carolum II. Angliae

(17) Decis. mixt. 170.

38 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

gliae Reges 31. Jul. 1667. (18) & §. 37. Pacis inter Hispaniae & Angliae Reges 21. Sept. 1667. (19) & §. 22. Pacis inter Franciae & Hispaniae Reges 17. Sept. 1678. quem §. 22. supra *hoc Capite* attuli, ut probarem, quod & probant d. §§. 5. & 37. non minus actiones, quam alia quaecunque hostium, tempore belli fuisse publicatas, & saepe etiam exactas.

Noli autem existimare, de actionibus duntaxat verum esse, eas ipso jure non publicari, nam nec alia quaeque publicantur, quae apud hostes sunt, & ibi forte celantur. Unde & ea, quae apud hostes ante bellum exortum habebamus, indictoque bello suppressa erant, atque ita non publicata, si a nostris denuo recupererentur, non fieri recuperantium, sed pristinis dominis restitui, recte responsum est *Confil. Belg. T. III. Confil. 67.*

(18) Aitzema L. XLVII. p. 405.

(19) Idem d. L. XLVII. p. 653.

C A P U T V I I I .

An hostem liceat aggredi vel persequi in amicis territorio vel portu?

Jure belli adversus hostem duntaxat utimur in nostro; hostis, aut nullius territorio. In nostro si hostem deprehendamus, nihil utique prohibet, quominus, si sine libero commeatu ad nos pervenerit, hostiliter eum excipiamus. Ipsum hostis territorum ingredi, & ibi praedam agere, ratio belli permittit. In medio mari, utpote nullius territorio, id ipsum licet. Sed in territorio utriusque amici qui hostem agit, agit & adversus Prin-

Principem, qui ibi imperat, & omnem vim, a quo-
cunque factam, legibus coërcet. Quare nec Poeni,
quamvis triremibus superiores, aggredi Romanos ausi
sunt in portu Regis Numidiae, ut ex Livio narrat Gro-
tius *L. III. de Jure B. & P. C. 4. §. 8. n. 2.* & ex
Grotio transcripsit Zoucheus *de Jure Facial. Part. II.*
Sect. 9. Q. 7. Movet ibi quidem Zoucheus nonnulla in
contraria sententiam, sed haec ipsa Grotius & dixerat
& refutaverat.

Cum autem omnes Juris Publici Scriptores, nemine,
quod sciam, excepto, vim fieri vetent in alterius Im-
perio, meretur despici, an huic sententiae convenient
mores Gentium, Edicta & Decreta nostrorum Comi-
tum vel Ordinum, & an in hoc argumento jus perse-
quendi a jure aggrediendi oporteat distinguere? Ut a
Comitibus ordiamur, Philippus II. Hispan. Rex *Tit. I.*
§. 27. LL. Nauticarum, quas Belgis dedit ult. Oct.
1563. (¹) constituit, posita capitisi poena, ne qua in ma-
ri vis fieret vel suis subditis, vel sociis, vel peregrinis,
sive belli, sive alterius rei causa, *intra conspectum a ter-
ra vel portu.* Intellexit igitur, Continentis imperium
porrigi, quousque e terra prospici datum est, ut sunt
Auctores, qui sic sentiunt. Sed id nimis laxum vagum-
que esse ostendi *Dissertatione de Dominio maris C. II.*
ratus, imperium terrae finiri, ubi finitur armorum po-
testas. Nec alia sententia fuisse usos Ordines, cum Ge-
nerales, tum Hollandiae, ex duobus Decretis, de salu-
tatione Principum factis, mihi visus sum probasse *d. C.*
II. & etiam C. IV.

Sane in ipso amici portu, hostem, amici non hos-
tem,

(¹) *Plac. I. 2. 7. 1. 2.*

68 · QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tem, aggredi vel capere nequaquam licet. Si quis ca-
piat, amici illius est efficere, ut capta restituantur, vel
sumptu suo, vel sumptu ejus, qui damnum passus est.
Ut hujus sumptu id efficeretur, convenit §. 22. Pa-
cis inter Rempublicam Angliae & Ordines Generales 5.
Apr. 1654. (1) & §. 21. Pacis inter Regem Angliae &
Ordines Generales 14. Sept. 1662. (2) & rursus §. 29.
Pacis inter eosdem 31. Jul. 1667. (3) Id ipsum dicit §. 48.
Pact. Commerc. inter Regem Franciae & Ordines Ge-
nerales 27. Apr. 1662. (4) sed non injecta mentione
sumptus, quem ille, qui damnum passus est, facere te-
neretur. Quod mihi etiam videtur satis iniquum, cum
ipsius Principis sit injuriam, sibi factam, vindicare, nam
& ipsius injuria est violare portum, qui omnibus amicis
aequo jure patet. Et quid si, qui vim fecit, mox ab-
eat? ille privatus, cuius forte navis capta est, bella ge-
ret suo sumptu? Recte igitur etiam sumptus mentio
omissa est §. 35. Pact. Commerc. quo inter eosdem idem
convenit 10. Aug. 1678. (5) & §. 40. Pact. Commerc.
inter eosdem 20. Sept. 1697. (6) & iterum §. 39. Pact.
Commerc. inter eosdem 11. Apr. 1713. (7) solent enim
pacta posteriora, sine ullo fere examine, ex prioribus
describi, ut & de Anglis modo vidimus. Simpliciter
ajunt omnes illi §§. Pactorum inter Francos & Ordines
Foederatos, Dominum portus, sinus, fluvii, in quo
prae-

(1) Plac. II. 4. 28. 2. 2.

(2) Ibidem II. Append. p. 2879.

(3) Ibidem III. 1. 13. 28.

(4) Ibidem II. Append. p. 2918.

(5) Ibidem III. 1. 13. 34.

(6) Ibidem IV. 1. 13. p. 322.

(7) Ibidem V. 1. 13. p. 423.

praeda agitur in amicum, omni ope curaturum, ut, quod ibi captum est, probe recte restituatur. Si Principis est hoc curare, & quidem omni ope, curabit sumptu suo, quin & bello, si alia ratio non suppetat. Est hoc jus, quod inter omnes peraeque Gentes custoditur, & ejus non alia ratio est, quam quod vim inferre non liceat in alieno territorio, & quod in Principis territorio quoque sint portus, sinus, fluvii. Secundum haec Dux Tusciae anno 1695. curavit, ut Gallus, qui prope portum Liburnensem navem Foederatorum contra Gallos, sed Magni Ducis amicorum, occupaverat & in portum Liburnensem adduxerat, quantocytus restitueret; ea enim, quae portibus proxima sunt, ejusdem, ut dixi, Ditionis esse existimantur.

Ex his licet intelligere, quo jure quave injuria censenda sint sequentia exempla. Cum anno 1639. Archithalassus Tromp Classem Hispanorum, qui Anglorum amici erant, obsedisset in portu Anglico, qui dicitur *Duyns*, Ordines Generales, 21. & 30. Sept. 1639. factis decretis, Archithalasso suo mandarunt *de Spaansche Vloot te vernielen, sonder eenige aanschouw of regard te nemen op de Havenen, Reeden of Baayen van de Conningryken, waar de zelve zoude zyn te bekomen*, etiam si Angli aliique resisterent, quemadmodum & mox Archithalassus id mandatum exsequutus est, laudantibus & probantibus Ordinibus Generalibus, ut haec omnia variis locis commemorat Aitzema (9). Vix est, ut haec defendi possint, ut nec defendi potest, quod Angli 12. Aug. 1665. Bergae in Norvegia oppugnaverint naves Societatis Indiae Orientalis, non sine indignatione Da-

no-

[9] L. XIX, p. 215-217, 222, 233, & 234. 240, & 242.

62 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

norum, qui & omni ope Anglos repulere (10). Ne autem illud Trompii factum nimis injuriosum videatur, duo animadvertenda sunt; alterum, quod & Angli anno 1627. navem Regis Franciae, tunc Anglorum hostis, sed Ordinum Generalium amici, ex Hollandia raperant (11); alterum, quod & ipsi Hispani anno 1631. adversus Ordinum Generalium naves in portibus Regis Dani, communis amici, vim bellicam fecisse arguebantur, ut lego apud Aitzema (12). Alioquin, si nihil proponatur, quod retorsioni locum dare possit, injustum esse hostem aggredi in communis amici portu, plusquam manifestum est; & sic ad Legati Angli petitionem anno 1623. ipsi quoque Ordines Generales decreverant (13). Atque inde, cum anno 1666. Ordinum Generalium Navarchi naves Anglorum hostiliter exceperissent in Albi, amico flumine, multum ea de re querelarum est factum non tantum ab Anglis, sed & ab Hamburgenibus variisque Imperii Germanici Legatis (14). Anglis quidem quiritantibus facile os obturari poterat ex iis, quae anno praecedenti Bergae in Norvegia acciderant, reliquis non poterat, ex sola enim retorsione subsistebat illa aggressio. Neque igitur dubitandum est, quin satis quoque injustum sit, quod Franci anno

1693.

(10) Prolix haec sunt apud Aitzema L. XLV. p. 981. 986. 1012. & 1165. L. XLVI. p. 115-119. & L. XLVII. p. 376.

(11) Sic narrat ipse ille Aitzema L. VII. p. 360. De quo vide & L. IX. p. 764. & L. XIX. p. 240. & 242. & his omnibus adde L. XX. p. 17-21.

(12) L. XI. p. 455.

(13) Aitzema L. III. p. 560.

(14) Sic est in *de Hollandische Mercurius* 1666. p. 131-134. & apud Aitzema L. XLV. p. 1321-1341. & L. XLVI. p. 686. & L. XLVII. p. 88. 99. & 101.

1693. quasdam Zelandorum naves in portu Lisbonnen-
si, utrisque amico, cum Lysitaniae Rex eas neque ex-
trahi, neque tormentis peti passus esset, igne immisso
succenderunt. Quod mea memoria factum memini.

Magis dubitari posset, an hostem, in mari aperto de-
prehensum, dum oppugnamus & caedimus, persequi
liceat usque ad amici flumen, stationem, portum, si-
num? Et magis est, ut liceat, exhibitis cautionibus
quibusdam, quas sic enarrabo. Sane ea fuit Ordinum
Generalium sententia anno 1623. cum Legato Anglico
responderint (15), non quidem licere vim facere in portu
communis amici, met dien verstande nogtans, dat men
hoop te zyne Majestetit zoude niet qualyk nemen, dat men
in Zee opdoende en vervolgende eenige Duynkerkers, de
zelve zoude moghen investieren en costoyerent tot in zyne
Konings havenen. Ea eorundem Ordinum sententia vi-
detur expressa in Decreto 10. Oct. 1652. (16) ita ta-
men, quemadmodum opportune ibi additur, ut Castel-
lis amicorum parcatur, etsi ex iis vis fiat, utque etiam
parcatur hostibus, si ipsos amicorum portus jam subie-
rint. Utraque exceptio habet rationem, nam justius est
in alterius Imperio pati, quam agere, &, si agamus,
omni modo cavendum est, ne vis, hosti facta, etiam
amico noceat. Si igitur duae Classes confligant in mari a-
perto, & altera cedat, non intercedo, quominus victor
recte persequatur Classem victam, quamvis haec ad ter-
ritorium amici pellatur. Probo tamen, quod Ordines
Generales in d. Decreto 10. Oct. 1652. intra ipsum por-
tum a vi temperandum censuerint, quia absque amico-
rum

(15) Aitzema L. III. p. 560.

(16) Idem L. XXXII. p. 739. 740. & 778.

64 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rum periculo ibi vis fieri nequit. Secundum haec in mari, terrae proximo, quosque tormenta Castellorum exploduntur, vim quidem inchoare non licet, sed inchoatam licebit persequi, dum persequimur hostem in mari ~~et~~ ^{et} sub terram, etiam sub terram, aut in flumine, aut in sinu forte aliquo, dummodo Castellis, etiam hostem juvantibus, parcamus, & omne amicorum periculum absit.

Ex factis, quae postea inciderunt, etiam haec videntur probasse Ordines Generales: quum enim anno 1654. Navarcha Hollandus navem Anglicam, in mari comprehensam, & ad portum Liburnensem fugientem, occupasset, etiam tunc, cum navis Anglicae jam funem in terram projecerat, Dux quidem Tusciae ea de re questus est ad Ordines Generales, sed nequicquam quesum esse legimus (¹⁷). Vide tamen, an non ipse Dux id postea vindicaverit; publicata nempe nave, quae opportunitatem praebuerat occupandae istius Anglicae (¹⁸). Rursus cum Ostendenses tormenta sua explosissent in navam Hollandicam, quae Anglicam persequebatur usque ad Ostendam, Ordines Generales anno 1665. de ea re, atque de re illicita, questi sunt apud Hispanos (¹⁹), etiam ideo, quod navis Hollandica in Anglicam sub Ostendam tormenta non explosisset. Sed ea ratio nihil quicquam valet nisi ad exaggerandam Ostendensium injuriam, neque enim interest, qua vi hostem petas, sed an petas hostiliter. Interea vides, utramque, quam dixi, persequutionem probasse Ordines Generales, quod vis, ante coepta, non nisi continua esset.

Quod

(17) Aitzema L. XXXIV. p. 165. & 107.

(18) Apud eundem d. L. XXXIV. p. 202.

(19) Apud eundem L. XLV. p. 911. & 922.

Quod juris est in mari, idem est & in terra, ut nempe & hic in alterius Imperio recte persequamur hostem, ex recenti praelio fugientem. In hanc sententiam accipio, quod Ordines Generales anno 1653. decreverunt (20), eos milites Lotharingos, qui Ordinum Generalium Ditionem populaſſent, etiam in Imperio Regis Hispaniarum liceret perſequi; id enim defendi nequit, niſi intelligas de flagranti perſequutione ex conflictu vel populatione, qui quaeve praecellit. Alioquin non magis amici territorio, quam portu, uti licet ad caedendum hostem. Et recte Ordines Generales, ad petitionem Regis Franciae, inter quem & Hispanos pax erat, capitis poena posita vetuerunt (21), ne quis ex Ditione Regis Franciae praedam in Hispanos ageret. Juxta quoque Ordinum Generalium contra Hispanos querela, quum anno 1666. ex eorum territorio Monasterienses praedati essent in Imperio Ordinum Generalium, repetito ab Hispanis damno, a Monasteriensibus dato; iusta, inquam, si Hispani volentes & scientes fuissent passi, Monasterienses, praedam acturos, per suum territorium transfire, de eo enim non usquequaque videbatur constare (22). Si scivissent, eorum erat impedire, ne qua vis amicis fieret ex suo territorio. Quare nec probo, quod anno 1700. Guelferbytienses, qui neutrorum partium fuiffe perhibentur, ex suo territorio Saxonibus permiserint Lunenburgenses depraedari, itemque Luneburgensium foederatis Saxones caedere. Ad summum largiendum est, praelio recens commisso, hostem fugien-

(20) Aitzema L. XXXIII. p. 1012.

(21) Apud eundem L. II. p. 114.

(22) De his omnibus Aitzema L. XLVI. p. 637. 645. & ſeqq. p. 665.

835. & ſeqq.

66 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

gientem persequi licere in alterius Imperio, ea ipsa ratione, qua in flagranti delicto eum, qui deliquit, in continenti in territorio non nostro persequi permittit Philippus II. Hispan. Rex in §. 76. Edicti de Criminibus anni 1570. Sed aliud est vim inchoare, aliud, calente negotio, vi instare. Scilicet novum non est, valere quid, etiam si in eam causam deductum sit, unde incipere non posset. Uno verbo: territorium communis amici valet ad prohibendam vim, quae ibi inchoatur, non valet ad inhibendam, quae, extra territorium inchoata, dum servet opus, in ipso territorio continuatur.

Atque ita quidem non absurde disputari & distingui videtur posse: neque tamen in ejusmodi quaestionibus ullam hujus distinctionis mentionem factam video, vel apud Scriptores Juris publici, vel apud Gentes Europeas, si Belgas Foederatos excipias. Nihilominus ratio hanc distinctionem suadet & imperat, nec ab ea alienis est usus in aliis juris articulis. Si hanc sequamur, etiam de pleno sententiam dicemus de hoc facto: Cum navis Franciea persequeretur Hispanam hostilem, haec fugit in Torbay, en set het op strand, en berg zyne touwen, takels, zeilen &c. in de huysen der inwoonders. Franci epibatae descendunt in terram, & ista navis armamenta ex domibus illis extrahunt, & conferunt in sram navem. Quid dices? an licuit Francis Anglorum domos aggredi, & quae ibi servata erant, auferre? non licuit citra Anglorum injuriam. Optimo igitur jure Rex Angliae anno 1668. omnia capta restitui jussit, reliqua injuriae persecutione Legati suo in Francia mandata, ut auctor est Aitzema⁽²³⁾. Narrat ipse ille⁽²⁴⁾ & alias

(23) L. XLVIII. p. 29. & 30.

(24) Ibidem loci.

alias Anglorum querelas de portibus Angliae a Francis violatis, & de damno, ab his restituto, sed haec omnia non exequor, quia de iis ipse judicabis, adhibita distinctione, quam modo suggessi, si haec & tibi aequa placeat, quam mihi.

C A P U T I X.

De Statu belli inter non hostes.

Non hostes appello, qui neutrarum partium sunt, nec ex foedere his illisve quicquam debent; si quid debeant, Foederati sunt, non simpliciter amici. *In Bello medios* dixit Grotius *L. III. de Jure B. & P. C. 17.* De his quaeritur, quid facere vel non facere possint inter duos hostes? omnia, forte inquies, quae potuerunt, cum pax esset inter eos, quos inter nunc bellum est, belli enim conditio non videbatur porrigena ultra eos, qui invicem bellum gerunt. An, inquies, ratio admittit, ut hostes nostros etiam amicorum hostes esse putemus? quidni igitur amici nostri ad amicos suos, quamvis nostros hostes, ea adserunt, quae ante adulterunt: arma, viros, reliqua? utilitas equidem nostra non admittit, sed de ratione, non de utilitate omnis disputatio est. Sola injuria belli causa, & dices, injuriam non egredi personam ejus, qui injuriam passus est, nisi, si Princeps injuriam patiatur, quod ea quoque pertineat ad omnes subditos, non vero ad eos, qui subditi non sunt. Atque inde efficeretur, amici mei hostem meum hostem non esse, verum integrum cum eo omnem amicitiam constare, plane ut ante bellum constabat.

68 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Hanc doctrinam videntur probasse Ordinum Generaliū Consiliarii, cum, iis referentibus, ordines Generales 3. Mart. 1640. edixerint (¹), naar alle oud gebruyk, en naar de ordre van neutraliteit, liberum esse non hostibus (*neutrale Luyden*) & nobis & hosti nostro, ex animi sui sententia militare. Et quum Hispani 30. Mart. 1639. edixissent, si quis Leodensis Ordinibus Generalibus militaret, intra mensem reverteretur, praestito jurejurando, se non amplius contra Hispanos aut Dominum Austriacam militaturum, sin autem, omnis gratia ei negaretur, Ordinum Generalium nomine eo 3. Mart. 1640. factum est simile Edictum ~~ancrefluxor~~, cuius sic memini, tamdiu valitum, quam valeret illud Hispanicum, quod in d. Edicto. 3. Mart. 1640. ut penitus novum, & ab omni ratione alienum traducitur, his fere formulis, *onredelyk Placaat, zoodanige nieuwigheden onredelykheid, zoo lange die van de Spaansche Regering in de voorsz. beure onredelykheid zullen blyven continueren &c.* Non alia quoque sicut Hollandorum quorundam sententia, dicta in Comitiis Ordinum Hollandiae 26. Febr. 1684. (²) cum urgebant, Hispanis, quibus contra Francos uterentur, auxiliares Copias a Belgis Foederatis esse mittendas, id enim fieri posse salva pace & amicitia cum Francis.

Sed profecto eam sententiam probandum non est, si de his agamus, qui simpliciter sunt amici. Horum officium est, omni modo cavere, ne se bello interponant, & his, quam illis partibus sint vel aequiores vel iniquiores.

(1) *Plac. II. 4. 8. 4.*

(2) *In de Confederation van Staatsaken, stukken, rakenende de binnelandeske aaken n. 14. p. 75.*

res. Id ipsum est, quod apud Livium lego *L. XXXV.* *C. 48. Bello se non interponant*, hoc est, in causa belli alterum alteri ne praferant, & eo solo recte defunguntur, qui neutrarum partium sunt. Nescio, an satisfaciant, quae Grotius dixit *L. III. de Jure B. & P. C. 17. §. 3.* *Eorum, qui a bello abstinent, officium est, nihil facere, quo validior fiat is, qui improbam foveat causam, aut quo justum bellum gerentis motus impedianter.* Si recte judico, belli iustitia vel injustitia nihil quicquam pertinet ad communem amicum, ejus non est, inter utrumque amicum, sibi invicem hostem, sedere judicem, & ex causa aequiore vel iniquiore huic illive plus minusve tribuere vel negare. Si medius sim, alteri non possum prodesse, ut alteri noceam. Sed, ayes, utriusque mittam, quicquid mihi videbitur, & sic postulat ratio amicitiae; si, quod alteri miseram, ille utatur in necem alterius, quid ad me? At tu noli sic sapere, quin potius crede, amicorum nostrorum hostes bifariam considerandos esse, vel ut amicos nostros, vel ut amicorum nostrorum hostes. Si ut amicos consideres, recte nobis iis adesse liceret ope consilio, eosque juvare milite auxiliari, armis, & quibuscumque aliis, quibus in bello opus habent. Quatenus autem amicorum nostrorum hostes sunt, id nobis facere non licet, quia sic alterum alteri in bello praferremus, quod vetat aequalitas amicitiae, cui in primis studendum est. Praefstat cum utroque amicitiam conservare, quam alteri in bello favere, & sic alterius amicitiae tacite renunciare.

Et sane id, quod modo dicebam, non tantum ratio docet, sed & usus, inter omnes fere Gentes receptus. Quamvis enim libera sint cum amicorum nostrorum hostibus commercia, usu tamen placuit, ut *Capite proximo*

70 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Iatius ostendam, ne alterutrum his rebus juvemus, quibus bellum contra amicos nostros instruatur & soveatur. Non licet igitur alterutri advehere ea, quibus in bello gerendo opus habet, ut sunt tormenta, arma, &c., quorum praecipuus in bello usus, milites; quin & milites variis Gentium pactis excepti sunt, excepta quandoque & navium materia, si quam maxime ea indigeat hostis ad exstruendas naves, quibus contra amicos nostros ute-
retur. Excepta saepe & cibaria, quando ab amicis nos-
tris obsidione premuntur hostes, aut alias fame laborant. Optimo jure interdictum est, ne quid eorum hostibus subministremus, quia his rebus nos ipsi quodammodo videremur amicis nostris bellum facere. Igitur si hostes simpliciter consideremus ut amicos, recte cum iis com-
mercia exercemus, & merces quascunque ad eos mittimus, si consideremus ut amicorum nostrorum hostes, excipiuntur merces, quibus in bello amicis nostris no-
ceatur, & haec ratio priorem vincit, quomodounque enim alteri contra alterum succurramus, bello nos in-
terponimus, quod salva amicitia non licet. Ex his ipse judica, an justius fuerit illud Edictum Hispanorum 30. Mart. 1639. an vero Ordinum Generalium 3. Mart. 1640. de quo utroque supra dixi.

Exposui compendio, quid mihi videatur de officio eorum, qui ex foedere nihil quicquam debent, sed per-
fecte sunt neutrarum partium. Hos simpliciter *amicos* appellavi, ut a Foederatis & Sociis distinguerem. Si rec-
te disputavi, placere non potest, quod video placere plerisque, qui de Jure Publico scripsérunt, alterum nem-
pe amicum, cuius causa potior & justior mihi videtur,
a me juvari & posse & deberi, neque tantum rebus bel-
licis, sed & aperto bello, si res postulat. Improbe, re-
bus

bus enim alienis se immiscere nequaquam probum est. Cum uterque amicus in me non compromiserit, ecur Principes, qui sui juris sunt, meo judicio stabunt cadentve? mearum partium non est, omnes omnium Principum injurias vindicare, sufficit, si vindicem, quae ad me meosque Foederatos pertinent. Sin autem tam manifesta sit alterius injurya, ut ab ea etiam mihi metuam, neque alia spes sit, quam ut postremus devorer, admitti forte posset, oppressum amicum esse defendendum, sed non nisi amicitia cum altero dissoluta, manente enim amicorum nomine bellum gerere, non potest non esse impium.

De Foederatus & Sociis longe alia inspectio est. Si duo, quibuscum foederatus sum, contra exterros bella gerant, utrique praestabo, quod ex legibus foederis praestandum est, sed si invicem bella gerant, an utriusque succurrat, an uni & cui potius? de hac quaestione non minor pugna est inter Interpretes, quam inter ipsas Gentes; varias variorum sententias recenset, & suam adjicit Gentilis *L. III. de Jure Bell. C. 18.* Non una distinctione causam transigit Grotius *L. II. de Jure B. & P. C. 15. §. 13.* & ex eo Zoucheus *de Jure Facial. Part. II. Sect. 4. Q. 28.* Sane utriusque Foederato non mittat Copias Auxiliares, si vel ex foedere debeantur, quia perabsurdum esset utriusque mittere milites meos, ut invicem pugnant & se mutuo confodian. Qui milites suos locant, saepe quidem sunt in pari causa, sed ea huc non pertinet. Ego vero, sive foederati mei adversus exterros agant, sive adversus se invicem, unice distinguendum reor, an & uter ex his justam belli gerendi causam habeat. Si uterque justum bellum gerat contra exterros, utriusque praestabo, quod ex foedere debo, si

alter

72 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

alter tantum , alteri negabo. Si duo mihi foederati se invicem aggrediantur , ex foedere satisfaciam ei , qui justiorem causam habet , & ipse ejus rei arbiter ero , ut mox audies. Atque ita commode possumus carere aliorum sententiis & distinctionibus.

Sed quid si Foederato & Socio auxilia promissa sint , & ei res sit cum amico meo ? Puto promissis standum esse , & stari posse , quia Foederati hactenus constituunt unam civitatem , communii auxilio defendendam. Sed & hic distinguendum est , an Foederatus meus injuriam patiatur , an ipse inferat ; si patiatur , promissa implebo , si inferat , non implebo , quia in causa improba non tenor adesse Foederato. Causa autem proba sit , an improba , ejus rei arbitrium erit penis promittentem. Vellem equidem , quod de causae probitate vel improbitate dixi , perspicue & rotunde pactis Gentium essent inferata , sed his , quae ipse vidi , simpliciter solet exprimi , Foederatum Foederato , *qui bello petitur* , missurum tot forte vel tot Copias terrestres vel , maritimas , & praeterea nihil. Sed cum pacta ajant , *qui bello petitur* , eorum alia interpretatio esset nequit , quam ei Foederato auxilia praestitum iri , qui nullo jure lacescit bello , qui ab hoste petitur , non qui hostem ipse petit. Verum nec alia ratione satis perspicua est illa locutio , *qui bello petitur* , quid enim si is , qui petitur , antea injuriam fecerit , & sic causam belli praebuerit ? an vel sic improbo Socio auxilia mittam ? non mittam. Praestaret dicere , *qui INJUSTO bello petitur* , auxilia missum iri , atque ita ei , qui causam belli non dederit , cuius culpa vel injuria bellum non incipit. Quamvis autem palam non exprimatur , semper tamen intelligitur haec tacita pactorum exceptio , quam & Grotius probavit d. L. II. de

*de Jure B. & P. C. 15. §. 13. n. 1. & L. II. C. 25. §.
4. nec scio esse, qui dissentiant.*

Qui auxilia promisit, & is solus, ut modo dicebam, aestimat quoque de justitia vel injustitia causae, & an *casus foederis*, ut vulgo loquuntur, existet, nec ne, neque enim partes contrahentes ea de re in arbitros solent compromittere, ut equidem par esset, ne, ut fit, foedera exponamus ludibrio. Quotusquisque alioquin est, qui non foedera interpretabitur, ut e re sua esse putaverit? qui non fallaci interpretatione pacta eluserit? Veteres Graeci & Romani, etiam in negotiis publicis, judicium de causae justitia vel injustitia saepe aliis permiserunt, ut probant exempla apud Grotium d. L. II. C. 25. §. 4. & sic oportebat. Sed id nunc est Juris Gentium abrogati, & inde omnium pactorum hodie fere inane nomen. Atque haec quidem de foederibus, quibus ante bellum auxilia promissa sunt, nam bello jam exorto, si me audias, neutri amico auxilia recte vel promittuntur, vel mittuntur, qui promiserit vel miserit alteri, alterius amicitiam violabit.

Hi, qui sub tuitione sunt (*die onder contributie sitten*) constituunt etiam genus quoddam intermedium, nam ex natura tuitionis non considerantur tanquam hostes, neque etiam tanquam subditi, cum ad alium Principem pertineant. Poslunt igitur suum Principem, quamvis nostrum hostem, juvare, sed non armis virisque, quibus contra nos bellum gerat. Quapropter Ordinum Generalium Consiliarii 17. Mart. 1641. (3) optimo jure edixerunt, ne qui ex territorio Luxemburgensi & Namurensi militarent Regi Hispaniarum, & rursus

18.

(3) *Plac. II. 4. 8. 5.*

Tom. V.

74. QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

18. Jul. 1646. (4) ne qui ex territorio Luxemburgensi, cum nempe utriusque essent sub tuitione Ordinum Generalem, & generaliter 14. Aug. 1645. (5) ne quisquam, qui sub tuitione esset (*neutrale, onder contributie sitten-de*) Hispaniarum Regi militare vellet, etiam si antea militasset, & ne quisquam, relicta militia, in eam denuo revocaretur. Idem quoque eorundem Ordinum Consiliarii 23. Febr. 1636. (6) edixerunt, ne quis eorum, qui sub tuitione essent, castra hostium juvaret equis, curribus, navibusve; recte, quia sic in causa belli hostibus operam praestaret. Aliud juris est in his rebus, quas, extra usum belli, ad hostes nostros deferunt, & ideo Ordines Generales, quamvis antea generaliter frumentum exportari voluerint, edixerunt tamen 23. Maj. 1631. (7) eos, qui sub tuitione sunt, frumentum suum tam ad Hispanos, quam ad Belgas Foederatos, prout voluerint, deferre posse. Frumentum scilicet etiam non hostis ad hostem recte advehit, excepta obsidionis famis-
ve causa.

Ordines Generales in §. 3. Edicti 26. Sept. 1590. (8) non hostem, ejusve naves & bona, et si in hostili loco, hostili modo excipi vetuerunt, si nempe ea in Belgium Foederatum destinata essent, vel ex eo in alias Regiones. Et tamen scribi video (9), atque si Ordines Generales generaliter edixissent 15. Dec. 1672. etiam non hostium naves, ex hostium portibus venientes, recte publicari. Sed ne credas rabulis illis forensibus,

qui

(4) *Plac. II. 4. 8. 7.*

(5) *Ibidem II. 4. 8. 6.*

(6) *Ibidem II. 4. 8. 3.*

(7) *Ibidem I. 2. 23. 2. 1.*

(8) *Ibidem II. 4. 6. 1. 4.*

(9) *Bello Juridico Casu 52. n. 2. & Casu 99. n. 2.*

qui id scripserunt, est enim d. Edictum 15. Dec. 1672. singulare, & non nisi jure retorsionis factum contra publicationem captae navis Hamburgensis, ut supra exposui C. V.

C A P U T X.

De his, quae ad amicorum nostrorum hostes non reete advehuntur.

Barbaris arma vendere Romae olim capitale fuit l. 2. C. Quae res export. non deb. capitale scilicet in subditis, de quibus solis Romani leges ferebant. Et constat etiam hodie, ubique Gentium capitale esse, si quis subditus arma ad hostes vehat. Quin ex §. 1. facerrimi Edicti Ordinum Generalium contra Anglos 5. Dec. 1652. (1) pro hoste habetur, qui ulla omnino merces ad Anglos veheret, nec subditus tantum, sed & peregrinus. Quod in §. 2. Ed. Ordinum Generalium contra Lysitanos 31. Dec. 1657. (2) justius restringitur ad tā contrabanda, nam eam vocem, usū, receptam, servamus. Ex §. 1. Ed. Ordinum Generalium 14. Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. contra Francos & Anglos, & ex §. 1. Ed. 19. Mart. 1665. (3) contra Anglos, tanquam hostis van den Staat punitur, si quis ad hostem vehat eenige munitie van Oorlog, vivres, of eenige materialen, dienende tot uytrusting van Schepen, of eenige andere verbode waren. Idemque juris est in peregrino,

qui

(1) Plac. I. 2. 22. 4. 2.

(2) Ibidem II. 4. 28. 1. 2.

(3) Sunt ea Edicta ibidem III. 1. 9. 1.

76 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

qui ea ex his Regionibus ad hostes advehit.

Sed de subditis Ordinum & cujuscunque Principis est statuere, ut libet, de peregrinis non etiam. Unde belle quaeritur, quid Iure Gentium liceat nobis ad amicorum nostrorum hostes advehere, vel, quod tantundem est, quid amicis liceat ad nostros hostes? Quicquid non licet, si amicus deprehendat, optimo jure publicatur, & eo solo absolvitur poena mittentis amici. Grotius *de Jure B. & P. L. III. C. I. §. 5. n. 1. 2. 3.* in eo argumento occupatus, distinguit inter res, quae in bello usum habent, & quae nullum habent, & quae promiseui usus sunt, tam in bello, quam extra bellum. Primum genus non hostes hostibus nostris advehere prohibet, secundum permittit, tertium nunc prohibet, nunc permittit. Si sequamur, quae *Capite praecedenti* disputata sunt, de primo & secundo genere non est, quod magnopere laboremus. In tertio genere distinguit Grotius & permittit res promiscui usus intercipere, sed in casu necessitatis, si aliter me meaque tueri non possim, & quidem sub onere restitutioonis. Verum, ut alia paeteream, quis arbiter erit ejus necessitatis, nam facillimum est eam praetexere? an ipse ego, qui intercepi? Sic, puto, ei sedet, sed in causa mea me federe judicem omnes leges omniaque jura prohibit, nisi quod usus, Tyrannorum omnium princeps, admittat, ubi foedera inter Principes explicanda sunt. Nec etiam potui animadvertere, mores Gentium hanc Grotii distinctionem probasse, magis probarunt, quod deinde ait, neque obsecris licere res promiscui usus advehere, sic enim alteri prodeßem in necem alterius, ut latius intelliges ex *Capite seq.* Quod autem ipse ille Grotius tandem addit, distinguendum esse inter bel-

belli justitiam & injustitiam, ad Foederatos, certo casu, pertinere posse, sed ad eos, qui neutrarum partium sunt, nunquam pertinere, *Capite praeced.* mihi visus sum probasse.

Jus Gentium commune in hanc rem non aliunde licet discere, quam ex ratione & usu. Ratio jubet, ut duobus, invicem hostibus, sed mihi amicis, aequa amicus sim, & inde efficitur, ne in causa belli alterum alteri praferam. Usus intelligitur ex perpetua quodammodo paciscendi edicendique consuetudine: pactis enim Principes saepe id egerunt in casum belli, saepe etiam Edictis contra quoscunque, flagrante jam bello. Dixi, *ex perpetua quodammodo consuetudine*, quia unum forte alterumve pactum, quod a consuetudine recedit, Jus Gentium non mutat. Inter omnes fere Gentes convenit, ne amico liceat ad hostem vehere arma, aliave, quae veniunt appellatione *contrabande goederen*, sed tamen §. 10. Pacis Westmonast. inter Anglos & Lysitanos initae anno 1654. pactum est, Anglis ea liceret advehere Lysitanorum hostibus, ut observat Zentgravius *de Orig. Verit. & Obligat. Juris Gentium Art. 7. §. 8. p. m. 296. & 297.* Utque id ipsum Belgis Foederatis liceret, ab iisdem Lysitanis obtinuerunt §. 12. Pacis inter eosdem 6. Aug. 1661. (4) Ceteroquin regula est, pactis fere perpetuis probata, ne non hostes ad hostes nostros vehant *contrabande goederen*, si vehant & deprehendantur, in commissum cadant, exceptis autem his libere utrimque mercantur, & quaecunque alia ad hostes vehunt impune.

Secundum haec liberum erat Belgis cum Francis quarum-

(4) *Plac. II. Append. p. 2850.*

78 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rumcunque rerum commercium, quemadmodum cum nondum bellum esset inter Hispanos & Francos §. 3. Pacti marini inter Hispan. & Ordines Gener. 17 Dec. 1650. (5) ita tamen, ne Belgae ex Ditionibus Hispanis ea veherent ad Francos, die tegen Spangien zonden kunnen dienen §. 4. ad alios autem Hispanorum hostes Belgae τὰ contrabanda vehere vetantur §. 5. *ibid.* &, quae eo nomine veniant, expressum est §. 6. Rursus in §. 2. d. Ed. Ordinum Generalium contra Anglos 5. Dec. 1652. non hostibus interdicitur Anglis advehere eenige Munitie van Oorloge, of eenige Materialen, dienende tot uytrusting van Schepen. De contrabandis idem cautam est §. 2. d. Edictorum 1665. 1672. & 1673. enumeratis variis ejusmodi rerum prohibitarum speciebus, iisque hoc adjecto, ende alle andere toerusting, ten gebruyke van den Oorlog gefatsoeneert en gemaakt. Similia sere sunt in §. 27. & 28. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (6) & in §. 3. Pacti marini inter Carolum II. Anglia Reg. & Ordines Gener. 1. Dec. 1674. (7) & in §. 3. Pact. commerc. inter Regem Suecorum & Ordines Gener. 26. Nov. 1675 (8) & in §. 15. Pacti marini inter eosdem 12. Oct. 1679. (9) & in §. 15. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 10. Aug. 1671. (10) & in §. 11. Edicti Ordinum Generalium de Contrabandis 28. Jul. 1705. (11) aliisque aliarum Gentium Pactis, quorum quaedam etiam recenset Zentgravius d. Art. 7. §. 8.

Ex

(5) Plac. I. 1. 2. 5.

(6) Ibidem II. Append. p. 2913.

(7) Ibidem III. I. 13. 31.

(8) Ibidem III. I. 13. 32.

(9) Ibidem III. II. 10.

(10) Ibidem III. I. 13. 34.

(11) Plac. V. I. 9. p. 352.

Ex his fere intelligo, *contrabanda* dici, quae, uti sunt, bello apta esse possunt, nec quicquam interesse, an & extra bellum usum praebeant. Paucissima sunt belli instrumenta, quae non & extra bellum praebeant usum sui. Enses gestamus ornamenti causa, gladiis animadvertisimus in facinorosos, & ipso pulvere bellico utimur pro oblectamento, & ad testandam publice laetitiam, nec tamen dubitamus, quin ea veniant nomine *contrabande waren*. De his, quae promiscui usus sunt, nullus disputandi esset finis, & nullus quoque, si de necessitate sequamur Grotii sententiam, & varias, quas adjicit, distinctiones. Excute pacta Gentium, quae diximus, excute & alia, quae alibi exstant, & reperies, omnia illa appellari *contrabanda*, quae, uti hostibus suggeruntur, bellis gerendis inserviunt, sive instrumenta bellica sint, sive materia per se bello apta: nam quod Ordines Generales 6. Maj. 1667. contra Suecos decrevunt⁽¹²⁾, etiam materiam, bello non aptam, sed quae facile bello aptari possit, pro *contrabanda* esse habendam, singularem rationem habebat, ex jure nempe retorsionis, ut ipsi Ordines in eo Decreto significant.

Atque inde judicabis, an ipsa materia rerum prohibitarum quoque sit prohibita? Et in eam sententiam, si quid tamen definiat, proclivior esse videtur Zoucheus de *Jure Feciali Part. II. Sect. 8. Q. 8.* Ego non essem, qui ratio & exempla me movent in contrarium. Si omnem materiam prohibeas, ex qua quid bello aptari possit, ingens esset catalogus rerum prohibitarum, quia nulla fere materia est, ex qua non saltem aliquid, bel-

(12) Aitzema L. XLVII. p. 466. & seqq. & Consil. Belg. T. II. Con- fil. 64.

80 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

bello aptum, facile fabricemus. Hac interdicta, tantum non omni commercio interdicimus, quod valde esset inutile. Et §. 4. d. Pacti 1. Dec. 1674. & §. 4. d. Pacti 26. Nov. 1675. & §. 16. d. Pacti 12. Oct. 1679. amicos hostibus, quibus arma non licet, permittunt advehere ferrum, aes, metallum, materiam navium, omnia denique, quae ad usum belli parata non sunt. Quandoque tamen accidit, ut & navium materia prohibetur, si hostis ea quam maxime indigeat, & absque ea commode bellum gerere haud possit. Quum Ordines Generales in §. 2. Edicti contra Lysitanos 31. Dec. 1657. (13) iis, quae communi Populorum usu *contrabanda* censentur, Lysitanos juvari vetuissent, specialiter addunt in §. 3. ejusdem Edicti, quia nihil nisi mari a Lysitanis metuebant, ne quis etiam navium materiam iis advehere vellet, palam sic navium materia a *contrabandis* distincta, sed ob speciale rationem addita. Ob eandem causam navium materia conjungitur cum instrumentis belli in §. 2. d. Edicti contra Anglos 5. Dec. 1652. & in Edicto Ordinum Generalium contra Francos 9. Mart. 1689. (14) Sed sunt hae exceptiones, quae regulam confirmant.

Quaesitum est, an vaginae pro armis & instrumentis belli sint habendae? & habendas esse a Judicibus militibus judicatum refert Petrinus Bellus de *Re militari Part. IX. n. 26. 27. & 28.* quam tamen sententiam ipse improbat. Zoucheus de *Jure Feiali Part. II. Sect. 8. Q. 9.* rationes in utramque partem ex Bello descriptissim contentus, nihil ipse, pro more suo, definit. Ego.

Ju-

(13) *Plac. II. 4. 28. 1. 2.*(14) *Ibidem IV. 1. 9. 1.*

Judicium militarium sententiam probarem, Belli non probarem, quia vagina, utcunque promiscui usus, paratum tamen est bello instrumentum. Sine vaginis nullus ensium usus, & sine ensibus nulla bella. Quin & holsters, zadels, draagbanden inter τα contrabanda numerantur in d. §. §. 2. & 3. & 5. eorum Edictorum Pactorumque, quorum supra memini. *Holsters*, quod ad usum, nihil quicquam a vaginis differunt; illa scloporum, hae ensium reconditoria sunt. Sane ob numerum exiguum earum aliarumque mercium prohibitarum res forte excusari posset; & d. §. 3. Pacti 26. Nov. 1675. hanc quoque habet exceptionem, nisi ea instrumenta adeo pauca fuerint, ut inde judicari possit, ad usum belli non esse destinata.

Quid dicemus de *m̄is benzels tot degens*? idem puto, quod de vaginis, sunt enim instrumenta bello parata & apta, & recensentur quoque inter merces prohibitas in quibusdaim Edictis & Pactis, quae supra attulii. De nitro, *salpeter*, magis dubitari posset, quia per se materiam belli non praestat, & tamen *salpeter* continetur omnibus fere, quos indicavi, catalogis rerum prohibitarum, nam ex nitro maxime fit pulvis bellicus, praecipuus nunc belli fomes. Quin animadvertis, nitrum saepe exprimi, omissa mentione pulveris bellici, saepe etiam ea addita. Ubi omissa est, ipsum nitrum succedit loco pulveris bellici, ubi addita, pro synonimis habentur, nisi nitrum, ob praecipuum ejus in bello usum, exceperint Gentes a materiis, per se bello non aptis. De Tabaco magnis animis inter Hispanos & Anglos quaesitum esse refert Zoucheus Part. II. de Jure Fec. Sect. 8. Q. 12. & ab Hispanis judicatum, inter res vetitas esse, adeo propterea indignantibus An-

§2 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

glis, ut etiam contra Hispanos repressalias concederint. Sed an ea controversia de tabaco tandem in fumum abierit, nescio; hoc scio, me Hispanis non consentire, quia verum est, tabaci nullum esse usum ad caedendum hostem. Quin & non hostis ad amicorum hostem recte tabacum veheret ex d. §§. 3. 4. 15. & 16. licet enim secundum eos §§. amicorum hostibus omnia advehere, quae, ita uti sunt, bello non sunt apta, & nominatim inter licitas merces tabacum numeratur in d. §. 4. Pacti I. Dec 1674.

Si pignus publicetur, jus pignoris non extingui, certum est ex l. 22. §. 1. ff. de *Jure Fisc.* Unde, cum amici ~~in~~ contrabande goederen ad hostes nostros destinassent, eaque pro mercede transvectionis nautis obligassent, si in itinere deprehenderentur, & contrabanda publicarentur, nautus, tanquam itinere perfecto, mercedem suam inde habituros responsum est *Consil. Belg. T. IV.* *Consil. 208. n. 1.* & 2. & relatum, ita judicasse Admiralitatem Noord-Hollandicam 6. Maj. 1665. & Frisicam 12. Jul. ejusdem anni, quia scilicet res transit cum suo onere, quia Fiscus cedit creditoribus, & quae alia sunt ejusdem farinae. Sed contra judicavit Admiralitas Amsterdamensis 9. Jul. 1666. *verstekende de Eyschers van haar vragten in quaestie, gereserveert hun regt, daar zy meinen te behooren*, ut habetur d. *Consil. 208. n. 3.* Idque longe verissimum est, nam mercedes non debentur, nisi itinere perfecto, &, ne perficeretur, hostis jure prohibuit. Deinde publicantur *contrabanda* vel ex delicto, & ita nihil minus commiserunt navarchi, quam ipsi mercium vetitarum domini, vel, quod magis est, ex re, ex ipsa nimirum transvectione: qnamvis enim amico nostro non possimus commercio interdicere cum hoste

hoste nostro , possumus tamen prohibere , ne in bello illi prospicit in necem nostram. Atque ita , quod publicatur , publicabitur citra ullum ullius hominis respectum , & habebitur , ac si vi divina periisset , exstincto sic jure pignoris. Sed illis Consulteribus placuisse , navarchos in publicatis *contrabandis* praferendos , non miror , minor potius , quod non & dominos mercium vetitarum praetulerint , nam & hi jus in re habent , proprietatem nempe , quod omnium validissimum est.

Negant (15) , Foederati & socii nostri subditum , ad communem hostem commeantem , a nobis puniri , vel res ejus publicari posse , quemque enim Principem sua ipsius Edicta exsequi , adeoque nullas hic esse Foederatorum partes. Sed ratio , usus atque ipsa utilitas eam sententiam evertunt. Excute , si commodum est , quae ea de re habet Aitzema L. XLVI. p. 629. & 630. nam ipse abstineo , quia , si dicamus , quod res est , ad *contrabanda* haec quaestio proprie non pertinet.

(15) *Consil. Belg. T. IV. Consil. 214.*

C A P U T X I.

Obsessis Urbibus , Castris , Portibus an quicquam liceat advehere ?

Ex ratione communi & Gentium usu Urbibus obsessis nihil quicquam licet advehere , ut alia occasione supra dicebam C. IV. Id ipsum quoque dixit Grotius de Jure B. & P. L. III. C. I. §. 5. n. 3. improbat enim subvectionem , *si juris mei executionem rerum subiectio*

84 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

impedierit, idque scire potuerit, qui advexit, ut si oppidum obsecsum tenebam, si portus clausos, & jam deditio aut pax exspectabatur. Sola obsidio in causa est, cur nihil obsecsis subvehere liceat, sive contrabandum sit, sive non sit, nam obsecsi non tantum vi coguntur ad deditiōnem, sed & fame, & alia aliarum rerum penuria. Si quid eorum, quibus indigent, tibi adferre licet, ego forte cogerer obsidionem solvere, & sic facto tuo mihi noceres, quod iniquum est. Quia autem sciri nequit, quibus rebus obsecsi indigeant, quibus abundant, omnis subvectio vetita est, alioquin altercationum nullus omnino esset modus vel finis. Hactenus Grotii sententiae accedo, sed vellem, ne ibidem addidisset, tunc demum id verum esse, *si jam deditio aut pax exspectabatur, & mox, eum, qui sic tamen subvexit, teneri de damno, culpa dato, vel, si damnum nondum dederit, sed dare voluerit, jus esse rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obsidibus, pignoribus, aut alio modo.* Velle, inquam, ne haec addidisset Grotius, nam nec rationi conveniunt, nec pactis Gentium, quae mihi succurrerunt. Quae ratio me arbitrium constituit de futura deditione aut pace? &, si neutra exspectetur, jam licet obsecsis quaelibet advehere? imo nunquam licet, durante obsidione, & amici non est causam amici perdere, vel quoquo modo deteriorem facere. Et, qui advexit, non ultra tenebitur, quam de damno culpa dato? atquin in subditis id semper capitale fuit, quin & in amicis, Edicto ante monitis, saepe & in non monitis. Cumque privati sint, qui, lucro inhiantes, laborantibus obsecsis soleant subvenire, fac privatū sua subvectione effecisse, ne Urbs capiatur, vix putem, ulli privato tantum esse in arca, ut *damnum Urbis, sua culpa non*

non captae, resarcire posset. Rursus, si quis nondum advexit, sed, dum advehere voluit, deprehendatur, sola rerum interceptarum retentione erimus contenti, idque donec caveatur, nihil tale in posterum commissum iri? Ego ea sententia non utor, usū edoctus, ad minimum res interceptas publicari, saepe & poenam exigi, si non capitalem, aliam certe corporalem.

Nunc accipe pæcta quaedam in hanc rem: in §. 7. Pacti marini inter Regem Hispan. & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. (1) simpliciter convenit, etiam non *contrabanda* non licere advehere Urbibus locisve obseffis. Idem est in §. 29. Pact. commerc. inter Regem Galliae & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (2) & §. 4. Pacti marini inter Regem Angliae & Ordines Gener. 1. Dec. 1674. (3) & §. 16. Pact. commerc. inter Regem Galliae & Ordines Gener. 10. Aug. 1678. (4) & §. 16. Pact. commerc. inter Regem Sueciae & Ordines Gener. 12. Oct. 1679. (5) aliisque quam plurimis. Simpliciter autem ajunt omnes illi §§. illicitas esse ejusmodi subvectiones, nulla adjecta poena, sed, si illicitae sint, omnes utique res, obseffis subvectae, habendae sunt pro *contrabandis*, quicquid enim contra Paæta & Edicta subvehitur, *contrabandum* est. Atque his est consequens, ejusmodi subvecta, ut modo dicebam, ad minimum publicari, eadem plane ratione, qua publicantur omnia, quae proprie *contrabanda* audiunt. Et sic usus servat, ut ex sequentibus intelliges, & servat quoque, ut in eos, qui sub-

(1) Plac. I. 1. 2. 5.

(2) Ibidem II. Append. p. 2910.

(3) Ibidem III. 1. 13. 31.

(4) Ibidem III. 1. 13. 34.

(5) Ibidem III. 11. 10.

86 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

subvehunt, poena capitis aliave mitiori, ut res exigit, animadvertisatur.

Non tantum Urbes, sed & Castra possunt milite cingi & quasi obsideri. Quod si factum sit, non magis obsecsis Castris, quam Urbibus licebit quid advehere. Si obsecsa non sint, non animadverto, cur amici, qui neutrarum partium sunt, iis non recte advehant, quae advehere licet Urbibus, Portibus, aliisque hostium locis non obsecsis, hoc est, omnia, quae *contrabanda* non sunt. Et tamen Ordinum Generalium nomine eorum Consiliarii, absque ulla distinctione, edixerunt 9. Aug. 1622. (6) ut hostes esse habendos, qui quid veherent in Hispanorum Castra ad *Bergen op den Zoom*. Idemque iidem simpliciter 2. Sept. 1624. (7) qui quid veherent in Castra Hispanorum, & rursus in eandem sententiam 21. Mart. 1636. (8) Quod haud dubie iniquius est, quam ut defendi poscit, si nempe Castra obsecsa non sint, neque vectura fiat per nostrum territorium. Priora duo Edicta sunt & de Ordinum subditis, & de non hostibus, & de iis, qui sub Ordinum tuitione erant. Quod ad subditos quicquid imperat Princeps, recte imperatum habetur, sed quod ad non hostes, eosque, qui sub tuitione erant, illa Edicta non subsistunt, nisi ad sola *contrabanda* restringas. Tertium Edictum 21. Mart. 1636. est de non hostibus, qui cibaria aut instrumenta belli ad Fortalitia Hispanorum veherent, sed factum, ut est in Edicto, jure retorsionis, quum Hispani tanquam hostes accepissent eos, qui Trajectum ad Mosam commeatu & armis juvissent. Retorsio igitur duritiem Edicti tollit

quod

(6) *Ibidem* I. 2. 22. 3. n. 1.

(7) *Ibidem* n. 2.

(8) *Ibidem* n. 3.

quod ad cibaria, quae alioquin non hostibus advehere licet, si non contra pactum sit, arma non licet, etiam circa causam obsidionis, & eatenus undequaque justum est id Edictum. Quod ad reliqua, an recte Hispani, an recte Ordinis nostri decreverint & edixerint, a sola, nisi fallor, obsidionis causa pendet.

Quod in Urbibus vere obseffis obtinet, & ad Castra, quasi obfessa, idonea ratione translatum est, pertinet quoque ad Portus hostiles, qui navibus ciucti pro obfessis habentur. Illustrē in hanc rem est Decretum Ordinum Generalium 26. Jun. 1630. (9) factum ad Consultationem Admiralitatis Amsterdammensis, ex ejusdem & aliarum Admiralitatum consilio, quin &, ut probabile est, ex consilio privatorum, quod exstat *Consil. Holl. T. V. Consil. 161.* Quum illo anno 1630. Ordines navibus bellicis oram Flandriae maritimam haberent obfessam, quaesitum est, an non hostes ad eam possent applicare, & merces advehere vel evehere? decretum autem: dat *Schip en goed van neutralen, in of uyt vyandelyke havenen in Vlaanderen komende, of zoo na dezelve zynde, dat ongetwyfelt is, dat zy daar in willen loopen, geconfisqueert zullen werden, om dathaar Hoog Mogende de voorschre. havenen met Oorlog schepen continuelyk beset houden, om de commercie met den Vyand aldaar te beletten, 't welk vanouds in gebruyk is geweest, op 't exemplel van alle Princen, die ook gelyk regt in zodanige gevallen gebruyken.* Haec est prima Decreti sanctio; secunda etiam naves mercesque publicat, *indien uyt de vragtbrieven, of andere bescheiden bleek, dat de schepen na*

(9) Aitzema L. X. p. 177. & 178. & Append. *Consil. Holl. T. III. Amsterd.*
P. 54-57.

88 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

na de zelve Vlaamsche havenen gedestineert waren, niet tegenstaande zy nog verre daar van daan zynde wierden agterhaalt, ten ware zy proprio motu, eer zy in't gesigt of gevolg van 's Lands schepen raakten, re adhuc integra poeniterende, veranderden, 't geen pro re nata ex conjecturis & circumstantiis zoude geoordeelt worden. Tertia sanctio naves quoque cum onere publicat, welke uyt de voorschrijf. havenen komen (sonder nood daar in geraakt zynde) al wierden de zelve verre daar van daan genomen, zoo lang zy van die reyse in geen vrye havenen van haer of een neutraal geweest zyn, maar geweest zynde, niet, ten ware zy in't uytkommen der voorschrijf. havenen van 's Lands Schepen gevolgt, en in een andere haven, als haer eigen, of daar de reyse gedestineert was, gejaagt, en wederom uytkomende op zee vertovert wierden. Additur & quarta sanctio, quam supra C. IV. alia occasione exhibui & interpretatus sum; quare eam nunc tuto transmitto.

Sed neque negligenda est interpretatio priorum sanctionum, nam & in his quaedam occurruunt, quae interpretem desiderant. Non alia autem est prima functionis ratio, quam palam in ea exprimitur, quamque jus belli omnino exigit. Porro ait eadem sanctio: *of zoo na de zelve zynde, dat ongetwyfelt is, dat zy daar in willen loopen.* Scilicet bona, hostibus advehi vetita, si in confiniis hostium deprehendantur, praesumuntur hostibus advehi, non tantum ex frequentiori JCTorum sententia apud Zoucheum de Jure Feriali Part. II. Sect. 8. Q. 10. Sed & ex mente Ordinum Generalium, aperte testate cum hic, tum etiam in §. 4. Edicti contra Anglos 5. Dec. 1652. (10) & rursus contra eosdem §. 4. Edicti 19. Mart.

Mart. 1665. & contra eosdem & Francos §. 4. Edicti 14.
 Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. (11) nisi tamen probent,
 se tempestate eo esse abreptos, ubique §. 4. d. Edd. Quae
 exceptio & mox subsequitur in sanctione secunda. Sed
 ne ab ora Flandriae maritima discedam, idem plane
 quod ad hanc ipsam rem, jam olim tempore nascentis
 Reipublicae sancitum fuerat; ex Edictis quippe Comitis
 Leycestrani, quibus omni commercio cum Hispanis in-
 terdicit tam subditis, quam exteris, 4. Apr. 1586. (12)
 & §. 9. Edicti 4. Aug. 1586. (13) & ex Edicto Ordinum
 Hollandiae 27. Jul. 1584. (14) exteri non hostes, ad
 portus Flandriae commeantes, puniuntur navium mer-
 ciumque publicatione, hoc expresse addito: *die binnen
 de banken van Vlaanderen of op de kusten van eenige
 verboede havenen gevonden worden, zullen geoordeelt
 worden tegen dese Ordonnantie gedaan te hebben, ten
 ware zulks gebeurde door treffelyke en wel bekende nood.*
 Non igitur probanda est Cyni sententia, qui tunc de-
 mmum, ut ad hostes euntes, puniendos scripsit, quum
 eo jam sint progressi, unde locus redeundi non est.
 Non, inquam, probanda est ea sententia, quamvis
 probata Alberico Gentili *Advoc. Hispan. L. I. C. 20. p.
 m. 86.*

Haec de prima sanctione, secundam primae ratio de-
 fendit, quae enim proxima locis obseallis deprehendun-
 tur, non alia ratione publicantur, quam quod ex facto
 tacite ad hostem commeandi propositum colligatur,
 idemque esse, si id ex instrumentis perspicue constet,

non

(11) *Plat. III. 1. 9. 1.*

(12) *Ibidem I. 2. 22. 1. B. 2.*

(13) *Dicto loco n. 4.*

(14) *Ibidem n. 5.*

90 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

non est, cur dubitemus. Sed quod de poenitentia additur; difficilem inspectionem habet, si tamen mutati itineris existent idonea argumenta, ab ea sententia non abiverim.

In tertia sanctione eleganter distinctum est, in quem portum naves exeuntes fuerint compulsae, ut nempe in ipso actu deprehensae videantur, nam si in eum portum, in quem destinarent, pervenerint, absolutum iter intelligitur, & cessat publicatio. Sed ait disjunctum, *haar eigen of daar de reyse gedeftlineert was*, de quorum sensu & jure dubitari posset. Sane si proprius portus, & in quem destinatum erat, iidem sint, res quidem caret omni dubio. Sed si Anglus, qui ex Flandria destinarat in Daniam, in portum Anglicum compellatur, & enavigans, iter suum prosecuturus, deprehendatur, antequam portum Danicum subierit, mihi quidem in itinere & ipso actu videretur deprehendi, nec quicquam interesse, portus proprius sit, nec ne, quem ante subierat, si non iter, quod institutum erat, plane fuerit finitum. Unde in d. sanctione, quia disjuncta saepe pro conjunctis habentur, *proprium portum* intelligo, in quem simul iter destinatum erat, & *ta van die reyse* de absoluto itinere. Ecce exemplum: *navis Zierikzeensis capitul à Duinkerkanis, & Duinkerkae publicatur. Hanc emit Scotus.* Ex quarta sanctione hujus Decreti 26. Jun. 1630. quam exposui C. IV. integrum erat eam exeuntem, priusquam *suum vel alteris Principis portum* subierat, *eer het in syn eigen of andere vrye bavenen geeweest was*, intercipere & publicare, non autem postea. *Navis illa Scoti, Duinkerka exiens, deprehenditur, sed non apprehensa fugit in Farnouth, quo non destinaret, & inde rursus exiens capitul.* Quae situm est, an haec *navis jam subiisset proprium portum? & non dixerim,*

rim, quia non eum subiit, in quem destinarat. Ad Consultationem quoque Admiralitatis Zelandicae, factam 27. Jan. 1631. de hac ipsa specie, Ordines Generales rescripserunt, publicandam esse navem, & sic jam decretum fuisse d. 26. Jun. 1630. quemadmodum haec in Annalibus refert Aitzema (15). Ceterum, quod tercia sanctio ait de libero portu, *vrye baven*, ex quarta sanctione interpretationem capit, liberum nempe portum non intelligi, qui est sub eodem Rege.

Quum id Decretum 26. Jun. 1630. aliquamdiu non esset exercitum, & interim libere in Flandriam commatum, anno 1642. incidit, ut quaedam non hostium naves, eo commeantes, a nostris fuerint captae & in Zelandiam deductae; ibi autem, retentis & publicatis solis *contrabandis*, cetera omnia fuerunt dimissa & restituta. De contrabandis quae situm, an jure? Et sunt, qui negant Consil. Holl. T. II. Consil. 121. Sed omnino adfirmandum est, cum enim segnius orae illae observatae essent, remissum quidem videri poterat illud obſervationis jus, quo non hostium quaecunque bona recte occupantur, sed non etiam jus commune belli, quo *re contrabanda*, ad non obſessos quoque vecta, recte publicantur.

Quamvis autem ita, ut dixi, satis defendi possit rigor ejus Decreti 26. Jun. 1630. remitti tamen, si ita videatur, potest, & aliquando etiam remissus est. Cum Archithalassus Tromp etiam anno 1645. classe Ordinum Generalium obſideret Flandriae portus, & rogaret Ordines, ecquid moliretur contra naves eorum, qui neutrarum partium essent, 1. Jul. ejusdem anni decreverunt,

(15) L. XI. p. 350.

92 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

runt; omni modo impediretur, ne quisquam portus Flandriae intraret, ne tamen publicarentur, quae non essent *contrabanda*, ut est apud Aitzema (16). Mutati igitur tunc Ordines Generales ab iis, qui fuerant anno 1630. Sed mutatis hominibus sententias mutari quid obstat?

Si vera sint, quae *hoc Capite*, & duobus praecedentibus disputavi, his adhibitis etiam de plano pronunciabis de illis, quae inter Anglos & Polonos, aliosque Populos inciderunt, & commemorata sunt a Zoucheo *Part. II. de Jure Facial. Sect. 8. Q. 7.*

(16) L. IV. p. 812. & L. XXV. p. 195. & 196.

C A P U T X I I.

An licitum ob illicitum publicetur?

Si is, qui neutrarum partium est, & licitas & simul illicitas merces ad hostem vehat, & navis capiatur, quae situm est, an ipsa navis, & an licitae quoque merces propter illicitas publicentur? Idemque quaeri potest, si alia quacunque causa merces fuerint illicitae, & licitis mixtae? Inter varias Quaestiones & hanc Ordinibus Generalibus proposuit Admiralitas Amsterdammensis anno 1631. ad interpretationem nempe Edicti 1. Apr. 1622. Sed quamvis ad alias Quaestiones responderint Ordines, de hac tamen amplius deliberandum censuerunt, ut est apud Aitzema (1). Ut ut autem nihil tunc, vel aliquamdiu postea, definitum repererim, attamen iidem Ordines

(1) L. XI. p. 455. & 456.

nes 6. Maj. 1667. palam Admiralitatibus suis interdixerunt, ne cum illicitis mercibus etiam licitas, vel ipsam navem publicare vellent, ut narrat idem Aitzema (2). Sic ille simpliciter; & sic etiam ex variis Ordinum Generalium Edictis simpliciter responsum est 11. Sept. 1665. (3).

Sed omnino distinguendum putem, ut sunt qui distinguunt apud Zoucheum *de Jur. Fecial. Part. II. Sect. 8. Q. 3.* an licitae & illicitae merces ad eundem dominum pertineant, an ad diversos, si ad eundem, omnes recte publicabuntur, ob continentiam delicti, si ad diversos, qui navi imposuerunt, alteri alterius factum non nocebit, & secundum hanc distinctionem recte responsum est 31. Jul. 1692. (4) Atque huic sententiae fortissimum argumentum praebet *I. 11. §. 2. ff. de Public. & vectig.* ubi, in domino navis, Paulus distinguit, an sciverit, illicite aliquid in nave fuisse impositum, an ignoraverit; si sciverit, eo forte praesente, navim quoque fisco vindicandam, quod si eo absente a magistro id factum sit, atque ita ignoraverit, navim domino esse restituendam, quia sic nihil ipse peccavit. Zoucheus tamen *d. loc. ex Petrino Bello refert*, simpliciter licita propter illicita fuisse publicata, sed inspecto Belli loco, quem ipse non indicat, & exstat *de Re militari Part. IX. n. 26. 27. & 28.* apparebit, tam licita, quam illicita in ea specie pertinuisse ad unum eundemque mercatorum, fraudis gnarum, & ideo utrisque fuisse multatum, sed de omnibus his mox plenius agemus.

Excutiamus prius Pacta & Edicta, quae in hanc rem occur-

(2) *L. XLVII. p. 469. & 470.*

(3) *Confil. Belg. T. IV. Confil. 206. Q. 2.*

(4) *Ibidem T. IV. Confil. 210.*

94 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

occurrunt, & ad Rempublicam nostram pertinent. In Pacto de Navigatione, quod intercessit inter Hispanos & Ordines Generales 4. Febr. 1648. (5) & in §. 12. Pacti marini inter eosdem 17. Dec. 1650. (6) simpliciter convenit, nefas esse alterutrius subditis ad hostem alterius vehere τὰ *contrabanda*, si vehantur, publicarentur, minimè autem publicarentur naves & alia non *contrabanda*. Id ipsum, sine ulla distinctione, placuit §§. 24. & 36. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (7) Nec forte alia eorumdem Ordinum mens est in §. 2. Edicti sui contra Anglos, & contra eosdem & Francos 19. Mart. 1665. 14. Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. (8) cum, enumeratis longa serie *contrabandis*, ea fanciunt publicari, de reliquis autem non *contrabandis* tacent. Sed aperte in §. 7. Pacti marini inter Carolum II. Angliae Regem & Ordines Generales 1. Dec. 1674. (9) licitae merces ab illicitis distinguuntur, & hae, non illae publicari jubentur; quinimo si illicitae continuo tradantur iis, qui naves occupaverant, naves & omnia reliqua jubentur etiam continuo dimitti, ut destinatum iter prosequantur; contra quam est in §§. 4. d. Edd. 1665. 1672. & 1673. ex his enim, si vel qualiscunque pars mercium fuerit illicita, naves captae ad Admiralitates victorum transmittuntur, ut de iis sententiam dicant. Simpliciter rursus ex §. 7. Pact. commerc. inter Regem Suecorum & Ordines Gener. 26. Nov. 1675. (10) τὰ *contrabanda* publicantur, naves &

non

(5) Plac. I. 1. 2. 4.

(6) Ibidem I. 1. 2. 5.

(7) Ibidem Append. p 2914. & 2915.

(8) Ibidem III. 1. 9. 1.

(9) Ibidem III. 1. 13. 31.

(10) Ibidem III. 1. 13. 32.

non contrabanda non publicantur. Cum d. §. 7. Pacti marini 1. Dec. 1674. plane convenient §§. 21. & 26. Pacti marini inter Suecos & Ordines Gener. 12. Oct. 1679. (11) & §§. 21. & 26. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 10. Aug. 1678. (12) & rursus §§. 26. & 31. Pact. commerc. inter eosdem 20. Sept. 1697. (13) & iterum §§. 25. & 30. Pact. commerc. inter eosdem 11. Apr. 1713. (14) ex omnibus enim his §§. non tantum liberae sunt naves & merces licitae, sed traditis a navarcho illicitis, continuo naves dimittuntur, & navigant ad portum destinatum.

Haec est sententia Pactorum & Edictorum; si ex iis Jus Gentium metiamur, dicendum videbatur, nunquam naves, nunquam merces licitas publicari ob merces illicitas, quae eadem nave vehuntur. Sed non autem ex his Jus Gentium efficere, quia ratio, Juris Gentium magistra, non patitur, ut omnino generaliter & indistincte haec intelligamus: nam, quod ad navim, distinguendum puto, an haec ad ipsum navarchum, an ad alios pertineat. Si ad ipsum navarchum, iterum distinxerim, an sciverit, ut plerumque scit, res illicitas navi suae imponi, an ignoraverit, ut si nautae, navarcho forte absente, aliquid illicitum in ea condiderint. Si sciverit, ipse est in dolo, quod navim suam locaverit ad usum rei illicitae, & navis publicabitur, secus si ignoraverit, quia sic dolo caret. Haec Pauli Jurisprudentia est, quam ei sana ratio dictavit in d. I. II. §. 2. ff. de Public. & veltig. Tantundem dicimus, si
ad

(11) Plac. III. 11. 10.

(12) Ibidem III. 1. 13. 34.

(13) Ibidem IV. 1. 13. p. 315.

(14) Ibidem V. 1. 13. p. 476.

96 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ad alios pertineat navis, simpliciter enim *de domino navis* Pauli sermo est in *d. l. 11. §. 2.* Si navarchus igitur navi imponat merces illicitas, insciis dominis, navis eorum non publicabitur aliud autem juris, si ipsi imponi sciverint, atque ita quoque versati fuerint in re illicita. Improbum est, dominos damnum pati ex facto navarchi, sed ut ex suo patientur, justem & aequum est. Ceterum ea distinctio inter navarchum scientem & ignorantem hodie non tam frequentem usum habet, quam olim, quia, ut nunc sunt mores nautici, navarchus solet subscribere catalogo mercium, navi suae impositarum, & promittere, se has probe recte curaturum ad eos, quibus missae sunt. Potest tamen habere usum, si quid illiciti, ut modo dicebam, clam navarcho, fuerit impositum. Sed quod ad alios navium dominos res etiam hodie potest habere usum frequentissimum.

In dominis mercium, ex eadem ratione, iterum distinctum reor, ut supra dixi & alios distinguere, an licitae illicitaeque merces ad unum eundemque dominum pertineant, an ad diversos. Si ad unum eundemque, omnes punto recte publicari, plane ut *Jure Romano*, in causa vectigalium & tributorum, si quis prohibitas & simul permissas merces vehat, & has professus sit, illas vero celet, utraeque committuntur propter dolum vectoris, ut ex *d. l. 11. §. 2.* & *l. 3. C. de Naut. foen.* recte colligunt Commentatores ad *Tit. ff. de Public.* & *vectig.* Aliis alia distinctio placet, an scilicet licitae merces ab illicitis commode possint separari, si non possint, utrasque committi, si possint, has committi, illas non etiam, neque interesse, ad eundem dominum pertineant, nec ne. Sed haec distinctio, cum semper separationi locus sit, neque rationem habet, neque

neque ullam auctoritatem Juris. Majorem habet, an licitae merces ad alium, quam ipsum fraudatorem pertineant, tunc enim rationis est, ne alter ob fraudem alterius bonis suis privetur. Auctoritas quoque juris praefato est in causis ejusdem fere argumenti: nam si unus ex pluribus heredibus rem munem causa vectigalis subripiat, portiones ceteris non auferuntur *l. 8. §. 1. ff. de Public. & vectig.* Et si coloni vel servi ejus, qui dominus est alicujus praedii, ferrum illicite in praedio fecerint, si quidem *ignorante domino*, nulla poena dominus tenetur *l. 16. §. 11. Eod.* Nec creditori foenebris pecuniae quicquam nocet, si dolo debitoris, illicitis comparatis mercibus, cuncta, quae navis continebat, Fiscus occupaverit *d. l. 3. C. de Naut. foen.*

Sed quid si licitarum mercium domini simpliciter sciervint, ab aliis etiam illicitas in nave imponi? hanc simplicem scientiam licitarum quoque mercium publicationi locum faciet? sic velle videtur Consultor quidam (15); sed ejus sententia ego non utor, nec reperi etiam, quod ei auctoritatem praebat. Poterat forte provocare, quamvis non provocet, ad *d. l. 16. §. 11. ff. de Public. & vectig.* ubi domino non nocet, si *eo ignorantे* ferrum in suo praedio illicite fabricaverint coloni vel servi, ut sic nocere dixeris, si quid ejusmodi fiat *domino sciente*, sed ideo, sciente domino, ei nocebit, quia ejus erat prohibere, & colonis servisque suis imperare, ne quid illicitum in praedio suo facerent. At si plures domini, ut fit, navi onerariae merces suas imponant, alias alii nihil potest imperare, quin nec ipsi navarcho, qui merces transvehendas conduxit. Quod igitur licitarum mercium

(15) *d. Consil. Belg. T. IV. Consil. 210.*

98 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

cium dominus prohibere non potest, ne ipsi noceat; poterit quidem merces suas retinere, sed si retinere commodum non est, aliorum dolum vel culpam praestare non tenebitur.

Sic quidem mihi videtur, & vellem, secundum haec, Pācta & Edicta, quae commemoravi, essent scripta & distincta. Si tu putes, distinctiones, ibi non expressas, tacite esse intelligendas, & sic Pācta & Edicta explicari posse pro varia specie, quae incidit, vellem, si possem, huic sententiae accedere, sed vereor, ne obstent verba nimis generalia. Confusa & obscura sunt, quae de his omnibus scripsit Albericus Gentilis *Hispan. Advoc.* L. I. C. 20.

C A P U T XIII.

De amicorum bonis, in hostium navibus repertis.

Cum post subactam ab Hispanis Lysitaniam, Batavi anno 1602. multas Lysitanorum naves cepissent, scribit Grotius L. XI. *Histor. Belg. ad d. Ann. Illud obscurius, an, quae captis in navibus, Italorum bona inveniebantur, in praedam cederent? Res inter aequitatem & jus belli media transigendo decisa est.* Igitur tunc dubitavit Grotius, an bona amicorum, in hostium navibus reperta, pro hostilibus essent habenda, sed non dubitavit in Libris de *Jure Belli ac Pacis*, quos edidit anno 1625. nam postquam L. III. C. 6. §. 5. dixisset, jure belli non acquiri, nisi quae hostium sunt, non quae amicorum, licet apud hostes deprehendantur, in oppidis forte eorum, aut intra praesidia, inde mox efficit

§. 6.

§. 6. ex Jure Gentium non esse paroemiam vulgarem, *hostiles censeri res, in hostium navibus repertas, sed pro hostilibus, ex praesumptione quadam, esse habendas, donec contrarium liqueat.* Atque ita, pergit, in Hollandia nostra jam olim, anno scilicet 1338. flagrante cum Asiaticis bello, frequenti Senatu judicatum, & ex judicato in legem transisse comperi. Eandem quaestionem tractavit idem Grotius Not. ad L. III. de Jure B. & P. C. 1. §. 5. n. 4. laudata eadem Senatus Hollandici sententia.

Plane ego inscitiae meae indignor, quod hanc anni 1338. sententiam nec repererim, quin nec intelligam, quis Senatus id judicare potuerit: constat enim plena fide, integro fere saeculo post, Curiam Hollandiae demum instituisse Philippum Burgundum. Idem quidem Grotius Not. ad d. L. III. C. 1. §. 5. n. 4. in nova Editione habet annum 1438. Sed & novissima, & anni 1632. Editio in Forma octava (quam ipse Grotius 8. Apr. 1632. accuratissimam esse testatus est) in d. §. 6. exhibent annum 1338. & hunc etiam sequuntur, qui Grotium exscripserunt, quemadmodum Zoucheus de Jure Feciali Part. II. Sect. 8. Q. 5. & Consultores Belgae Consil. Belg. T. III. Consil. 253. Eundem quoque annum 1338. servavit Clarissimus Barbeyrac, amicus meus, in Grotii versione Gallica d. §. 6. ratus forte, aliam hanc esse sententiam, quam quae laudatur in Not. ad d. §. 5. n. 4. quamque ibi, in versione Gallica, Ordinibus tribuit, cum tamen hi neque jus dixerint, neque Senatus nomine appellantur unquam. Sed omnino una eademque est sententia, & in d. §. 6. restitui debet annus 1438. ut senserit Grotius de bello Hanseatico, de quo est Liber, qui servatur in Archivo Curiae Hollandi-

100 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
cae, quique inscribitur OOSTERLINGEN.

Ad rem ipsam quod attinet, quamvis illa anni 1438 sententia diligentiam meam fugerit. Grotio tamen, id adfirmanti, etiam sine sponsore credo, & facile etiam mihi persuadeo, alios, sine ulla alia auctoritate juris, Grotii praeēuntis fidem & sententiam sequitos esse. Ita sane, tanquam de jure recepto, scribit Loccenius *de Jure maritimo L. II. C. 4. n. ult.* & ita quoque respondeat turba sex Advocatorum *d. Consil. Belg. T. III. Consil. 253.* maxime, ajunt illi, si publice denunciatum non sit, ne quis amicus navi hostili merces suas impone-re velit, vel is, qui imposuit, belli ignarus sit. In ean-dem sententiam responsum est *Consil. Belg. T. IV. Consil. 207.* Sed non animadverto, si Jure Gentium liceat ami-co hostilem navem adhibere ad transvehendas merces suas, cur illud illicitum fieri possit alterius Gentis publi-ca in contrarium denunciatione. Inter duos Populos, mihi amicos, sed invicem hostes, commercia mihi exer-cere licet, nisi pacta expressa vel tacita id quodammodo im-pediant, ut fere obtinet in *contrabandis*; quod si tamen altera Gens sine alterius consensu omnimodo mihi commercii interdicat? injusta utique erit interdictio quod ad subditos non suos. Ita quoque sensisse videtur Grotius *Not. ad L. III. de Jure B. & P. C. I. §. 5. n. 4.* ubi id argumentum plena manu exsequutus est. Dico videtur, quia *d. n. 4.* publicis Gentium denunciationi-bus nonnihil tribuit, quibus tamen impune non pareri, in *Notis* recte indicat. Deinde quid interest, utrum is, qui merces suas navi hostili imponit, belli fuerit gnarus, an ignarus? fac, gnarum fuisse, & omnino etiam sci-visse, navim fuisse hostilem, supererit utique eadem ad-huc quaestio, an nempe versatus fuerit in re licita, an illici-

illicita? Sed hae sunt Pragmaticorum lautitiae, quibus indoctum vulgus excipiunt.

Priusquam autem, quid mihi videatur, exponam, operae pretium erit, pactiones Gentium consuluisse. Et, quantum intelligo, hae fere convenient Juri Francico, quod relatum est apud Mornacium ad l. pen. §. 1. ff. *Locat. cond. que la robbe de l'ennemi confisque celle de l'amis*, quod ob navem, quae hostilis est, publicatam, etiam publicentur res amici. Grotius in *Not. ad L. III. de Jure B. & P. C. 6. §. 6.* Leges Gallicas recenset, quae ex rebus naves, & ex navibus res praedae subjiciunt, sed, ne nimium iniquae sint, ita accipit, si consensu dominorum navis in eam illatae sint res hostiles, tunc scilicet ipsam quoque navem, licet amicam, publicari. Sed de ea specie nunc non agimus, acturi *Capite proximo*. Sin autem consensus domini navis, praedae naves locum facit, quidni & amicorum bona publicamus, in navi inventa hostili, si mercium domini consentiant, navi eas hostili imponi? de ea specie nihil quicquam dixit Grotius, & tamen eadem reciprocationis ratio idem jus videbatur flagitare.

Sed his paulisper sepositis audi Pacta Gentium. In §. 13. Pacti marini inter Hispanos & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. (1) convenit, amicorum qualiacunque bona, in hostium navibus inventa, publicari. Idem placuit §. 35. Pact. commerc. inter Regem Galliae & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (2) & aliis Pactis commerciorum, inter eosdem deinde factis, nempe §. 22. Pacti 10. Aug. 1678. (3) §. 27. Pacti 20. Sept.

1697.

(1) *Plac. I. 1. 2. 5.*(2) *Ibidem II. Append. p. 2910.*(3) *Ibidem III. 1. 13. 34.*

1697. (4) & §. 26. Pacti 11. Apr. 1713. (5) Similiter convenit inter Carolum II. Angliae Regem & Ordines Gener. §. 8. Pacti marini 1. Dec. 1674. (6) & §. 8. Pact. commerc. inter Carolum, Suecorum Regem, & Ordines Gener. 26. Nov. 1675. (7) & rursus §. 22. Pact. commerc. inter eosdem 12. Oct. 1679. (8).

Vides, simpliciter secundum Jus Francicum amicorum bona publicari eo ipso, quod in navi hostili apprehendantur, quod non convenit ei, quod Grotius in Hollandia Senatum judicasse, & in legem versum esse scripsit. Sed haec pacta, quae recensui, posteriora sunt, non tamen, ut puto, sequenda nisi inter eos, quos inter ita convenit. Ex ratione utique ejusmodi jus defendi non poterit: nam cur mihi non liceat uti nave amici mei, quamquam tui hostis, ad transvehendas merces meas? Si pacta non intercedant, licet mihi, ut supra dicebam, cum hoste tuo commercia frequentare; quod si liceat, licebit quoque cum eo quoscunque contractus celebrare, emere, vendere, locare, conducere, atque ita porro. Quare, si ejus navem operamque conduxerim, ut res meas trans mare vehat, versatus sum in re, omni jure licita. Tibi, qua hosti, licebit navem ejus occupare, sed quo jure res meas, id est, amici tui occupabis? si nempe probem, res meas esse, alioquin Grotio adsentior, ex praesumptione quadam pro rebus hostilibus esse habenda, quae in navi hostili inventiuntur.

Sed

(4) Plac. IV. 1. 13. p. 315.

(5) Ibidem V. 1. 13. p. 476.

(6) Ibidem III. 1. 13. 31.

(7) Ibidem n. 32.

(8) Ibidem III. 11. 10.

Sed quid dicemus, si mercium domini sciverint & consenserint, res suas imponi navi, amici quidem sui, & tui hostis? ego existimem, eam scientiam & consensum praedae locum non facere. Res ex eo pendet, an mercium domini, onus inferentes navi hostili, rem fecerint licitam, an illicitam? Disputavi autem, rem licitam fecisse, quia cum iis, quibuscum commercia recte exerceo, mihi quoque licet omne genus contractus celebrare, & pro mercede, ejus uti nave ad utilitatem meam. Cape, si potes, quodcunque est hostis tui, sed mihi redde, quod meum est, quia amicus tuus sum, & impositione rerum mearum nihil sum molitus in necem tuam.

Atque his, quae dixi, fere convenit, quod definitum est in *Consulatu Maris C. 273. §. 3.* nempe navem hostilem captam esse capientis, sed mercium dominos, capientis amicos, si praesentes sint, de pretio navis posse transfigere, & sic iter suum prosequi. Sin autem transactio non successerit, navem perduci posse in portum capientis, & ita tamen dominis restitui merces suas, modo solvant mercedes sive vecturae pretia, perinde atque si navis iter suum absolvisset. Quod additur de vecturae pretiis solvendis, ejus juris rationem non adsequor. Satis intelligo, qui navem hostilem occupavit, etiam occupasse omne jus, quod navi, sive navarcho debebatur, sed navi sive navarcho non debebantur mercedes, nisi ob merces transflatas in portum destinatum. Proponitur autem, navem in ipso itinere fuisse captam, ecce igitur capienti solvam mercedes? si, qui cepit navem, eam cum mercibus in locum destinatum perducere paratus sit, ejus juris rationem intelligerem, ceteroquin non intelligo. Imprudentiae meae, quod navi hostili

104 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

res meas imposuerim, satis poenas dabo, quod meo periculo meisque sumptibus merces meas repetere & avehere habeam necesse. De vecturae pretiis saepe ineptiunt, quibus sanum sinciput non est; alio exemplo id supra ostendi *Cap. X.*

C A P U T X I V.

De hostium rebus, in amicorum navibus repertis.

Si navis amici mei hostium res vehat, & capiatur, duplex erit inspectio; altera, an ipsa navis amica, altera, an res hostiles recte publicentur? Quod ad primam, si antiquas Francorum leges sequamur, ob res hostiles vectas etiam amica navis publicabitur. Sane ita olim in Francia juris fuisse, inde quoque apparet, quod a legibus, quae id fanciunt, fuerint exemptae Civitates Hanseaticae ex §. 3. Paeti marini inter Regem Franciae & Civitates Hanseaticas 10. Maj. 1655. (1) Grotius *eo loco*, quem *Capite proximo* indicabam, id Jus Francicum non aliter obtinere censet, quam si conferit dominus navis amicæ, hostiles ei res imponi, eo adferens l. II. §. 2. ff. de Public. & vectig. ubi, ut *Cap. XII.* quoque dicebam, in domino navis, distinguitur, sciverit, an ignoraverit, illicite aliquid in sua navi fuisse impositum, priore specie navem publicari, posteriore non etiam, & sic quoque in hac ipsa quaestione distinguit Loccenius *de Jure maritimo L. II. C. 4. n. ult.* Habet sane illa Pauli distinctio inter dominum navis scientem & ignorantem magnum momentum, &

jure

(1) *Plac. II. 4. 28. 3. 4. & Hollandsche Mercurius 1657. p. 48.*

Jure Romano habuit quoque magnum usum, sed hodie vix ullum habet, si ad ipsum navarchum pertineat navis; solet enim ipse navarchus merces recipere, & id testari chirographo, quod vulgo *Cognossement* appellatur. Majorem usum habet ea distinctio, si ad alios dominos navis pertineat, & iis insciis magister merces receperit, quemadmodum id jam exposui *d. C. XII.* Dubitari tamen posset, an non alii domini, si receptionem magistro mandaverint, & ille illicitum quid receperit, ex ejus facto teneantur de mala receptione? Vulgo obtinet, ut, qui hominem minus idoneum, rei cui praeponit, ex ejus dolo vel culpa teneatur, & si inter magistrum & alium navis dominum distinguas, haberet utique ea res observationem sic satis difficultem.

Sed haec non urgeo. Fac, alios dominos ex receptione magistri etiam sine mandato receptionis, omnino teneri, fac, ipsam receptionem magistro mandatam fuisse, fac, eum semper scire, quid in nave sua condatur, & ne sic quidem navem publicaverim, etiamsi dominus sciverit vel consenserit, res hostiles ei fuisse impositas. Non largior Grotio, eam speciem, de qua Paulus agit in *d. l. II. §. 2.* porrigi posse ad id, de quo nos quaerimus. Non quod in iis, quae sola ratio commendat, a Jure Romano ad Jus Gentium non tuta sit collectio, sed quod Paulus agat de magistro, qui sciens vel ignorans merces, vectigali obnoxias, vehit, & ibi verum est, si sciens vehat, eum operam dare rei illicitae, nam fraudem facit publico, qui merces, quas profiteri oportebat, celaverit, & sciens earum transvectioni navem suam locaverit vel commodaverit. Atque ita hodie ex omnibus omnium Principum Edictis naves, fraudandi vectigalis causa adhibitae, publicantur, non alia ratio-

ne, quam quod inserviant rei illicitae. Ex eadem Pauli distinctione, qua & ipse usus sum *d. C. XII.* publicabam quoque naves amicas, si, scientibus dominis, *contrabanda* ad hostes deferrent, &c, nisi pacta impediant, omnino publicandae sunt, quia earum domini operantur rei illicitae. Sed nunc subsiste, & mecum quaere, an Jure Gentium peccet, qui nave sua rem amici sui, quamquam tui hostis, transfert? quo jure tu, qui etiam amicus meus es, invades navem meam, licet vehat res tui hostis? Ego, utrique amicus, utriusque operam praestabo in his, quae neutri vestrum nocent, & sic uterque etiam mihi operam praestabit in rebus promiscuis. Hostis tuus recte locabit mihi navem suam, & ego rursus meam hosti tuo locabo. De his, qui sine dolo vel culpa agunt, prolixius in hanc rem disputavi *Capite praeced.* quae si subsistant, non est etiam laborandum de hac quaestione, sed omnino dicendum, navem amicam non publicari ob res hostiles, ei impositas, sive sciverit, sive ignoraverit dominus natus, utcunque enim sciverit, simul scivit, se versari in re licita. At sic non est in eo, qui sciens res munes vel *contrabandas* vehit. Quare in hac quaestione non probbo distinctionem Pauli in *d. l. II. §. 2.* probbo potius, quod navem amicam, quamvis rebus hostilibus onus tam, non publicari, simpliciter responsum est *Consil. Belg. T. IV. Consil. 206. n. 2.*

Succedat altera inspectio, an nempe ipsae res hostiles, in navi amica deprehensae, recte publicentur? quid, inquies, dubitabis, cum recte occupem, quicquid hostium est? Et tamen in *§. 14.* Pacti marini inter Hispanos & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. & in *d. §. 35.* & ambobus illis §§. 22. & *d. §. 27.* & *d. §. 26.* & am-

bobus

bobus illis §§. 8. quorum omnium memini *Capite proximo*, simpliciter convenit, liberas fore hostium merces, in amicorum navibus repertas, *vry schip*, *vry goed*, ut Belgae lingua vernacula id efferunt; exceptis tamen mercibus vetitis, instrumentis nempe belli, nam haec secundum d. §§. publicari jubentur, & haec dunt taxat. Quod non aliter intelligo, quam si ad hostes vehantur, alioquin prae reliquis nulla publicationis causa est. Ita, inquam, simpliciter convenit, etiam, quod mireris, quatuor illis Pactis, quae d. Cap. commemo ravi, & inter Reges Franciae & Ordines Generales intercesserunt annis 1662. 1678. 1697. & 1713. nam si, secundum haec, neque res hostiles publicentur, quae in navi amica sunt, multo minus publicabitur ipsa navi amica. Igitur dicendum est, aut ab antiquo jure Francico, de quo supra dixi, plane esse recessum, aut, quod est verius, haec Pacta exceptionum loco esse habenda.

Sed quicquid sit, de ipsa ratione magis, quam de Pactis laborandum est. Ea autem consulta non sum, qui videam, cur non liceret capere res hostiles, quamvis in navi amica repertas, id enim capio, quod hostium est, quodque jure belli victori cedit. Sin ajas, me non recte occupare res hostiles in navi amica, nisi prius occupem navim amicam, atque ita vim faciam rei amici, ut deprehendam rem hostis, idque non magis licere, quam hostes nostros aggredi in amici portu, vel depraedari in territorio amici, velim animadvertis, eatenus utique licitum esse amicam navem sistere, ut non ex fallaci forte aplustri, sed ex ipsis instrumentis, in navi repertis, constet, navem amicam esse. Si id constet, dimittam, si hostilem esse constiterit, occupabo. Quod si liceat, ut omni jure licet, & perpetuo ob-

servatur, licebit quoque instrumenta, quae ad merces pertinent, excutere, & inde discere, an quae hostium bona in nave lateant, &, si lateant, quidni ea jure belli occupem? de eo sane non dubitat Consultor d. *Consil. Belg. T. IV. Consil. 206. n. 2.* nec dubitant Leges maritiae in *Consulatu Maris C. 273. pr.* secundum has enim navis amica dimittitur, res hostiles, in portum victoris perductae publicantur. Sed rursus rationem non habet, quod ibi additur, oportere victorem magistro navis amicae solvere mercedes sive vecturae pretia, quia haec non debentur, nisi perductis mercibus ad locum destinatum. Si causeris, per magistrum non stetisse, quominus eo perduxerit, verum dicis, sed magister suo periculo merces hostiles navi suae imposuit, gnarus, eas capi, & sic in portum capientis perduci posse. Nihil igitur habebit querelarum, si sola navis dimittatur, nisi inter eum & victorem convenerit, ut ipse merces hostiles deferat ad locum destinatum, transflata sic in victorem causa locationis conductionis. Secundum haec etiam *Cap. praeced.* disputavi in specie opposita, si nempe navis hostilis, & merces fuerint amicae.

Non excurram nunc in singula facta, quae incidentur: nam si probes, quae ego probo, & jam exsequutus sum, ipse judicabis, justum, an injustum sit, quod reperies apud Alber. Gentilem *Hispan. Advocat. L. I. C. 28.* & ipse quoque judicabis de omnibus his, quae habet Zoucheus de *Jure Fevali Part. II. Sect. 8. Q. 6.* & praesertim de ea quaestione, quae sub initia hujus Reipublicae Anglos & Zelandos tantis animis commisit. Ipse Zoucheus naves amicas dimittit, res hostiles publicat, sed solvit etiam magistro naulum, in his sequutus *Consulatum Maris d. C. 273.* Naulum tamen non solvit,

vit, nisi pro mensura itineris peracti, quod, si rationem haberet, ut non habet, difficillimam utique haberet explicationem.

Postquam haec seripseram, in manus meas pervenit Clariss. Heineccii *Opusculorum Variorum Sylloge*, in qua etiam exstat ejus *Dissertatio de navibus ob vecturam vetitarum mercium commissis*, ubi C. II. §. 9. paucis exponit utramque speciem, de qua *hoc & praeced. Cap. actum est*. Sed tantum abest, ut, his lectis, mutem sententiam, ut eam potius confirmaverit Viri magni auctoritas. Cur tamen nihil delendum censuerim, ipse videbis, si, quae uterque nostrum dixit, conferre commodum sit.

C A P U T X V.

An res, ab hostibus captae, in non hostis imperium delatae, postliminio revertantur?

Putares, quaestionem hanc definivisse Pomponium in l. 5. §. 1. ff. de *Captiv.* & postl. revers. cum ait, aliquem ex nostris, antea ab hostibus captum, postliminio reversum intelligi, si aut ad amicos nostros perveniat, aut intra praesidia nostra esse coepit. Quod juris est in personis, idem est & in rebus, quarum postliminium est. Ait Pomponius *ad amicos nostros*. Id esse dices *ad non hostes nostros*, nam qui non hostes sunt, pro amicis videbantur habendi. Sed aliter haec explicat Grotius *de Jure B. & P. L. III. C. 9. §. 2. n. 1. & 2. ratus, & recte, si quid judico, per amicos intelligi non simpliciter, quibuscum pax est, sed qui partes*

110 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tes in bello easdem sequuntur. Atque ita etiam Paulum interpretatur in l. 19. §. 3. ff. Eod. cum ibi ait, postlimio rediisse videri, non tantum qui in fines nostros intraverit, sed & si in Civitatem sociam amicamve, aut ad Regem socium vel amicum venerit, hac addita ratione, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat. Si socium amicumve conjunctim accipiamus, ut faepe disjuncta conjungimus, Grotio favebit Paulus, nam sic intelligimus amicum, qui & socius, id est, foederatus noster est. Si vero accipiamus disjunctim, sufficerit amicum esse, quamvis socius non sit; & hoc sufficere, disputat Albericus Gentilis *Hispan. Advoc. L. I. C. 1.* Sane ratio, quam addit Paulus, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat, aequa, & magis etiam, ad amicum socium referri potest, quam ad amicum solum. Non erat igitur, cur ex Pauli addita ratione rem totam conficeret Gentilis.

Quae Grotii sententia est, eadem & ante fuit Antonii Gammae *Decis. Lusitan. 384.* quem propterea sibi refutandum sumpsit Gentilis. Zoucheus de *Jure Feudali Part. II. Sect. 8. Q. 2.* contentus sententias diversas retulisse, ipse, pro more fere suo, judex sedere noluit, quamvis tamen in sententiam Gentilis mihi videatur proclivior. Grotius autem id, quod dicit, solis exemplis defendit, nihil quicquam rationis adferens. *Apud eos,* inquit d. n. 2. *qui amici sunt, sed non earundem partium, bello capti statum non mutant, nisi ex speciali pacto,* quale mox adducit ex foedere II. inter Romanos & Carthaginenses, sed recte observat Zoucheus d. loc. non satis constare, an, quod illi pacti sunt, sit habendum pro Jure publico, an pro exceptione, qua a Jure publico diversi abeunt. In variis Pactis, & antiquioribus,

bus, & recentioribus, id adeo saepe est incertum, ut ex solis Pactis, non consulta ratione, de Jure Gentium pronunciare periculose sit. Addit Grotius in *Notis*, ex Thuano constare, ut ipse sentit, sensisse quoque Regem Maroci & Fesae, sed his Magistris in Jure publico nemo facile utetur. Grotio consentit Ulricus Huberus de *Jure Civitatis L. III. Sect. 4. C. 5. n. 11.* dum *reversum* intelligit, qui revertitur in praesidia nostra, *vel ad Populos partium nostrarum*. Consentit & Hertius *Adnot. ad Pufendorfsum de Jure Nat. & Gent. L. VIII. C. 6. n. 25.* postliminium derivans, ut multi derivarunt, non ex Jure Gentium, sed ex jure, quod ipsi Principes subditis suis indulserunt. Et inde definit *quaestione*, non semel inter Populos disceptatam, an si persona *vel res capta in Civitatem, quae neutrarum est partium, deveniant, libertatem postliminio consequantur?* quod, inquit, haud dubie negandum, quoniam illi, qui in bello sunt medii, factum pro jure accipiunt, adeoque *captivitatem improbare non possunt*.

Sed profecto, si ex sola ratione disputare placeat, adeo mihi nugatoria videtur haec *quaestio*, ut mirum sit, eam multorum ingenia exercuisse. Qui revertitur ad foederatos, jus postliminii habet, quia ad suam Civitatem videtur reversus, foederati enim nobiscum unam quodammodo Civitatem constituunt. Certe in causa belli, quod communi auxilio gerunt, eorum rationes separandae non sunt. Quapropter per *amicos* in d. l. 5. §. 1. intellexerim quoque, qui cum maxime *amici* sunt, id est, qui mutuo foedere in hostem agunt, & per *Regem socium vel amicum* in d. l. 19. §. 3. qui *amicus* & simul *socius* est, sufficerat alioquin *amicum* dixisse. Apud hos solos verum est, ex causa societatis, jus postliminii esse,

esse; sed apud eos, qui utrimque simpliciter amici sunt, status rerum hominumve nostrorum non mutatur, cum nulla sit mutandi causa. Unde miror, Gentilem aliosque existimasse, postliminio reverti, quaecunque in non hostis Imperium delata sunt, &, quod ei consequens est, captivos, in territorium amici deductos, fieri liberos. Quod de captivis dixi, rotunde scribunt Joannes de immola *Consil.* 50. & Petrinus Bellus *de Re militari Part.* II. T. 18. n. 12. quibus suffragium suum addere videtur Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. Sect. 9. Q. 8. Res utique in contrarium adeo manifesta est, ut de veritate ne Sceptici quidem serio dubitaverint: uno enim ore consentiunt omnes, captura in bello dominium quaeri, & apud amicos nostros dominium nostrum, nostrum manere. Quod si sit, res a nobis captae, nostrae quoque manent, & captivus noster, captivus noster; quo alioquin jure Princeps, nobis amicus, res, pleno jure nostras, nobis auferet, & aliis, quantumvis aequa amicis dabit? sine injuria nostra id fieri non posse satis est certissimum. Ne constituto quidem judicio id ei licet, nam inter me & hostem meum non recte judicat nisi ex compromisso. Cum igitur, quod captum est, apud amicum maneat in eadem causa, perperam anno 1657. Sueciae Legatus literas suas, a Danis hostibus intercep-tas, & Ordinibus Generalibus, amicis suis datas, suas iterum esse factas contendit (¹).

Conventiones quandoque aliae fiunt inter Principes, ut olim inter Romanos & Carthaginenses Foedera II. cuius sententiam ex Polybio Grotius exhibit *d. loc.* Atque ita in §. 20. Pacis inter Regem Lysitaniae & Ordines

(1) Apud Aitzema L. XXXVII. p. 1022.

nes Gener. 6. Aug. 1661. (2) convenit, ut res, quas alterius hostis cepisset, & in alterius portum detulisset, prioribus dominis, si intra certum a capture tempus petitiae essent, restituerentur. Sed ejusmodi pacta non inventur sine injuria ejus, qui res hostiles cepit, & ad amicum, ut in locum tutum, detulit. Quare nec rationem, nec Jus Gentium mutant. Qui plura in eandem sententiam desiderat, reperiet apud Cunaeum singulari *Dissertatio de causa postliminii*, & apud Loccenum *de Jure maritimo L. II. C. 4. n. 6-10.* ubi Cunaei rationes compendio descripsit.

Haec autem ita vera sunt, si, qui cepit, justo bello ceperit, nam si piratae ceperint, capta omni modo prioribus dominis sunt restituenda, & ita etiam placuit §. 4. Foederis inter Imperatorem Maroci & Ordines Gener. 24. Sept. 1610. (3) & d. §. 20. Pacis Lysitanae 6. Aug. 1661. & §. 45. Pact. commerc. inter Francos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (4) & §. 11. Pacis inter Anglos & Ordines Gener. 14. Sept. 1662. (5) Idque est Juris communis, quo apud omnes Gentes receptum est piratas dominium non mutare; quod argumentum alii prolixe exsequuti sunt, ut latius dicam C. XVII.

Secundum haec si res mea, ab hostibus capta, ad solum & foederatum pervenerit, mihi redditur, & perinde habetur, atque si socius & Foederatus eam ab hoste communi liberaverit. Et tamen in ea specie Franci olim alio jure usi sunt, unde & contra eos mutuam injuriam esse

(2) *Plac. II. Append. p. 2861.*

(3) *Ibidem II. Append. p. 2264.*

(4) *Ibidem II. Append. p. 2917. & 2918.*

(5) *Ibidem Append. p. 2873.*

114 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
esse exercendam Ordines Generales decreverunt 4. & 5.
Dec. 1637. (6).

Plus habet dubii, an hostis noster rem, quam a nobis cepit, in amici territorio possit distrahere, & pretium exigere? Sed non posse, &, si distrahat, rem, nullo soluto pretio, ad pristinum dominum reverti cautum est §. 12. d. Pacis Anglicae 14. Sept. 1662. quem §. in facto quodam, quod incidit, servari voluisse Ordines Generales, narrat Aitzema (7). Scire autem velim, quae sit ejus pacti ratio? an quod, si distrahere liceret, hostis noster ea distractione juvaretur? sin hoc ajas, ais, quod incertum est; quin licet amicos nostros, quamvis invicem hostes, juvare, modo ne juvemus bellico apparatu, & his, quam illis, aequiores vel iniquiores simus. Noli igitur a me desiderare, ut amicis portus meos claudam, iisque cum subditis meis commercio interdicam. Quare existimem, d. §. 12. esse referendum inter pacta specialia, quorum ratio saepe nos latet, generaliter enim liberum est apud non hostes rerum nostrarum dominium, utroque tam Gentium, quam Civili. Jure quæsitum.

Quamvis autem ratio permittat, ut rem ab hoste captam, in amici Imperium licite deferam, ibique, si placet, distraham, ne tamen id liceret, plus semel constitutum fuit. Sane Ordines Generales 9. Aug. 1658. (8) edixerunt, ne quis exterus praedator navim captam, inque suos portus ex causa fontica delatam, distraheret vel exoneraret, sed adventum suum Ballivio loci denunciaret, isque posita custodia praedam observaret, usque dum

(6) Sunt haec apud Aitzema L. XXI. p. 192. & 193. & L. XXIV. p. 713. & 803.

(7) L. XLIV. p. 402.

(8) Plac. II. 4. 26. 2. 10.

dum denuo abeundi potestas esset, statuta, praeter poenam arbitrariam, mille florenorum multa ei, qui aliquid ex ea praeda emisset, aut exonerari navim juvisset. Quod Edictum iidem Ordines 7. Nov. ejusdem anni 1658. (9) ita auxerunt, ne navim in ipsum portum deducere liceret, sed tantum *in de Zee-gaten*, ubi a periculo tuta esset, nec quicquam ex ea alienaretur vel exoneraretur; si quis secus fecisset, praeda tanquam non capta redderetur ei, cui adempta esset, ipse praedator detineretur, & causa cognita ejus navis publicaretur. Cetera convenient cum illo edicto 9. Aug. 1658. An metus, an qua alia causa Ordinibus haec Edicta extorserit, nescio, sed ne rationi in posterum praejudicio sint, temporalia potius, quam perpetua esse credamus.

(9) *Plac. II. d. loc. n. 2.*

C A P U T X V I .

De jure postliminii varia.

Recte dixit Grotius *de Jure B. & P. L. III. C. 9. §. 9. n. 1.* postliminium etiam in integris Populis locum habere, ut, inquit, qui liberi fuerunt, suam recipiant libertatem, si forte eos vis sociorum eximat hostili Imperio; & sic quoque disputat Hotomanus *Quæstione illustri V.* Quod tamen an in Belgio Foederato semper usquequaque sit observatum, est cur ambigas. In Urbe quidem Groninga ambigendum non videbatur, quamvis enim Groninga, ab Hispanis occupata, Foedere Utrechtano excidisset, ab Orangio tamen Dynasta

116 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rursus victa, ad id rediit, & ita expresse cautum est
 §. 2. Legum, quibus dedita est Groninga 22. Jul.
 1594. (1). Sed vero Groninganos Foederi Utrechtano
 subscripsisse, frustra quaesivi, de Ommelandensibus com-
 peri, Georgius van Lalaing, Gravio Rennenbergensis,
 qui Gubernator erat Frisiae, Transsilvaniae & Gronin-
 gae, subscriptis quidem Foederi 11. Jun. 1579. sed non
 exprimit, se, qua Gubernatorem, subscriptis, ut sic
 putares, pro se solo subscriptis, ut 3. Maj. 1579. pro
 se solo quoque subscripterat Wilelmus Orangius, ejus no-
 minis primus. Si non subscripterint Groningani, po-
 tuissent jure belli occupari, & ita Urbs non recuperata,
 sed occupata videri posset, & ad Foedus non pertinere
 ex jure postliminii, sed ex legibus ditionis. Constat
 fane ex Annalibus, Groninganos fere esse sequutos par-
 tes Hispanorum, quin & post ditionem iis fusile pro-
 pensiiores, quam oportebat. Ita tamen habet d. §. 2. at-
 que si Groninga ad Foedus esset reversa, & non pri-
 mum admissa, & magis est, ut reversam dicamus, quia
 ex Actis publicis didici, Groninganos eodem 11. Jun.
 1579. delegatos suos misisse, ut Collegio Ordinum Ge-
 neralium interessent, & cum reliquis Foederatis de Re-
 publica deliberarent. Quod si sit, Groninga utique
 reversa non est aequo foedere, nam si inter hanc &
 Ommelandenses non conveniat, ex §. 5. earundem Le-
 gum de eorum controversiis judicant Ordines Genera-
 les, quod non licebat ex §. 1. Foederis Utrechtani. Sed
 de his forte plenius dicam L. II. C. 23. Interea velim
 animadverti, Groningam, utcunque ad Foedus reversa
 fuerit, non tamen esse reversam integro jure postliminii.

Sed

(1) Plac. I. 1. 1. 3. 4.

Sed quicquid sit, Groningani in Ordines Generales compromiserunt in d. §. 5. Compromiserunt & Om-melandenses, ob solam, opinor, potentiam Urbis vi-cinae.

Drenthani 11. Apr. 1580. in Foedus Utrechtanum recepti sunt, sed deinde victi sub Hispanis fuere. Ut autem Hispani recesserunt, in pristinam conditionem rediisse videbantur. Atque inde etiam anno 1618. ut socii, pari jure, in Foedus admitti petierunt. Ordines Generales 27. Oct. & 21. Nov. 1618. ea de re delibe-rari jubent, & ad singularum Provinciarum Ordines causam remittunt. Hi, ut reciperentur, inclinabant, & Delegatis suis fere potestatem in hanc rem dederunt, sed tamen vel ita nihil decretum est. Rursus Drenthani id ipsum petierunt anno 1633. at Ordines Generales 19. Febr. 1633. idem decreverunt, quod anno 1618. Tertio petierunt anno 1643. sed Ordines Generales 9. & 13. Oct. 1643. tantundem fecerunt, quod antea (2). Ceterum Epistola, Ordinum Generalium nomine scrip-ta 6. Nov. 1650. & cui eorum Praeses per errorem sub-scripsérat, vocati quoque sunt Drenthani ad extraor-dinaria Ordinum Generalium comitia, sed, cum ades-sent, sunt repulsi (3). Admitti tamen postularunt, sin autem, remitti ad aequos Judices, sed mense Julio anni 1651. causa simpliciter remissa est ad Ordinum Gene-ralium Collegium ordinarium. At vero admissi non-dum sunt, nec etiam, quod sciam, plane rejecti. Ini-quum sane videri posset, nullam, cur non recipiantur, rationem reddi in illis tam Generalium, quam singula-rium

(2) Instrumenta, quae hoc pertinent, & Drenthanorum rationes sunt: apud Aitzema *Hersfeld Leeuw* p. 255-305. & L. XXIII. *Histor.* p. 563.

(3) Aitzema *H. L.* d. p. 255. & seqq.

118 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rium Ordinum Decretis, neque tamen recipi. Forte dici posset, Drenthanos non abdicasse Hispaniarum Regem, ut abdicarunt reliqui Foederati 26. Jul. 1581. mansisse igitur sub Imperio Hispanorum, & ita, ut hostes, fuisse occupatos. Sed neque ea ratione eos excluderim, cum mihi non constet, eo ipso, quod non abdicarint Regem, in Foedus commisisse; neque etiam eam rationem iplis objectam invenio. Nescio igitur, quid obstet, quominus Drenthanis jus postliminii fuerit salvum.

Illi quoque Brabantini, qui sub Rege Hispaniarum fuerant, sed deinde a Belgis Foederatis occupati sunt, anno 1648. in Foedus Utrechtum admitti petierunt, sin autem, iis saltem res suas agere permitteretur. Quarundam Provinciarum Ordines Delegatis suis ea de re agendi potestatem dedisse memorantur, sed nihil effectum est. Rursus iidem idem petiere in extraordina-riis Ordinum Generalium comitiis 22. Mart. 1651. sed & tunc nihil quicquam profecerunt. Rationes eorum tam anni 1648. quam anni 1651. exstant apud Aitzema (4). Sed haec ad causam postliminii non pertinent, nam ex his Brabantinis sola Breda in Foedus recepta fuerat 15. Sept. 1579. Quare & de solis Bredanis tantum dicimus, quod de Drenthanis.

Ad causam postliminii magis pertinent Gelria, Utrechtum, Transilvania, tres Provinciae ex septem Foederatis, quae anno 1672. a Gallis occupatae, sed post derelictae & recuperatae sunt. Postquam illae in hostium potestatem concederant, jus quidem Foederis amiserunt, & recte tunc earum Delegatis imperatum est,

(4) *Herveldse Leeuw* p. 313-335.

est, ne amplius Collegio Ordinum Generalium interesse vellent (5), sed iis denuo recuperatis, in eandem societatem, eodem, quo antea, jure ex causa postliminii rediisse videbantur, cum sic redeant non tantum partes Reipublicae avulsae, & mox redditae, ut erat in ea specie, sed & omnes illi, qui ab hostibus capti *in Civitatem sociam amicamve venerint.* l. 19. §. 3. ff. de Capt. & postlim. revers. Decreverunt quidem Ordines Generales 20. Apr. 1674. (6). Iis Provinciis restituereatur ordo & sessio, quemadmodum ante captivitatem habuerant, sed tamen Gelriae unum suffragium in Consilio Ordinum Generalium ademptum est, & plura alia per pactiones elicita, priusquam in Foedus reciperentur, quin & illis denunciatum, ut de novo in Foedus jurarent, atque si jam primum admitterentur, ut haec sunt in illo Decreto 20. Apr. 1674. Quod si autem jure postliminii perinde omnia restituantur, ac si captivitas non intercessisset, ut id ubique definitum & in mores Gentium versum est, oportuerat iis Provinciis cuncta restitui, quae ante occupationem habebant. Ipso jure postliminium competit, &, si competit, cur partem retinet; si non competit, cur quicquam tribuis? Scio, quae contra jus postliminii mota sint, sed res esset invidia plena haec referre, & refellere multo magis. Noli etiam tu putare, quod putavit quidam Advocatus Fisci (7), ea, quae sociorum sunt, hostibus erepta, postliminio non reverti, quia nempe Ordinum Generalium Decreta 19. Apr. 1659. & 5. Febr. 1666. quae ibi laudat, duntaxat loquuntur *van ingesetenen van desen Staat.*

(5) Hollandse Mercurius 1671. p. 140.

(6) Plac. III. 1. 1. 39.

(7) Conf. Belg. T. II. Consil. 66.

120 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Staat. Largior de sociis sermonem non esse in iis Decretis, sed non alia ratione, quam quod de sociis tunc quaestum non sit. Quin si ex his ipsis Decretis res esset definienda, utique pro subditis hujus Reipublicae essent habendi, qui eorum tam magnam partem constituant. Rectius alii (8) judicant, in causa postliminii & socios & nostros nullo discrimine esse habendos. Unde & Decretum Ordinum Generalium 23. Oct. 1676. cuius memini supra C. V. non modo postliminium tribuit iis, quae in nostrorum navibus capta & recuperata sunt, sed & quae capta & recuperata essent in navibus sociorum vel amicorum, *geallieerde of neutrale*. Etiam alias ita sapuisse Ordines Generales, damnata Francorum, qui aliter sapiebant, sententia, supra observabam C. XV. *vs. Secundum haec.*

Quum varia in Brasilea & alibi loca Ordines Generales occupassent, quae olim ad Lysitanos pertinuerant, sed quae Ordines Hispanis, tunc Lysitaniae regnum habentibus, ademerant, in §§. 21. & 22. Induciarum decennalium inter Regem Lysitaniae & Ordines Gener. 12. Jun. 1641. (9) expressum est, non posse pati Ordines Generales, ut quicquam ex iis jure postliminii vel quasi a Lysitanis repeteretur. Sed resuscita est illa quaestio anno 1657. cum contra id, quod induciis illis placuerat, Rex Lysitaniae quaedam Americae loca Belgis ademisset, eo enim anno Legatos suos in Lysitaniam clarigatum misere Belgae Foederati. Lysitani responderunt, elapso decennio nullam d. §§. esse potestatem, illa etiam loca se restituere nec posse, nec velle, paratos tamen esse pro iis pecuniam quamdam

Or-

(8) *Conf. Belg. T. III. Conf. 62. & 69.*(9) *Plac. I. 1. 2. 6.*

Ordinibus numerare. Sed cum eam Ordinum Generalium Legati accipere noluisserent, bellum Lysitanis indictum 22. Oct. 1657. (10) Tandem haec quaestio composita est Pace, quae inter Lysitanos & Ordines Generales intercessit 6. Aug. 1661. (11) Sane non injuria Lysitani repetuisse videntur loca sua, ab Ordinibus Generalibus occupata, quia Ordines fatebantur, Regnum Lysitaniae non pertinere ad Hispaniarum Regem. Addo, quod & Lysitani fuerint socii Ordinum Generalium in bello contra Hispanos, ut sic ipso jure Lysitanorum loca, quae in Ordinum Generalium potestatem venere, postliminio redierint ad Lysitanos ex d. l. 19. §. 3. ff. de Capt. & postlim. rev. Eo quidem tempore, quo in potestatem Ordinum venere, non erant Reges Lysitaniae, postea tamen in eorum potestatem, quin & in ipsum Lysitaniae Regnum recidere debuerunt, quae a sociis occupata erant, salvo Ordinibus jure repetendi sumptus, in iis locis occupandis impensos; & eo forte pertinet §. 1. d. Pacis 6. Aug. 1661.

(10) Tota res est in *de Hollandische Mercurius* 1657. p. 83-91. & 1658.

p. 117-123.

(11) *Plac. II. Append.* p. 2849.

C A P U T X V I I .

De Piratica, & an Barbari in Africa sint piratae.

Interest scire, qui piratae ac latrones sint, nam ab his capta dominium non mutant, neque adeo postliminio egent. Sic docet ratio, sic auctoritas Juris in l. 19. §. 2. l. 24. & l. 27. ff. de Capt. & postlim. rev. & sic ex Pactis quarundam Gentium supra probavi C. XV.

Tom. V.

Q.

Non

Non est igitur, ut addam auctoritates Grotii *de Jure B. & P.* L. III. C. 9. §. 16. Alberici Gentilis *de Jure belli L. I. C. 4.* Zouchei *de Jure Faciali Part. II. Sect. 8. Q. 15.* aliorumque plurium in eandem sententiam. Qui autem nullius Principis auctoritate, sive mari, sive terra, rapiunt, piratarum praedonumque vocabulo intelliguntur. Unde, ut piratae, puniuntur, qui ad hostem depraedandum enavigant sine mandato Praefecti maris, & non praestitis, quae porro praestari desiderant §§. 5. & 69. Formae Admiralitatum 13. Aug. 1597 (¹). Exstant praeterea Ordinum Generalium Edicta 27. Jul. 1627. & 26. Apr. 1653. (²) quibus continetur, ne quis Foederati Belgii incola cum mandato externi Principis enavigaret ex Belgio, vel alia qua Regione; & ne quis mandato Praefecti maris Foederati Belgii aliud externi Principis adjungeret sine Ordinum Generalium consensu; si quis secus fecisset, capite bonisque puniretur, & ea insuper pecuniae summa, pro qua ante enavigationem caverat. Ex ipsa ratione satis intelligo, qui externi Principis, aut plurium Principum, qui diversos hostes habent, mandato ad depraedandum exeunt, piratarum nomine centrifendos esse, quia sic possent & non hostes depraedari, & alios Principes contra suum suscitare. Sed & Ordines Generales eos pro piratis esse habendos specialiter edixerunt 29. Jan. 1658. (³) cui Edicto forte causam praebuerunt, qui mense Novembri 1657. rapinam exercere op dobbele Commissie van Vrankryk en Portugal, de quibus lego in Annalibus Hollandiae (⁴).

Sed

(¹) *Plac. II. 5. 8. 1. 1.*(²) *Ibidem II. 4. 13. 4.*(³) *Ibidem II. 4. 26. 1. 1.*(⁴) *In de Hollandsche Mercurius 1657. p. 107. & seqq.*

Sed quid dicemus de iis , qui utuntur *dobbele Zeebrieven* , quemadmodum saepe utuntur navarchi , ut tutius ~~in~~ *contrabanda* vehant , vel alias fraudes agant ? non quidem illi tantum delinquent , quantum piratae , sed tamen eorum , qui id fecerint , naves & merces publicari jubet §. 5. Edicti Ordinum Gener. contra Lytianos 31. Dec. 1657. (5). Id vero non nocere , si in nostram fraudem non fiat , Pragmatelli quidam argutantur *Conf. Belg. T. IV. Consil. 203.* sed argutantur tantum , publice enim expedit , ut inter Principes eorumque subditos bona fides servetur , & ne quisquam cuiquam fraude sua noceat .

Sunt & alii nonnulli , qui proprie quidem piratae non sunt , ob atrocitatem tamen criminum , ut piratae puniuntur . Atque ita est in his , qui contra interdictiōnem , a Principe factam , proprius ad terram accedunt . Ordines sane Generales 24. Febr. 1696. (6) edixerunt , qui sine Classe propinqua , navi Francica praedatoria veniret onder 't land , binnen de tonnen , capite plectretur , quod in Francos exercuere Groningani 14. Mart. 1696. quo jure haec fiant , supra disputavi C. III. Ut piratae quoque puniuntur , qui in contractibus assūcationum dolo malo agunt ex §. 22. Edicti Philippi II. de Assūcationibus 20. Jan. 1570. (7). Itemque illi , qui retia , ad piscandos haleces exposita , secant ex §. 23. Edicti ejusdem Philippi 9. Mart. 1580. (8).

Quod autem Albericus Gentilis L. I. *Advoc. Hispan.* C. 15. aliique eos , qui *Barbari* in Africa vocantur , jure

(5) *Plac. II. 4. 28. 1. 2.*

(6) *Ibidem IV. 1. 7. p. 216.*

(7) *Ibidem I. 2. 7. 1. 3.*

(8) *Ibidem I. 2. 5. 1. 1.*

224 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

re piratarum censem, & eorum occupatione dominium mutari negant, nulla ratione defendi poterit. Algerienses, Tripolitani, Tunitani, Zaleënses piratae non sunt, sed Civitates, quae certam sedem, atque ibi Imperium habent, & quibuscum nunc pax est, nunc bellum, non secus ac cum aliis Gentibus, qui propterea ceterorum Principum jure esse videntur. Saepe cum iis foedera pangunt alii Principes, saepe & Ordines Generales, quemadmodum 30. Apr. 1679. & 1. Maj. 1680. (9) & saepius deinceps. Cicero *Philippic.* IV. C. 14. justum hostem describit, *qui haberet Rempublicam, Curiam, aerarium, consensum & concordiam Civium, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis & foederis.* Quae omnia sunt penes Barbaros illos in Africa, habent etiam *rationem aliquam pacis & foederis*, ut solent habere reliquae Gentes, sui commodi, quam foederum plerumque studiosiores. Ut *summam* habeant, nemo exigat, quia & haec frustra exigitur ab aliis Populis. Quin si vel injustius agant, propterea tamen Civitatis nomen & jus non amittere recte observavit Huberus *de Jure Civitatis* L. III. Sect. 4. C. 5. n. ult. Sane, quia Algerienses Rempublicam constituunt, etiam Legati ad eos mittuntur, & qui in bello ab illis capti sunt, statum mutant & fiunt servi. Atque hinc non privatum tantum, sed & aliquando publice redimuntur ab Algeriensibus capti. Hollandiae utique Ordines 25. Sept. 1681. (10) statuerunt, Ballivii referrent, qui ex suo territorio ab Algeriensibus capti essent, ad Magistratus Urbium, quibus, quod ad tributa, subsunt, illi ad Con-

filia-

(9) Exstant ea *Pacta Plac.* III. 1. 13. 35. & rursus, saepe enim in his Libris eadem iisdem verbis repetuntur, III. II. n. 12.

(10) *Ibidem* III. II. 18.

filiarios Ordinum Hollandiae , ut hi eorum rationem haberent in redimendis captivis. Hispani forte illos Barbaros justorum hostium numero non habent , sed , quamvis id verum sit , extra Hispaniam tamen porrige- re non licet. Solent quidem & Belgae eos captos in Hispaniam advehere , & ibi , jure talionis , in servitutem vendere , at illud est ex Jure belli , quod contra quemlibet hostem , si ita videatur , recte exercetur , modo ea subsistant , quae in hanc rem supra disputavi C. III.

Ex facto tamen quodam , quod olim incidit , dicen- dum videbatur , illos Afros pro piratis esse habendos , neque adeo , quaecunque cuperint , dominium mutare. Ita profecto intelligi posset , quod 15. Jul. 1664. Ad- miralitas Amsterdammensis sine servaticio reddiderit navim , quam Anglis eripuerant Algerienses , & rursus Algeriensibus Ordinum Generalium Archithalassus , id- que jussu Ordinum Generalium , ad Legati Anglici pe- titionem , ea spe , ut additur , Anglos in causa simili si- militer esse facturos , quemadmodum haec variis locis commemorat Aitzema (11). Sed ne haec causa aliis praejudicet , sciendum , Algerienses , qui cum Anglis & Ordinibus proxime pacem fecerant , media pace navim hanc Anglicam occupasse , & ea , non alia ratione pla- cuisse , dominium navis Anglicae mutatum non videri. Haec ipsa certe Legati Anglici ratio est apud Aitzema (12); an satis fuerit idonea , nunc non quaero , con- tentus observasse , id factum esse habendum , & ab ultra- que parte etiam fuisse habitum pro facto singulari.

De foro piratarum quaeri potest , & saepe quaesitum est.

(11) L. XLIV. p. 155. 236. 237. & 261.

(12) d. p. 155.

126 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

est. Prima quaestio esto, an piratica judicium fori communis sit, an vero ad Admiralitates pertineat? Si de Belgio Foederato quaeras, nam eo fere reddit omnis nostra disputatio, accipe verba §. 3. Formae, quam Admiratibus suis praescriperunt Ordines Generales 13. Aug. 1597. *De Raden* sullen jurisdictie hebben over alle buyten en prysen, die van de Schepen van Oorloge of andere by particuliere toegerust, en op des Admiraals bestelling uitgevaren, agterhaalt en ingebragt sullen worden, mitsgaders ook van alle quaestien en geschillen, die tusschen eenige van de voorschreve Schepen van Oorlog of op de voorschreve bestelling uitvarende, sullen mogen rysen over alle misbruiken en misdaden, die by eenige van dien zouden mogen worden gecommitteert, mitsgaders over den geenen, die van eenige Zeerovers zullen worden betigt of agterhaalt. Haec describendi taedium devoravi, ut de sensu ipse judicares, nam haec postrema, quae de piratica agunt, forte referri poterunt ad praecedentia, in quibus verba fiunt de navibus belli publicis, vel de privatis, quae mandato Admirali ad praedam enavigant, ut nempe harum utrarumque piratica accusatio ad Admiralitates pertineat, ceteris judicio communi relictis. Sed etiam generaliter & disjunctim accipi possunt, &, ut accipientur, suadet separata quodammodo oratio, mitsgaders over den geenen &c. suadet etiam §. 18. d. Formae, qui ait: *Wanneer eenige Zeerovers, of andere Vyanden van den Lande* ingebragt zullen wesen, zal den Luytenant Admiraal, zoo veel mogelyk, op alle regtdagen hem praesent vinden, en insonderheid, wanneer de sententie definitive gegeven zal worden. Haec utique distincta sunt, & aliis non cohaerent.

Cum

Cum Anglus, qui navim suam injuria a tribus Ordinum Generalium navarchis captam ajebat, unum ex his apud Judices Amsterdammenses arresto detinuissest, Judices, abolito arresto, causam ad Admiralitatem remiserunt, idque juris esse notissimi Ordines Generales profitentur in Decreto quodam anni 1662. quod est apud Aitzema (13). Recte, si, ut in illa specie, navarchus in officio delinquisse dicatur, vel de eo agatur, qui cum mandato ad praedandum exiit, de his enim solis Admiralitatis jurisdictione est ex d. §. 3. Cum autem ad alios nihil quicquam pertineat ille §. 3. omnes actiones, quae contra alios de damno, per injustam capturam illato, instituuntur, fori sunt ordinarii; per incuriam tamen non semper id observatum est.

Si quis, quamquam exterus, nostros sit deprae datum, & capiatur, non dubitaverim, quin apud nos recte accusari & puniri possit, non tantum si in rapiendo captus & ad nos translatus sit, sed & si alia quacunque occasione apud nos deprehendatur. Et nemo contradixerit, si sine codicillis Principis sui in nostros rapinam egerit, sed si ex mandato, cuius fines egressus dicitur, simile quid fecerit, magis dubitari posset. Anno 1667. ea de re quaesitum est inter Anglos & Ordines Generales, cum ageretur de iis, qui ex Repressaliis, quas tempore dissidii impetraverant, etiam post pacem essent praedaturi. Angli contendebant; Principis, qui Repressalias dedisset, de his judicium esse oportere. Ordinum Generalium Legati urgebant, pro pirata esse habendum, qui sine legitimo Principis mandato hostile quid moliretur, omniumque Gentium jus esse,

(13) L, XLII. p. 347.

esse, eum puniri posse a quocunque Principe, in cuius potestatem fuisset redactus, ejusque rei quam plurima etiam extare exempla. Idem quoque Francicis Legatis tunc temporis visum est, & ita inter Anglos & Ordines Generales etiam tunc obtinuit (14). Sed pirata quis sit, nec ne, inde pendet, an mandatum praedandi habuerit, si habuerit, & arguatur id excessisse, non continuo eum habuerim pro pirata. Vulgo de mandatis suis judicant ipsi Principes, quia capta ad eos deferruntur, facile tamen patior, eum Principem, cuius subditi de rapina queruntur, de ea ipsa judicare, si, qui eam fecit, ad eum advectus, vel apud eum deprehensus fuerit. Simpliciter in §. 22. Pacis inter Regem Franciae & Ordines Generales 27. Apr. 1662. (15) convenit, de navibus ab iis, qui mandatum Principis haberent, occupatis ne ageretur alibi, quam apud eum, qui mandatum dedisset.

In extero, qui exteros depraedatus est, plus est difficultatis, an nempe is, apud nos deprehensus, a nobis judicari possit? Anno 1661. dubitatum est in eo, qui a Rege Lysitaniae habebat praedandi mandatum, & amicis quibusdam nostris, quibuscum Regi Lysitaniae nullum quoque bellum erat, in mari rapinam fecerat, sed praedone interim mortuo, nihil tunc definitum est (16). Rex tamen Angliae anno 1668. navim Ostendensem, cum mandato Regis Hispaniarum praedantem, quae navim Hollandicam occuparat, ad petitio-
nem Legatorum Ordinum Generalium, detineri, &
leges

(14) Narrat haec Aitzema L. XLVII. p. 97.

(15) Aitzema L. XLII. p. 310.

(16) Sic refert idem L. XLI. p. 97.

leges contra Navarchum exerceri jussit (17). Plane si legibus cautum sit, ut cautum est duobus Ordinum Generalium Edictis, quae retuli ad finem C. XVI. ne quis ex mandato exteri Principis captas naves mercesve hic vendat, nisi in suum, unde praedatum enavigarit, portum deductas, ibique publicatas, iniquum videri posset, contra eum, qui cepit, vel Fisco hic actionem dare de crimine, vel exteris navium merciumque dominis de damno dato. Utriusque exteri conditio in pari causa sit oportet, aut contra praedatorem hic agi poterit, aut non poterit, si possit, etiam is, qui praedatus est, hic agere poterit jure suo, & contendere, praedam, quam cepit, recte captam esse. Et tamen durum, & sine exemplo esset, navium rerumque dominis res suas hic apud peregrinum quem, mox nescias quo abiturum, deprehendentibus jurisdictionem negare; quam si non neges, quemadmodum praedatori negabis? sic ut vel ea ratione mihi non satis placeant duo illa, quae dixi, Ordinum Generalium Edicta.

Vulgaris piratarum poena est capitis bonorumque supplicium, quod satis indicant omnia illa Edicta, quae supra recensui, facta de iis, qui ob atrocitatem delicti piratarum loco habentur. Sed vero contra ipsos pirates, eorumque receptores & adjutores speciale exstat Ordinum Generalium Edictum 25. Aug. 1611. (18) ex quo puniuntur *aan lyf en goed*, parte tertia bonorum, quae publicarentur, delatori data. Capitalis igitur poena est, nec judicis est minorem statuere; ea autem vel durius vel mitius solet exerceri pro frequentia piraticae, aliis-

(17) Ita est apud eundem L. XLVIII. p. 12.

(18) Plac. I. 2. 24. 1. 3.

aliisque factis, quae incident. Et sane, modo capitalis sit, judicis arbitrio ea res relinquitur, ut in ceteris fere criminibus obtinet, in quibus simpliciter poena capitatis statuta est.

C A P U T X V I I I .

De Praedatoria privata.

Praedatoria privata ad Jus publicum quoque pertinet, non tantum, quod eam exercere non liceat sine publica auctoritate, sed & quod controversiae, inde natae, saepe turbent Rempublicam, & Principes invicem committant. Romae quidem olim obtinuit, qui miles Populi Romani non esset, eum neque jure hostem Populi Romani caedere posse, ut Catonem censuisse auctor est Cicero *de Offie. L. I. C. 36.* &³ *37.* & Plutarchus *Quaest. Rom. 39.* sed deinde apud Romanos recepta videtur Lex Solonis, a Gajo memorata in *l. 4 ff. de Colleg. & corpor.* ex qua valet privatorum societas, ad praedandum contracta. Diu sane est, ex quo nunc Principes non publicis duntaxat, sed & privatorum opibus adversus hostes suos utuntur. Olim in Belgio Foederato fuerunt privati, qui ipsi naves bellicas exercebant, quibusque, praeter praemia, ex captis & recuperatis navibus redacta, ex publico aerario numerabatur certa pecunia pro modo expensarum, & pro modo temporis, quo operam bellicam praestabant. Iliae naves privatorum dicebantur *Kruyffers*, iisque adversus Hispanos cum maxime usi sunt Ordines Generales. Varia de his sunt Ordinum Generalium Edicta, quae referre nihil attinet. Alii & olim, &

& nunc , cum bellum exarsit , suis ipsi navibus , nau-
tis , militibus , sumptibusque in hostem agunt , sola spe
praedae maritimae , quam capturi sunt , atque illae naves
vocantur *Kapers* , *Vrybuyters* , vel honestiore nomine
Commissie-vaarders . An de eo hominum genere intel-
ligi possit l. 6. ff. de *Capt.* & postlim. rev. ubi *latrun-
culi* appellarentur , subsisto , nec est , unde tuto sciri
possit . Quod autem Albericus Gentilis in Libris *de
Advocatione Hispanica* , variis locis , etiam cum de ju-
re , quod usu servatur , ipsi sermo est , ejusmodi homines
passim appellat *piratas* , nec alio , quam piratarum , lo-
co habet , utique absurdius est , quam ut constituta Dis-
putatione refutari oporteat : quicquid enim illi agunt ,
agunt auctoritate publica , neque enavigant nisi ex manda-
to Ordinum Generalium vel Praefecti maris , adjuncto di-
plomate Vicarii , *Attache van den Luitenant Admi-
miraal van 't Quartier* , & praestito jurejurando , praef-
titaque cautione idonea , non hostibus damnum datum
non iri . Haec & alia , quae ad praedatoriam mariti-
mam pertinent , continentur Forma Admiralitatum , va-
riis Ordinum Generalium Edictis , quin & specialibus
legibus (*Reglementen op de Commissie-Vaarders*) quas
non semel praedatoriis navibus dederunt Ordines Gene-
rales , cum variae Gentes de iniqua earum rapina essent
quaestae . Sed haec omnia , quae cuiilibet ad manum sunt
vel esse possunt , recitare & describere nec vacat , nec
lubet .

Quaero potius , nam operaे pretium est , an navar-
chi , navibus illis praedatoriis ab exercitoribus praepo-
siti , & ad praedandum conducti , cum aliis navarchis
possint pacifici de societate praedae , quam separatim
capturi sunt ? Et si ad praedandum duntaxat sint con-

ducti, nec quid aliud iis sit mandatum, verius est, ci-
tra consensum exercitorum nullam eorum esse potesta-
tem, & proinde pactiones, de societate sive commu-
nione praedae initas, esse nullas. Noli objicere, quod
ex Lege Solonis refert Gajus in d. l. 4. ff. de Colleg. &
corp. valere pacta *πώτι λίαν οἰχοδόπερ*, eorum, quae ad
praedam exeunt, ut haec vertenda & explicanda esse
existimabam L. I. Observ. C. 16. nam satis apparet, So-
lonem esse intelligendum de iis, qui sui juris sunt, at-
que ita ad praedam exeunt, utputa si ipsi navium do-
mini exeant, & navibus, nautis, militibusque suis ipsi
utantur, cuius conditionis sunt exercitores, quos Bel-
gae vocant *Reeders*. Eorum initiae societas pactione
de praeda erciscunda, & quaecunque alia, utique va-
lent, quia de rebus suis ex animi sententia cuique licet
statuere, sed haec non recte transferas ad navarchos,
nisi ipsi quoque sint navium domini, ut fere nulli sunt.
De his quaerimus, quorum opera non est conducta, nisi
ad praedandum, & ea abutuntur ad paciscendum. Mag-
ni momenti lis ea de re incidit, & ad ipsum Revisio-
nis judicium pervenit. Titii navis praedatoria, & alia
Maevii hostis navem simul occupant, & deinde, ut
Maevius ajebat, utriusque navis praedatoriae navarchi
paciscuntur, reliquam quoque, quam capturi essent,
praedam communem fore. Mox discedunt, Titiique na-
vis sola aliam hostium navem occupat, quam Maevius
ex eo pacto communem esse contendit. Negat pac-
tum esse Tititis, ut etiam ea praeda communis esset,
quam separatim quisque caperet, &, si esset, ait id
pactum jure non subsistere. Obtinuit etiam apud Judi-
ces Vlissinganos. Sed quum Maevius provocasset ad Se-
natum Supremum, vincit ibi Titium 3. Mart. 1696. ea-
que

que Senatus sententia in judicio Revisionis probata est
4. Oct. 1697. Et ita quoque in alia causa responde-
runt alii (¹), & olim etiam judicavit Admiralitas Am-
sterdamensis anno 1665. (²).

Sed, excepta Vlissinganorum sententia, puto perpe-
ram responsum & judicatum esse, utcunque pactum ef-
fet, ut Maevius ajebat. Miror me legisse in Actis Su-
premi Senatus, quibus singulae singulorum Senatorum
& Revisorum sententiae inferuntur, in ea specie, quam
proposui, unice laboratum esse, an nempe inter utrum-
que navarchum convenisset, ut omnis praeda esset
communis, etiam separatis capta, an ea duntaxat,
quam alter caperet, altero praesente; de quaestione autem
Juris, quae me in primis sollicitum habet, sollicitum
fuisse neminem. Sed fac omnem praedam ex pacto fuis-
se communem (nam de quaestione facti nihil dicam)
adhuc putem, navarchi sui pactum Titio nihil nocuisse.
Titius navarchum emisit, ut lucrum vel damnum fer-
ret solus, & nihil ei quicquam mandavit, quam ut praed-
aretur, minime vero, ut societatem vel in damnum
vel in lucrum suum contraheret, ipso Titio pacturo,
si Maevium voluisse habere socium. Quicquid igitur
ejus rei egit Titii navarchus, egit sine mandato; quod
si sit, neque exercitores suos obligare potuit. Scio, si
navis Maevii praedatoria aliquam hostilem cepisset sola,
Titio non difficulter persuaderi potuisse, ut in partem
praedae veniret, sed nec Maevio difficulter, ut tunc
defenderet id ipsum, quod nunc Titius defendit. Pri-
ma navis hostilis, communibus viribus capta, commu-
nis.

(¹) Consil. Belg. T. IV. Consil. 204.

(²) Ita relatum est a. Consil. 204. n. 3.

134 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nis erat ex causa societatis, casu incidendis, sed non aequa secunda, quam Titii navis praedatoria cepit sola, quamque ideo sibi soli habebit, si, ut ego quidem opinor, pactum navarchi sui praestare non teneatur. Atque ita ex ratione Juris, seposita quaestione facti, Vlissinganorum sententiam aliis omnibus praetulerim.

Ceterum diligentius querendum est de communione praedae, si una pluresve naves navem hostilem ceperint, aliis, cum caperetur, praesentibus, sed non pugnantibus. Quod ad naves bellicas Decreto Ordinum Generalium 28. Jan. 1631. (3) continetur, dat men een van een ander geabordeert schip ook wel mag aborderen, dog niet als den abordeerde rœpt, geen hulp van noden te hebben. Sed illud mihi speciale esse videatur in navibus bellicis, alioquin nihil impedit, quomodo hostem communem, nondum captum, & ipse aggrediar & simul capiam. Ob eandem rationem speciale quoque videtur, quod statuit §. 6. Formae, quam Ordines Generales 15. Jul. 1633. (4) dederunt privatis, in America praedaturis contra Hispanos, navem scilicet praedatoriam praedae, quam simul cepit cum nave Societatis Americanae, partem non esse habituram, nisi expresse in auxilium fuerit vocata. Rursus speciale esse dixerim, quod ait §. 7. ejusdem Formae, dat Commissie-Vaarders, op slag komende, moeten affstaan van 't exploit, dat des Compagnie's schepen willen doen, op verbeurte van schip en goed. Sin autem navis praedatoria, in auxilium vocata, cum nave Societatis Americanae simul praedam ceperit, inter eos praeda dividendi.

(3) Plac. II. 5. 8. 2. 1.

(4) Ibidem I. 2. 3. 3. 1.

viditur, sed, quod nunc Juris communis esse opinor, pro utriusque magnitudine & viribus d. §. 6. d. Formae 1633. Si vires fuerint aequales, cuique praeda cedit pro semisse, alioquin *geometricam*, quam vocant, proportionem servari aequius melius est.

Sed quid dicemus, si duas pluresve naves praedatoriae navem hostilem persequantur, & una ceperit? vel, si plures forte adsint, sed spectatores tantum, non actores, si quidem una ceperit? Ex d. Decret. 28. Jan. 1631. cuius sic memini, *word de prys verdeelt over alle de Oorlog-schepen, die de prys vervolg t hebben, maar die de zelve verovert heeft, heeft de Vivres, handgeweer en plunderage.* Sed vides rursus agi de navibus bellicis, de quarum praeda Ordines pro arbitrio suo decernunt; ceteroquin si de privatis ageretur, ego potius praedam adjudicarem ei soli, qui navem hostilem oppugnavit & vicit, quotquot aliae naves sint persequatae, vel spectatores adsuerint. Sunt tamen, qui & praedae socios admittunt, quicunque simpliciter adfuerunt, vel in conspectu, e longinquo. Quod largiendum non est. Scio, aliorum vel solam praesentiam efficere potuisse, ut hostilis navis facilius vel caperetur, vel deretur, sed non quaerimus, quamobrem capta vel ditta sit navis, sed quis occupaverit: neque enim Arcem, Urbem vel Classem, in quarum conspectu praeda capta est, in societatem praedae admitteremus, et si vel maxime earum metu praeda capta dici posset. Plane si & alia navis oppugnaverit hostilem, contracta videbitur fortuita societas, & ejus ratio flagitat, ut pro ratione virium commune sit, quod communibus viribus captum est. Neque etiam in hac specie distinguimus, quantum quisque oppugnaverit, hoc enim usum habet

ret difficillimum, sed an oppugnaverit, & re ipsa victoriae quoque causam praebuerit. Non abfimilis est haec caufa ei, quod de feris dicitur in §. 13. *Inst. de Rer. divis.* eas scilicet non persequentibus, sed occupantibus cedere.

Si, ut inter mercatorum naves saepe solet, inita fuerint pacta mutuae defensionis (*Admiraalschappen* dici obtinuit) quaero, si una ex his navibus hostilem cepere, an praeda sit communis, an propria capientis? Et, cum ex facto res incidisset, soli, quae cepit, praedam cedere responsum est *Consil. Belg. T. II. Consil. 200.* neque obesse damni communionem, quia haec non censetur ex jure quodam societatis universalis, sed *als avarie grosse*. Puto recte responsum, atque inde esse, quod in §. 54. Edictorum, quae Ordines Generales variis temporibus promulgarunt *van Admiraalschappen* (⁹), praedam publicandam sanciverint *ten profyte van die bulp en assistentie gedaan hebben*, & ita quoque sancitum est in §. 9. Edicti Ordinum Generalium 4. Jun. 1622. (¹⁰). Est sane verissimum, ejusmodi pacta nullius lucri faciendi, sed solius damni vitandi gratia iniri. Inde damnum quidem commune est, ut & Grotius haec explicat *L. III. Introductionis ad Jurispr. Holl. C. 22.* sed id esse ex natura ipsius pacti recte observavit Loccenius *L. II. de Jure marit. C. 2. n. ult.* De lucro nihil actum est vel expresse, vel tacite, neque enim tacita pacta intelliguntur, si ipsius negotii indoles impedimento est. Attamen posse credere, ut damnum, ita & lucrum communicari, quia, cum in §.

48.

(⁹) Exstant *Plac. I. 2. 7. 3. 1.*(¹⁰) *Ibidem I. 2. 9. 1. 1.*

48. d. Edd. sanctum esset, damnum, ab hoste illatum, communiter, pro pretio singularum navium esse ferendum, mox additur in §. 49. naves esse aestimandas, om zo wel in schade, als VOORDEEL, daar na gerekent te worden. Quid sibi vult illud Voordeel, nisi praedam quoque esse coimunem? Sed potes & debes id intelligere de iis navibus, quae in occupando auxilium tulerunt, ut sic societatem ex auxilio metiaris, ut totidem verbis ajunt d. §§. 54. & d. §. 9. proportione, ut modo dicebam, geometrica, non arithmeticata.

Supereft, ut de iis dicamus, qui de praeda terrestri vel maritima judicare possint. Ex Edicto Comitis Leycestrani 4. Apr. 1586. (7) of de gevangens van goeden prinſe zyn, of niet, cognoscit proximi loci Magistratus, of de daar toe gecommitteerde. Sic ibi generaliter de captivis, quod existimaverim & in reliquis rebus captis obtinuisse. Sane Leycestranis temporibus singulae Provinciae diligentiores, quam postea, fuerunt, ne nimiam potestatem Ordines Generales, eorumque Collegia, sibi adrogarent. Quod Leycestranus constituit, adhuc defendamus, quantum ejus fieri poterit, sed, quod ad praedam maritimam, intercedit §. 3. Formae Admiralitatum 13. Aug. 1597. cujus §. verba, alia occasione, supra exhibebam C. XVI. iis autem probe consultis satis appetat, ut ibi quoque indicabam, non aliam Admiralitatibus jurisdictionem dari, quam de praedis, quae mari captae essent a navibus bellicis, aut a praeatoriiis privatis, quae cum codicillis Admirallii enavigant. Haec Admiralitatum jurisdictione non est nisi delegata, & in omni jurisdictione delegata regula est, omni

(7) Plac. II. 4. 6. 1. 1.
Tom. V.

omni exceptione major, quicquid specialiter delegatum non est, ad ordinariam Jurisdictionem pertinere. Quaecunque igitur naves sine mandato Admiralii enavigant, ut sunt onerariae, solis mercibus transvehendis destinatae, si naves hostiles, sibi obviam factas, occupaverint, de his praedis judicabit Magistratus, cui ordinaria jurisdictione mandata est. Si milites forte deprehendant naves hostiles, Judicium militarium erit jurisdictione. Et tamen, cum Comes in *Styrum*, tunc Praefectus Muydensis, naves quasdam cepisset in *Gelria* prope *Nieuwkerk*, & de his judicandum statuisset apud militarem Senatum in *Muyden*, Hollandiae Ordines Decreto suo 14. Apr. 1673. (8) complexi sunt, ejus rei cognitionem ad Admiralitatem Amsterdammensem pertinere, juris enim esse certissimi notissimique. Admiralitatibus jurisdictionem competere de rebus, *op wateren of stroomen genomen of aangebaalt*. Sed ego non animadverto, quemadmodum ejus rei cognitio ad Admiralitatem pertinere potuerit, cum nec naves belliae praedam ceperint, nec etiam aliae ex mandato Admiralii. Constituamus ita: de praeda, quam Admiralitatum mandatarii capiunt, Admiralitates judicant d. §. 3. de ea, quam milites, sive terra, sive mari, Judices militares, quorum de factis militum propria jurisdictione est, de ea, quam pagani, Judices pagani. Per *paganos* intelligo, qui nec milites sunt, nec Admiralitatum mandatarii, per *judices paganos*, qui utuntur jurisdictione ordinaria. De praeda, quam milites in terra cepissent, olim judicabant Ordinum Hollandiae Consiliarii ex §. 10. antiquae eorum Formae 22. Jan.

1590.

1590. (9) Sed id non reperi in nova eorundem forma.
4. Oct. 1670. (10) & usū quoque non servatur.

(9) In Vander Hoeve *Handvēst-Cbren.* L. I. C. 16.

(10) *Plac.* III. 1. 3. 3.

C A P U T XIX.

*Quousque exercitores navis praedatoriae teneantur
de damno injuria dato?*

Ex §. 5. & 69. Formae Admiralitatum 13. Aug. 1597. (1) naves praedatoriae, a privatis exercitiae, non enavigant, nisi praestita cautione idonea voor haare handelinge, hoc est, non hostibus damnum datum non iri, quemadmodum id explicat §. 5. Formae, qua Ordines Generales 15. Jul. 1633. (2) praedatoriam in America contra Hispanos permisere. Simpliciter autem ajunt illi §§. 5. & 69. cautionem esse praestandam, neque exprimunt, a quibus, sive a navarcho, sive ab exercitoribus, sive ab utrisque. Id ipsum quoque non exprimitur in Edicto Ordinum Generalium 1. Apr. 1622. (3) nam ex eo simpliciter caendum est ad usque decem millia florenorum, boven het schip en al dat daar by is, alleen om te praesteren, dat de prinsen zullen werden gebragt ter judicature van de Admiralteit, daar de cautie gestelt is, salva actione eorum, qui damnum injuria passi essent contra navarchos aliosque, qui damnum dedissent. Vides

(1) *Plac.* II. 5. 8. 1. 1.

(2) *Ibidem* I. 2. 3. 3. 1.

(3) *Ibidem* I. 2. 14. 2. 1.

140 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

des hic in aliam plane causam caveri, quam caveri iubent d. §§. 5. & 69. Quamvis autem neque hic exprimatur, a quo in hanc summam cavendum sit, probabile tamen mihi videtur, a solo navarcho praestandam fuisse illam cautionem decem millium, non tantum quod ejus sit praedam deducere in portum, unde enavigavit, sed & quod in Decretis Ordinum Generalium 9. Aug. 1624. & 22. Oct. 1627. (4) memoretur, navarchum cavere ad usque 10000. florenos, exercitores ad usque 12000. florenos, & hos 12000. florenos esse pro damno, quod navis praedatoria daret. His additur in d. Decreto 22. Oct. 1627. si illi 12000. floreni ad damni reparationem non sufficerint, pro ea etiam excuti posse cautionem illam 10000. florenorum, quam navarchus publico praestitit. Atque haec quidem olim, sed ex §. 3. novissimae Formae, quam Ordines Generales navibus praedatoriis dederunt 28. Jul. 1705. (5). simpliciter cavetur ad 30000. florenos, nulla menteione vel distinctione facta inter exercitores & navarchum. Possem his addere varia Pacta, quibus inter Ordines Generales & alios Principes convenit, ut & exercitores & navarchi ad certas summas caverent, ne quid contra Pacta maritima committerent, sed quia de navibus praedatoriis dixi, & praeter eas nemo hodie caveat vel exercitor vel navarchus, tuto haec transmittio.

His ita praemissis, quaero nunc, si navis praedatoria, dum inique praedatur, damnum dederit, an a navarcho, an a fidejussoribus, an ab exercitoribus, &c., si ab his, quousque sit resarcendum? Et responsum est

Con-

(4) Plac. II. Append. p. 2297.

(5) Ibidem. V. 1. 7. p. 306.

Consil. Belg. T. IV. Consil. 205. cum magister navis praedatoriae navim amicorum injuria occupasset, & qui eam fervarent & ducerent, hominibus imperitis commisisset, navisque periisset, posse navis occupatae dominos magistrum praedatoriae, fidejussores, exercitores, prout vellent, & quemque eorum in solidum convenire, quanti navis unquam fuit plurimi. Videamus de singulis. Et quidem dubitandum non est, contra ipsum magistrum sive navarchum de omni damno, quod injuria dedit, actionem esse in solidum. Mandatum ei est, ut hostes depraedaretur, non ut amicos, si igitur hos depraedatus sit, excessit mandatum, & tenebitur, quanti amicorum interest. Id palam quoque significant Ordines Generales in d. Edicto 1. Apr. 1622. nam praeter cautionem 10000. florenorum pro deducenda praeda in portum, unde enavigatum est, nominatim addunt: *behoudelyk niet te min den genen, die praetenderen zullen buyten de commissie van den Capitein t' onrecht beschadigt te syn, hun actie personeel tegen de Capitein en andere, die hun beschadigt hebbent.* De fidejusforibus perperam responsum est d. *Consil. 205.* nisi fidejusserint pro omni dato, alioquin si in certam summam fidejusserint, ut in re praedatoria moris est, non tenentur ultra eam summam, & ex ea causa, in quam fidejussum est, si enim fidejusserint pro praeda deducenda in portum, unde enavigatum erat, praeda eo deducta liberantur, nec quicquam ad eos, jure an injuria praeda capta sit, nisi & in hanc causam fidejusserint. Sed quia plerorumque magistrorum res est domi adeo angusta, ut damnum, quod dederunt, resarcire non possint, & quia fidejussores vulgo non sunt obligati nisi ad certam summam, & quia hanc, a se solutam,

142 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

actione mandati ab exercitoribus repetere licet, ad solos exercitores tandem res devenit. De his igitur in primis quaeramus, an nempe teneantur in solidum damni dati, an vero duntaxat, ad instar actionis de pauperie aut noxalis, quod ad navis, quaeque in ea fuerunt, pretium? Agitata olim est ejusmodi causa apud Supremum Senatum in Hollandia. Quinque naves Hollandicae unam Venetam ceperant, sed ceperant nullo jure. Venetae navis domini primum egerunt contra navarchos, & obtinuerunt sententiam, qua hi solam navem restituere damnati sunt. Quum ne sic quidem ipsa navis restitueretur, deinde egerunt contra ipsos quinque illarum navium exercitores, contendentes, ut quisque eorum navem captam cum onere restitueret, & damnum refarciret in solidum. Senatus ult. Jul. 1603. damnat exercitores in solidum ad restitutionem navis onerisque, & his non exstantibus, ad eorum aestimationem, sed nominativum addit, executionem ejus sententiae esse faciendam in quinque illas naves, quae Venetam ceperant, neque exercitores ultra teneri. Sententiam narrat Coren in *Nota post Observationem XL.* & praeeunte Senatu Supremo sic postea responderunt alii *Consil. Holl. T. III. Consil. 221.*

Sed ego hanc sententiam nolim meam facere, ratus, si exercitores magistrum emiserint ad praedandum, & ille perperam praedetur, exercitores in solidum damni dati teneri. Magister, qui ex mandato praedatur, praedatoriae praepositus est, & qui praeposuit, ex sola praepositione conveniri potest, quod ad omnia illa, quae propositus gessit, sive bene, sive male. Sic institoriam damus contra dominum tabernae, qui institorem praeposuit, si quid ille contraxerit, nec distin-

tinguimus, quemadmodum contraxerit, & sic exercitoriam damus contra dominum navis ex facto magistri, modo id negotium egerit, cui praepositus est, si enim aliud egerit, dominum non obligat, ut prolixo id exsequitur Ulpianus in *I. i. §. 12. ff. de exercit. act.* Sola praepositio in causa est, cur tabernae navisque domini teneantur, si, quod actum est, ad causam praepositionis pertineat, non ad aliam, ab ea diversam. Qui navarchum praedatoriae praeposuit, novit, ejus officium in praedando consistere, quo si male fungatur, etiam exercitoris culpa est, quod imperito vel improbo homine in hanc rem usus sit. Si magister ad reficiendam navem mutuatus, nummos in suos usus converterit, recte ait Ofilius in *I. i. §. 9. ff. Eod. teneri exercitorem, imputaturum sibi, cur talem praeposuerit.* Quocum convenit, quod & Ordines Generales ajunt in fine d. Decreti 22. Oct. 1627. *dat de Reeders sorg moeten draagen, dat zy goede Capiteinen employeren.*

Si ex facto institoris vel magistri tabernae navisque domini teneantur, constat teneri, quanti ea res est, nec liberari, si tabernam vel navem dedere parati sint. Eam Jurisprudentiam me nusquam legere memini, nec etiam rationem haberet, cum, qui factum suorum hominum praestare debent, praestare debeant ex asse. Igitur Exercitores ex improba navarchi sui rapina tenebuntur in solidum, eique sententiae etiam argumentum praebet, quod, ut supra dicebam, olim exercitorum fuerit cavere ad usque 12000. & novissime ad usque 30000. florenos, navem praedatorialem nemini vel amico vel socio damnum esse daturam. Si naves praedatoriae minus valerent, quam haec aut illa summa, utique iniquum esset plus cautionis exigere

gere ab exercitoribus, quam naves, eorum respectu, dare possent. Cavendum tunc fuislet ad navium, prius aestimatarum, pretium. Sed plus adhuc argumenti praebet, quod additur in d. §. 3. d. Formae 28. Jul. 1705. praeter cautionem illam 30000. florenorum, pro damno injuria dato etiam obligatos esse ipsos exercitores, & speciali hypothecae obligata censeri omnia, quae ad exercitoriam navis praedatoriae pertinent. Quumque ex his appareat, exercitores etiam ultra navis suae pretium teneri, apage, quae ex Jure Romano huc transferuntur ex actione de pauperie aut noxali, quaeque rationem longe aliam habebant.

Quod igitur Senatus Supremus d. ult. Jul. 1603. judicavit, male judicavit, nam, si exercitores navarchos suos, qui navem Venetam ceperant, praedatoriae praeposuerint, atque ita mandatum praedandi dederint, in solidum essent obligati, non secus ac in solidum tenebrentur ex eorum contractu, si negotiationi praeposuerint, atque ita mandatum negotiandi dedissent. Forte tamen probabis Senatus sententiam, quia non exprimitur apud Coren, quinque illae naves fuerint praedatoriae, nec ne; si non fuerint, dici nequit, exercitores praedatoriae praeposuisse magistros suos. Sed alia tunc parte laborat illa sententia, nam, si non intercesserit mandatum praedandi, scire desidero, cur Senatus exercitores damnaverit ad naves Venetae, ejusque oneris restitutionem, executione etiam decreta contra naves ipsorum exercitorum, sic enim damnarunt ex facto, cui magistros suos non praeposuerant, aperte contra d. l. i. §. 12. Nihil quicquam tunc ea res ad exercitores pertinebat, hi quidem sui loco magistrum substituunt, sed quod ad factum, quod implere jubent, & si in eo facto do-

dolum vel culpam commiserit magister, illi praestant, ceteroquin non praestant. Si vas tibi reficiendum derim, tuque id discipulo tuo commiseris, isque corruperit, tu teneberis, sed si discipulus, tuo licet instrumento, Stichi caput comminuerit, tu utique non teneberis. Quare nec instar de pauperie adversus exercitores recte agetur, non magis quam adversus dominum, si mula vel canis culpa mulionis aut dotoris damnum deridit l. 1. §. 4. ff. *Si quadr. paup. fec. dic.*

Secundum haec, quae disputavi, exercitores plane non tenebuntur, si magistrum praedatoriae exercendae non praefecerint, sin autem, tenebuntur, non duntaxat ad usque navium suarum pretia, sed & ad usque illos 12000 vel novissime 30000 florenos. Nec hoc tantum, verum & hi, qui damnum passi sunt, ex d. Decreto 22. Oct. 1627. poterunt agere in decem millia, ad quae cavet navarchus, se cum praeda reversurum, unde egressus est. Namvis autem id palam contineatur eo Decreto, est tamen longe iniquissimum, si fidejussoribus non denuncietur, & hi quoque in eam causam consentiant. Si simpliciter fuerit fidejussum, ut fere solet, navarchum cum praeda, si quam cepirerit, eo rediturum, unde enavigavit, fidejussores ex alia causa excutere, vix credi potest, quam sit male consultum & constitutum; quod & supra attigi, ubi de causa fidejussorum sermo erat. Sin autem omnia illa, quae commemoravi, ad damnum resarcendum non sufficient, quid dicemus? an & ultra exercitores tenebuntur? & punto teneri, donec omne damnum resarciverint, constat enim fidejussorem aut pignus non liberare debitorem, nisi suffecerint l. 9. §. 1. ff. *de Distract. pign.*

Ceterum si navis, qua de agitur, praedatoria non
Tom. V. T sit,

sit, id est, codicillos praedatorios non acceperit, mandato tamen exercitorum praedetur, idem puto dicendum, quod de vera praedatoria: jus enim hoc ex mandato & praepositione nascitur, & quod ad eos, qui damnum passi sunt, nihil quicquam refert, an a vera, an a quasi praedatoria patientur.

C A P U T XX.

Si navis, non ad praedandum emissā, praedam tamen ceperit, ad quem ea pertineat?

Belle quaeritur, si navis, non ad praedandum emissa, sed dum ab hoste premitur, aut alia quacunque occasione navem hostilem occupaverit, praeda ad quem videatur pertinere? an ad dominum navis, qui eam locaverat? quia ejus navi tormentisque occupata est navis hostilis, isque magistrum nautasque habebat conductos, quo sic suis armis, navi, hominibusque occupata videatur; non autem ad magistrum nautasque, quia praeter mercedes operarum nihil est, quod jure exigant; non etiam ad conductorem navis, quia navem conduxit ad ventionem mercium suarum, nec in aliam quamcunque causam. An vero praeda pertinebit ad magistros nautasque? quia eorum fortitudine capta est, non autem ad navis mercium dominos, quia ex his nemo eorum operam ad praedandum conductit, & quia tota praedatio est extra causam locationis conductionis. An potius ad conductorem praeda pertinebit? quia navim, tormenta, nautas, eorumque operam in conducto habebat, non tantum ad v-

hen-

hendas merces suas , sed ad navem , mercium suarum ergo , defendendam , quo sic defensio accipienda sit cum omni causa , non mera depulsio , sed & occupatio hostis , ne nocere possit ; non autem ad dominum navis , non ad magistrum & nautas , quia omnes illos mercedibus , quas pacti sunt , contentos esse op̄ortet. Habes rationes , quibus suam quisque sententiam defendere , & aliorum oppugnare posset.

Antequam , quid mihi videatur , dicam , observo , Novemdecim Viros Societatis Americanae ita decreuisse : *een gebuurt Schip met ingelade goederen een prys veroverende , keert uyt aan de Compagnie 50. ten 100,* quod Decretum Ordines Generales commemora- runt , & simul inferuerunt §. 17. Formae , quam praedaturis in America praescriperunt 15. Jul. 1633. (1) Societas , ut vides , sibi consuluit , nec etiam Ordines quicquam decreverunt nisi in rem Societatis , de aliis , quorum res vel maxime agebatur , nihil definitum est , & , si esset , pro singulari Decreto , in speciali causa es- set habendum , quod aliis non praejudicat.

Generalem legem ea de re nec vidi , nec putem ex- stare , ex sola ratione causa definienda est. Et , qui Jove judicat aequo , praedam adjudicabit magistro & epibatis , qui ceperunt , minime vero vel navis , vel mercium dominis. Sane de mercium dominis nemo cogitabit , nisi tardissimus. Domini navis causa esset potior , sed & huic praetulerim magistrum & epibatas. Comperi tamen alios aliter sensisse in hoc facto : navis , cui mercium domini curaverant *een commissie van de Nederlandsche en Fransche Westindische Com-*

pag-

(1) *Plac. I. 2. 3. 3. 1.*

pagnie , anno 1667. intra limites Societatis Americanae occupavit navem Anglicam. Magister & epibatae victores decernunt , vitam navem , et si tardius , quam sua , navigantem penes se retinere , id enim convenire aan bare Reeders en Bevrugters , als mede aan baar Zeelieden , en het Schip op te brengen aan de Eylanden , te verkoopen , en daar van goede rekening te houden. Quaesitum est deinde de praeda erciscunda ? Et Consil. Belg. T. I. Consil. 162. & 163. responsum est , dat het volk , om dat het op maandgeid , en niet op prys voer , behoorde een thiende te geworden , en de rest tuschen de Reeders en Inladers elk voor de helft gedeelt te worden. Quo jure illi Consultores epibatis decimam tribuerint , nescio , nec forte ipsi sciunt. Ad semissem eorum , quae , deducta illa decima , super sunt , non difficulter quidem admittunt navis dominos , sed quod ad alterum semissem etiam mercium dominos admittant , inde esse ajunt , quod non parum contulerint ad praedam , utpote qui illo diplomate effecerant , ut ei navi ibi navigare liceret , ideoque existimant , deterioris conditionis esse non oportere mercium , quam navis dominos. Id etiam probant ex illo , quod retuli , epibatarum Decreto , quo significant , se praedam non navis duntaxat , sed & mercium dominis cepisse. Adferunt illi Consultores non nullas etiam juris ratiunculas , at perquam , ut mihi quidem videtur , inutiles : utputa non modo per nos met ipsos , sed & eos , quorum ministerio utimur , res nobis acquiri ; ipsos quoque navis dominos , cum navis hostilis caperetur , praesentes non adfuisse ; si res feci cecidisset , merces etiam periculum fuisse subituras.

Sed

Sed hae rationes nihil me movent, ut nec illae, quas supra attuli pro navis victoris dominis, nam constat, praedam, quicunque cepit, solius capientis esse, nisi ex praepositione & mandato aliorum cepit. Quis igitur cepisse videatur, unice laborandum; & magistrum nautasque cepisse, fine ulla aliorum praepositione vel mandato, res est manifesta. Conducta quidem eorum opera fuit, sed ad merces transvehendas, neque ad aliud quicquam: quaecunque igitur ex ea transvectione redundabit utilitas, illorum erit, qui eorum opera hac in re usi sunt, sed de praeda nihil quicquam habebunt vel illi, vel navis domini, quia eam propter non navigabant epibatae, sed, dum alii rei, soli scilicet navigationi operam insumebant, fortuna aliud dedit, ut in causa non absimili elegans Tryphonini ratio est in *I. 63. §. 3. ff. de Acquir. rer. dom.* Atque ea ipsa ratione mercenario, qui, dum terram fodiebat, thesaurum invenit, thesaurum adjudicabam *L. II. Observ. Jur. Rom. C. 4.* Mercenarii conditio ultra id, ad quod conductus est, non porrigitur, plane ut nec epibatarum in specie proposita. Quicquid extrinsecus, id est, extra causam contractus contrahentibus accident, sive lucra sint, sive damna, ipsi ferunt soli. Accipe exemplum in mandato: mandatarius utique mandatori non imputabit, quod spoliatus sit a latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumque adprehensis, quaedam erogaverit, nam haec magis casibus, quam mandato imputanda esse Paulus dixit in *I. 26. §. 6. ff. Mand.* Haec damna & incomoda sequuntur mandatarium. Ut igitur lucra & commoda, quae occasione mandati obveniunt, eum quoque sequantur, secundum natu-

150 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ram esse, ejusdem Pauli philosophia est in l. 10. ff. de R. J. Si Sempronius Titio, ut quid ad Maevium ferret, mandaverit, & Titius in via pecuniam invenisset, aut quid latroni, qui eum spoliare constituerat, extorisset, nemo utique, nisi valde fatuus, eam pecuniam, aut id, quod Titius extorsit, ad Sempronium pertinere existimabit, quamvis & in via periclitari potuerit, quod mittebat Sempronius. Ille Titio non mandavit, ut pecuniam inveniret, aut quid latronibus extorqueret, sed ut transferret rem, quam transtulit, &, finito sic mandato, nihil est, quod Sempronius ultra exigat.

Minutiae sunt, quas in facto, quo de agitur, captant illi Consultores. Diploma illud, quod mercium domini obtinuerunt a Societate Americana, ad praedam iis prodesse non potuit, profuit duntaxat, ut navi ibi navigare licaret. Neque etiam est, ut de illo epibatarum Decreto multum laboremus, quum alia atque alia ejus sententia esse possit. Ego opinor non aliam fuisse, quam praedam penes se retinere, ad quemcumque demum pertineret, sive ad navis, sive ad mercium dominos, sive ad se ipsos, idque potius significare verba, quam quod voluerint trientes facere, & cuique trientem dare. Salvo etiam Decreto potuissent credere, praedam ad se solos pertinere, ut si navi victa onerata esset rebus, ad vitam sustentandam necessariis, quibus ipsi indigebant, & sic etiam, ad prosequendum iter, navi merciumque dominis prodesse, si navem penes se retinerent, & quae plura sunt ejusmodi. Et quis audebit fingere, epibatas singula Decreti verba tam diligenter expendisse & probasse, iisque, si praeda ad se pertineret, suum jacare

tare voluisse? Quin etsi non ad se, sed ad navis merciumque dominos pertinere credidissent, quis non simplicitati fidei tam bonae ignosceret? qui suum, cum Titii esse putaret, Titio tribuit, errore detecto, sibi non nocet. Noli etiam hominibus his nauticis objecere errorem juris, cum ob alia, tum quod in ipso Decreto nihil quicquam definiverint, & satis constet, donandi voluntatem penes ipsos nullam fuisse. Plane, si navis mercesve, cum pugnaretur, ultra quam defensio postularet, damnum patientur, epibatas ex locato conducto teneri palam est.

Similis fere causa est, quam in eandem sententiam olim judicavit Curia Bruxellensis, Praefecto nempe turmae equestris, qui equiti pugnaturo equum commodaverat, praedae, quam miles ceperat, partem non deberi. De cuius sententiae jure ego non dubitaverim, licet dubitaverit & contra responderit Petrinus Bellus *de Re militari Part. IV. T. 8. n. 8.* & seqq. ut & Zoucheus narrat *de Jure Ficali Part. II. Sect. 8. Q. 17.* Major tamen ibi aequitatis ratio, ut & in partem praedae veniret Praefectus, cum commodantis nihil quicquam interfuerit, commodatarius pugnaret, nec ne. Et tamen non magis vindicabit praedam, quam piscem Titius, a Maevio captum reti, quod ei commodaverat Titius.

Sed forte frustra verba perdo, occupatus in quaestione inutili, cum nemo recte praedetur sine codicillis praedatoriis Ordinum Generalium vel Praefecti maris, & tantum absit, ut, qui fecus fecerit, praedam faciat suam, ut potius pro pirata sit habendus, secundum ea, quae disputabam *C. XVIII.* Si sic putes, erras. Per privatos actus etiam privatis praedam quaeri,
recte

152 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

recte dixit Grotius *L. III. de Jure B. & P. C. 6. §. 10.*
 atque ita nulli dubitamus, quin praeda, casu obvia, &
 a privatis capta, fiat capientium. Contradicere creditur
 Pufendorf *de Jure N. & G. L. VIII. C. 6. §. 21.*
 sed non contradicit, agit enim de his, qui sine au-
 toritate publica solius praedae causa exeunt, non de
 his, qui, dum ab hoste premuntur, ipsi hostem pre-
 munt, vel de his, qui casu in praedam incident;
 quae species sunt, quas hic tracto. In alterutra specie si
 neges, res hostiles occupare licere, negabis quoque eum
 spoliare licere, qui te alioquin spoliaturus est, quin &
 negabis defensionem sui ipsius, quia haec permittit, ut
 & quaecunque belli indictiones permittunt, hosti quo-
 cunque modo nocere, hoc est, non tantum avertere
 periculum, quod tibi ab hoste imminet, sed & eum
 depraedari, & bonis omnibus exuere. Aliud dicendum
 est de iis, qui sine codicillis, nec praestitis, quae ante
 praestanda sunt, praedatum enavigant, quod ipsum
 prohibent varia Ordinum Generalium Edicta. At quis
 auctoritatem publicam desiderabit, ubi, solius mercaturae
 ergo navigans, hostem obvium repello, &, si possum,
 vincō? Secundum haec si Grotium & Pufendorfium ex-
 plicassent, ab utriusque reprehensione potuissent absti-
 nere, qui nunc utrumque reprehendunt.

C A P U T XXI.

An res hostium liceat asscurare?

In Regnis & Rebuspublicis, quae commerciis exercen-
 dis student, contractu asscurationis nullus hodie est
 fre-

frequentior, excepta emptione venditione, locatione conductione. Adeo tamen ille contractus olim fuit incognitus, ut nec nomen ejus, nec rem ipsam in Jure Romano deprehendas; non alia forte causa, quam quod commercia tam late non frequentarentur, vel quod publicae Claves marium securitatem a praedonibus praestarent, vel quod magnitudo Imperii Romani universo mari, in quo potissimum mercatura exercebatur, circumfusi, hostium metum expelleret. A furore etiam maris non tantum olim, atque hodie periculum erat: neque enim nunc littus legimus, aut per hyemem navibus facimus otium, sed media maria, quantumvis infida, quovis tempore nostrae puppes decurrunt, incertum, quo fata ferant. Apud Suetonium tamen lego in *D. Claudio C. 18.* eum tempore arctioris annonae, convitiis & panis fragminibus petitum, non tantum naves, mercaturaे causa, fabricantibus magna commoda dedisse, sed & negotiatoribus quaedam lucra proposuisse, *suscepto in se damno, si cui quid per tempes- tates accidisset.* Ea erat species assecurationis, quum haec, ut hodie frequentatur, nihil aliud sit, quam prorurum alienarum securitate fidei suae interpositio, qua, sublata domini persona, earum periculum fidejussor suscipit pro certo pretio. Claudius non certo pretio, sed gratis in se suscipiebat periculum maris, neque etiam damnum, quod per piratas accidisset, suscipiebat, & hinc est, quod dixi, *speciem assecurationis fuisse.*

Praemili, quemadmodum assecuratio sit definenda, ut vel ex definitione constaret, rationem belli omni modo exigere, ne naves, ne merces, ne alia hostium bona liceat assecurare. Hostium periculum in se suscipere quid est aliud, quam eorum commercia ma-

154 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ritima promovere? inventa enim sunt illa ἀσφαλίσμα-
τα, ut minori damno magis commodum esset operam
dare rei maritimae. Unde & Ordines Generales, quum
cum Hispanis bellum esset, 1. Apr. 1622. edixerunt⁽¹⁾,
nullae essent assecrations, quas Foederati Belgii in-
colae vel antea fecissent, vel postea facturi essent pro
bonis, ad Hispanorum subditos pertinentibus, posita
contra facientibus centum Librarum Flandricarum poe-
na. Justissimum id videri poterat, quia in singulis belli
indictionibus quisque tantum hostibus damni inferre
jubetur, quantum potest. Quod si sit, etiam vetatur quo-
quo modo hostium utilitate consulere. Id exigit jus belli ge-
nerale, & exigebat quoque jus belli Hispanici ex Edicto Or-
dinum Generalium 2. Apr. 1599⁽²⁾ Sin ajas, ex ejusmodi
asssecrationibus plus lucri, quam damni ferre asscurato-
res, adeoque nostris, quam hostibus plus prodesse, id
ais, quod est incertissimum, & de quo vix ipsa experi-
entia judicare poterit, cum interim sit certissimum, sic
hostibus causam praeberi commercia sua latius promo-
vendi. Quod, quia hostibus est utile, & fere redundant
in nostram necem, omni ratione prohibendum est. At-
que haec sola ratio sufficerit, sed eveniebat praeterea ex
iis asssecrationibus, quemadmodum & d. Edicto 1. Apr.
1622. continetur, ut res hostium, a nostris captae, ab
istis fidejussoribus vindicarentur, &, si recte fidejussum
est, quidni vindicari poterant? eorum enim quodammo-
do sunt, qui illorum securitatem spoponderunt, & quod
ad naves mercesque asssecratas, dominos eosque fide-
jus-

(1) Plac. I. 2. 7. 2. 1. & Report. Curias Holl. p. 173. B. & Report. Ordd.
Gener. p. 28. B.

(2) Plac. II. 4. 2. 1. 1.

jussores pro iisdem esse habendos, intelligimus ex formulis τὰ ἀσφαλισμάτων, publice editis & ubique obviis. Si fidejussores recte vindicarent res hostiles, subditorum nostrorum damnum erat, qui eas ante optimo jure cuperant, & qui sic deterrebantur, ut ait d. Edictum, ab exercendis navibus, quibus hostes oppugnarent. Id autem adversari belli legibus, plusquam manifestum est.

Hactenus nihil est, quod nos offendat, sed comperi, eosdem Ordines Generales 13. Maj. ejusdem anni 1622. (3) illud Edictum 1. Apr. restrinxisse ad eas assecurationes, quae fierent factaeque essent post publicationem d. Edicti 1. Apr. atque si hic locus esset regulae l. 7. C. de LL. Ex ea interpretatione appareret, Ordines tunc probasse assecurationes rerum hostilium, si non speciali lege sint vetitae, nam alioquin & quae ante specialem prohibitionem factae sunt, essent nullae, ut & eas nullas esse edixerant illo 1. Apr. 1622. Quumque id Edictum ratio belli tueatur, & non sit jus aliquod novum, dicendum est, illam interpretationem, qua prior ejus sententia mutata est, pro errore magis, quam pro jure esse habendam. Quod de poena additum est in Edicto, recte ad futurum, res ipsa, ex interpretatione, non recte ad futurum refertur, nisi forte dicamus, adeo antea hostilium rerum assecurationes invaluisse, ut praecedentium temporum usus perpetuus eas receperit. Et tamen, si vel plurima rerum hostilium, quae assecuratae essent, existissent exempla, ne sic quidem consuetudinem, quae jus faciat, inde efficerem, nisi rerum perpetuo judicatarum, quae eas probassent, accederet auctoritas.

Igitur secundum jus belli est, quod Ordines Generales

(3) Plac. I. 2. 7. 2. 1. & Repert. Curiae Holl. p. 140. B.

156 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

les 31. Dec. 1657. (4) edixerunt, ne assicurarentur res Lysitanorum, tunc hostium, sed dubito, an secundum jus belli sit, quod generaliter addunt, ne quae etiam res assicurarentur, quae ad Lysitanos, quaeque ex Lysitania veherentur, nam si illae res ad subditos Ordinum, vel ad exteris pertineant, nulla ratio est, quae earum assicurationem impediret, quia eo Edicto subditis nostris non interdicitur commercio cum Lysitanis, sed in §. 2. duntaxat *tau*s contrabande juvari vetantur, cum a nostris, tum ab exteris. Si ad alterius Principis subditos res pertineant, multo magis dicemus, a nostris assicurari posse, quia exteris utique non licet omni commercio cum hostibus nostris interdicere. Quare ad *tau* contrabanda, cum nostrorum, tum exterorum oportuisset restringere illam interdictionem. Attamen generaliter, iisdem pene verbis, similis interdictio ad Anglos, tunc hostes, & naves mercesque, ad eos euntes, vel ab iis redeuntes, porrecta est Edicto Ordinum Generallium 9. Mart. 1665. (5) In §. 13. Edicti, quo bellum Francis indixerunt Ordines Generales 9. Mart. 1689. (6) non tantum naves mercesque Francorum assicurari prohibentur, sed & additur eadem generalis interdictio, quae utique, quia generalis est, etiam ad exteris pertinet, & ad licita tam eorum, quam nostrorum commercia. Sic solent Edicta, alia ex aliis, transscribi, & ubi temel error contra Jus Gentium irrepedit, continuo repetitur, nec de eo emendando follicitus est quisquam.

Interea apparet, etiam ex posterioribus Ordinum Ge-
ne-

(4) *Plac. II. 4. 28. 1. 2.*

(5) Exstat apud Aitzema *L. XLV.* p. 880.

(6) *Plac. IV. 1. 6. 1.*

neralium Edictis, res hostium assicurare non licere, &, quia res usum quotidianum habet, vellem id quoque esset insertum Legibus tam generalibus, quam specialibus, quas Belgae huic contractui variis temporibus praescripserunt, & vellem, ne Stracha, Santerna, aliqui semi-barbari, qui de *Affecurationibus* scripserunt, hoc argumentum plane intactum praetermisserint, contenti monuisse, merces illicitas, puta *contrabandas*, assicurari non posse. Nos ita constituamus: naves mercesque, quas jure belli occupare & publicare licet, quaecunque demum fuerint, assicurare non licet, sin autem occupare & publicare non liceat, non animadverto, cur de iis prohibita dicamus τὰ ἀσφαλίσματα.

Audiamus & quid homines quidam nostri dixerint de rebus, quas occupare & publicare licet. Qui ignorans assicuravit *op contrabande*, de damno non teneri, Grotius respondit *Consil. Holl. T. III. Conf. 175*. Et, qui assicuravit ei, quicunque dominus sit rerum, de quibus agitur, sive, ut formula Juris Romani utar, ei, ad quem ea res pertinet, isque hostis sit, verbis illis generalibus hostes non contineri, neque adeo assicuratorem obligatum esse, secundum mercatorum quorundam Antverpiensium & Middelburgensium sententiam duo Pragmatici responderunt *Consil. Holl. T. II. Consil. 322*. Ego adderem, si vel nominatim expressum sit, τὰ *contrabandas* vel res hostiles assicurari, ne sic quidem assicuratorem teneri, quia nullus est contractus, & contractum, qui nullus est, implere vel non implere pendet a mera voluntate contrahentium. Quod autem merae voluntatis est, in judicio defendi nequit.

158 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
C A P U T X X I I .

*An liceat militem conducere in amicae Gentis
Populo?*

Quaestionem aggredior, quae nostra aetate magnam Europae partem turbavit, & adhuc turbat. Sed noli existimare, si vel licet in Principis amici Imperio militem conducere, ideo & licere militem, qui Principi amico militat, vel prece vel pretio ad deferendam Principis sui militiam sollicitare, & in nostram militiam transscribere. Militiae deferendae auctores non minus puniuntur, quam ipsi desertores, & sunt Gentes, quae id crimen habent pro crimine Majestatis laesae, sed alia & distincta quaestio est, an Princeps amicus in Imperio Populi amici, eos, qui milites non sunt, possit conducere, & eorum opera in bello uti adversus hostes suos? Sane si quis Princeps subditis suis interdicat, ne Civitatem mutent, neve sub aliis Principibus militent, neque alii Principes recte eos subditos ad militiam conducunt, sed ubi ea prohibitio non est, ut non est apud plerasque Europae Gentes, subditis licebit, ut ipse quidem opinor, Civitatem suam relinquere, in aliam migrare, & ibi sub alio Principe militare.

Si, ut modo dicebam, non sit lex, quae prohibeat, utique licet subditi conditionem exuere, & Civitatem, ut lubet, mutare. Juris publici Scriptores uno ore in id consentiunt, neque dissentit Grotius *L. II. de Jure B. & P. C. 5. §. 24.* apud Moschos tamen illud non licere, addit ibi Grotius; non licere etiam apud Chinenses & Anglos, earum Gentium sententia est, plus se-
mel

mel publice testata. Ludovicus quoque XIV. Franciae Rex Edicto 13. Aug. 1669.⁽¹⁾ capitibus bonorumque poenam statuit, si quis Francus, venia ab ipso non imperata, Franciam relinquaret animo non revertendi. Ante eum annum ibi licuit, & ubique licet, ubi Civitas carcer non est. Cum autem licet in alterius Principis Imperium transfire, licebit & ibi quavis honesta ratione victum quaerere, & quidni etiam militia terrestri vel maritima? in Belgio certe Foederato non est lex, quae impedit, & plurimi Belgae & olim & mea memoria sub aliis Principibus militarunt terra marique.

Loquor autem de Principibus amicis, nam hostibus operam militarem, sive terrestrem, sive nauticam locare, nemini licet, & variis quoque Ordinum Generalium Edictis est vetitum. Diceres quidem quam plurima eorundem Ordinum Edicta, quae prohibent sub extero Principe militare, ⁽²⁾ generaliter esse accipienda, sed iis probe excussis intelliges, vel temporalia esse, gliscente nempe bello, cum ipli Ordines hominibus suis indigerent, vel etiam interpretanda esse de iis, qui hostibus militant, vel de iis, qui deserta Ordinum militia apud alios Principes militatum eunt; de quo utroque genere nonnulla etiam palam loquuntur. Sane cum navis Francica, cuius epibatae, exceptis sex Francis, omnes 80. erant Hollandi Zelandique, navem Hollandicam cepissent, Ordines Generales 23. Jul. 1674. edixerunt ⁽³⁾, ut, qui ex hujus Reipublicae subditis nauticam militiam hosti militaret, submergeretur. Idemque ab iisdem edic-

⁽¹⁾ Hollandsche Mercurius 1669. p. 123. & 124.

⁽²⁾ Exstant Plac. II. 4. 13. & alibi.

⁽³⁾ Ibidem III. 1. 7. 13.

160 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

edictum est 4. Apr. 1676. (4) Vides, verba fieri de his, qui hostibus militant, sed ut hoc porrigamus ad eos, qui Principibus amicis vel sociis militant, nec ratio, nec jus pacis & foederatis patiuntur.

Si igitur subditi nostri, quorum ope in bello non indigemus, quibusque, ut Civitatem mutant, nulla lex obstat, militarem operam recte exhibeant Principi amico, cur Princeps ille amicus hanc non recte conducat in amicae Gentis Populo? ubi locare licet, licet & conducere. Cur aequae integrum non esset in Imperio amici Populi militem conducere, quam quasque emptiones venditiones, locationes conductiones celebrare, ceteraque commercia exercere? Neque obest, si forte, qui milites conductit, iis utatur adversus ejus, in cuius Imperio conductit, amicos, cum quibus ei bellum est, forte etiam in posterum usurpus adversus nosmet ipsos, constat enim, quod ad primam speciem, utriusque amico & hanc & illam partem oportere justam videri. Idque in instrumentis bellicis comparandis vulgo servamus, ut ut enim ea ad utrumque amicum non recte vehamus, sine fraude tamen vendimus utriusque amico, quamvis irivicem hosti, & quamvis sciamus, alterum contra alterum his in bello esse usurum. Quod ad secundam speciem attinet, oportet sane praesentem Reipublicae statum intueri, nec tantum prospicere in futurum, neque enim Principi amico interdicimus apud nos comparare pulverem bellicum, arma militum, & reliqua, quorum in bello usus est. Posset utique ille Princeps, nunc amicus, postea hostis, eo pulvere, iis armis, aliisque instrumentis bellicis etiam in posterum uti adversus nosmet ipsos, sed, ut dixi,

prae-

(4) *Plac. III. 1. 7. 14.*

praesens Reipublicae status intuendus est , & , nisi hoc fiat , neque leges amicitiae constabunt , neque Foedera , quae inter plerosque Foederatos intercedunt.

Quod juris est in instrumentis bellicis , idem esse puto in militibus apud amicum Populum comparandis , nisi in pace convenerit , ne vel uni utriusque id facere liceret. Sic in Foedere Romanorum cum Antiocho , Antiocho lex imposita , militem in Imperio Romano conducendi jus ne esset , ut est apud Livium *L. XXXVIII. C. 38.* & Polybium *Excerpt. Legat. C. XXXV. n. 4.* quod alioquin jure aequi foederis ei licuisset , neque prohibere sine injuria potuissent Romani. In Imperio certe Antiochi militem conducere Romanis interdictum non erat. Initio Foederis convenerat , ne alter alterius hostem commeatu juvaret , aequo scilicet foedere , sed hic soli Antiocho praescriptum , ne id faceret , quod alioquin Jure Gentium omnibus Principibus licet.

In Hollandia tamen & reliquo Belgio Foederato & olim videtur obtinuisse , & nunc obtinet , ne quis , absque Ordinum consensu , ibi militem legat. Exstat antiquum in eam sententiam Edictum 8. Jan. 1529. (5) Et quum Dani , Sueci & Moschi sine Ordinum consensu in Belgio Foederato milites conducerent , Ordines Generales i. Aug. 1612. edixerunt (6) , ne quisquam , & nominatim Danus , Suecus , Moschus id fecisse vellent , nisi habitio scripto Ordinum consensu , & , si vel scriptum haberent , ne vellent extendere ad ipsos Ordinum milites a signis suis avocandos , statuta , si quis contra faxit , capitis aliave arbitraria poena. Cum illo Edicto anni 1612.

con-

(5) *Repert. Curiae Holl. p. 20. A.*(6) *Plac. II. 4. 13. 3. 1.*

162 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

conveniunt alia Ordinum Generalium Edicta, facta vel repetita 16. Dec. 1622. 3. Mart 1627. 30. Mart. 1646. 21. Jul. 1648. 27. Maj. 1650. 20. Jan. 1652. & 18. Mart. 1658. (7) Ordines etiam Hollandiae Edictis 27. Mart. 1652. & 16. Mart. 1656. (8) si quis in Hollandia milites sine scripto Ordinum Hollandiae eorumve Consiliariorum consensu conduxisset, non arbitriariam, sed simpliciter & omnino (*sonder eenige genade*) mortis poenam statuerunt. Habes ea de re sententiam Ordinum, cum Generalium, tum Hollandiae, cui meam, ut par est, lubens submitto.

His adde, quae anno 1666. inter Ordines Generales & Praesidem Belgii Hispanici acta gesta sunt (9). Illi apud hunc questi sunt, Episcopum Monasteriensem, quem sibi bellum erat, in Belgio Hispanico milites conscripsisse. Respondit Praeses ejus Belgii, se ejus rei potestatem non dedit, &c., si dedit, nihil prohibere, quominus dare potuisset, quia neutrarum partium erat Rex Hispaniae, atque ideo & similem potestatem se obtulisse Belgis Foederatis. Sed quid liceat sine ejusmodi consensu, &c., si petatur, an negari possit, id proprie est, de quo quaerimus, & proinde, an recte Episcopus in Belgio Hispanico militem legerit, si sine consensu Praesidis legisset? De eo nunc ipse judica ex iis, quae dicta modo & disputata sunt.

(7) *Plac II. 4. 13. 3. 2.*(8) *Ibidem II. 4. 7. 4.*(9) *Aitzema L. XLVI.* variis locis.

C A P U T XXIII.

*An singulis Belgii Foederati Provinciis jus sit
belli gerendi?*

Ex Annalibus aliquis Actis publicis plena fide constat, eam veterum Belgarum fuisse libertatem, ut non duntaxat Princeps, sed & Populus, neque Populus tantum, sed & Urbes & oppida suo aere sua bella gesserint. Ut autem posteriorum Comitum in Belgio crevit potestas, haec quoque jura paulatim minuta sunt auctoritate, fraude, dolo, & quandoque vi. Sed excusso postremi Comitis Imperio non absurde dixeris, in antiquam libertatem rediisse Belgas, nisi si quid eam coegerat Foedus Utrechtanum 23. Jan. 1579. & sequuta deinde Imperii Comitatensis abrogatio 26. Jul. 1581. Vulgo placet, eo ipso Foedere singulis Provinciis ademptum fuisse jus belli gerendi, & adeo quidem ea opinio invaluit, ut si quis audeat contra hiscere, ipsa fundamenta illius Foederis concutere, & totam Rempublicam praesenti periculo exponere videri posset. An & quemadmodum id verum sit, audi me patienter, &, nisi te convincero, agnosces saltem, Ciceronem alicubi recte dixisse, *nihil esse tam increibile, quod non decendo fiat probabile.*

Hugo Grotius, quasi aliud agens, *Apologetici C. X.* simpliciter scribit, Foedere Utrechtano esse vetitum bellum suscipere, nisi communi omnium Provinciarum consensi, licere tamen cuique Provinciae se defendere contra tumultum populi. Si, quod de bello dicit, de bello omnium Provinciarum communi intelligat, me consen-

164 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tientem habebit, si de omni bello, ut mihi quidem videtur ex addita exceptione, an consentire possim, expecta patilisper. De omni quoque bello intellexerim, quod lego apud Antonium Matthaeum *de Criminibus ad L. XLVIII. Dig. T. 2. C. 5. n. 1.* nam ibi probaturus, jus summae Potestatis esse penes singulas Provincias, nonnulla in hanc rem profert, & mox iis, quae dixerat, non obesse ait, *quod de Pace, Bello, Religione non nisi communibus consiliis atque suffragiis statuant, id enim, inquit, non propterea sit, quod una sit Res publica, sed quod foedere sit exceptum.* Quod additur de Religione, rem totam suspectam facit, manifestum quippe est, ex illo Foedere singulis Provinciis de Religione statuendi jus plane integrum fuisse & illibatum. Sed de eo jam non agimus, ex professo acturi *L. II. C. 18.* De pace & bello quod ait, judicandum est ex §. 9. d. Foederis, qui sic habet: *Men zal geen accord van Bestant of Peis maken, nog Oorlog aanveerden, nog eenige Imposten of Contributien instellen, die Generaliteit van dessen Verbande aangaande, dan met gemeen advis ende consent van de voorsz. Provincien, maar in andere saken, & reliqua. Vides placuisse, neque inducias, neque pacem pangи, neque bellum commune decerni, neque tributa indici posse, nisi unanimi omnium Provinciarum consensu. Mox tamen additur, si Provinciae de his dissentirent, res Gubernatorum, qui tunc erant, arbitrio relinqueretur, inter quos si etiam non conveniret, alii arbitri adjungerentur, quorum arbitrio dissentientes Provinciae stare tenerentur.*

Nunc non quaero, an quae ibi dicta & pacta sunt de communi omnium Provinciarum consensu in causis pacis bellicae, peraeque semper observata fuerint? Si putes, fal-

falleris. Pax Monasteriensis anno 1648. invitatis Zelandis, facta & deinde probata est (1), ut & iisdem & Utrechtanis invitatis pax Lysitanja anno 1661. (2) quemadmodum & anno 1657. contra Lysitanos, invitatis Friesiis, bellum decretum est, etiam Frisiorum aere, tantum quod ceteris Foederatis utile esset, ut auctor est Aitzema. (3) Possem, nisi praestaret tacere, plura addere, in quibus, licet communis consensus desideretur, uni Provinciae tamen dissentire non fuit integrum. Quae exempla aeternitatem illius Foederis, tantopere ab initio jactatam, falsi coarguunt. Ne autem, quod dixi de Foedere non usquequaque observato, temere dixisse videar, ipsos Hollandiae Ordines testes appello; nam cum Groningani 9. Oct. 1663. Ordinibus Generalibus proposuissent, placeretne decerni, omnes, qui Comitiis Ordinum Generalium interessent, inter alia jurarent, se servaturos Foedus Utrechtanum, Hollandiae Ordines 27. Nov. 1663. decreverunt (4), quicunque id peteret, antequam quicquam ea de re statueretur, exhiberet novam Formulam Unionis, in quam juraretur, veteris enim magnam partem obsoleuisse, *alzoo*, inquit, *de voorschrijf. Unie niet alleenlyk verscheide passagien, articulen en perioden vervat, die niet gepractiseert werden, maar ook eenige, die sommige van de andere Provincien niet genegen zyn in baren regarde na te komen.*

Sed plus scire attinet, quae sit sententia d. §. 9. Foed. Utrecht. Et quidem inter omnes nunc satis constat, postquam

(1) Aitzema L. XXVI. p. 278. & 279. & L. XXVIII. p. 509-531.

(2) Idem L. XLII. p. 104-118. 137. 146. & 150. & L. XLIII. p. 704.

(3) L. XXXVII. p. 948.

(4) *Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit* p. 765.

quam id plene probavit Grotius *Apologetici C. I.* jus summae potestatis esse penes singulas Provincias, nunquam enim id Ordinibus Generalibus est delatum, quin in §. 1. d. Foed. expresse sepe singularum Provinciarum controversiis immiscere vetantur. Ordines Generales curant commune bonum totius Reipublicae, Ordines singularum Provinciarum commune bonum suae cuiusque Provinciae; si pro bono communi totius Reipublicae bellum gerendum sit, gerunt Ordines Generales, sed non nisi singularum Provinciarum communi consensu, si, ut oportet, leges Foederis sequantur. Numquam igitur singulariae Provinciae recte bella gerent? videamus. Aut bellum gererent adversus exterros pro causa communi omnium Foederatorum, aut quorundam ex his, aut pro causa sua, id est, pro jure suo defendendo, & vindicanda injuria, uni forte Provinciae illata. Et parum abest, quin dicamus, in omnibus hisce causis cuique Provinciae jus belli esse salvum. Liberi Populi est ex arbitrio suo bellum gerere, utque id proprium est cuiusque Gentis, quae sui juris est, sic & olim obtinuit apud Belgas, nunc foederatos. Quod olim singulis Provinciis licuit, adhuc licet, nisi juri suo renunciaverint. Summa Potestas, quae penes singulas Provincias est, non tollitur, nec minuitur, nisi expresa in contrarium renunciatione. Quod maxime conveniens est ei sententiae, quam Ordines Hollandiae data opera 25. Jul. 1654. exequuti sunt in Libello *de excludendo Orangio* (5). Si quid Foedere sit exceptum, alia res est, sed de eo mox videbimus.

Pro causa igitur communi omnium Foederatorum cuique

(5) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit p. 30-206.*

que Provinciae, ceteris consentientibus, integrum erit bellum gerere, quid enim impediret? nihil aliud desiderat d. §. 9. quam communem consensum, non etiam communes sumptus, si hos in se suscipere una Provincia sit parata, est, quod aliae sibi gratulentur. Etiam singulas Provincias, suo aere, pro causa communi pugnasse, & Mandatis, & Castris, & Imperatore a Foederato exercitu diversis, prolixe demonstrarunt Ordines Hollandiae in Libello, quem *de Jure Militiae* ediderunt 17. Maj. 1657. (6) Idque etiam accidisse sub initia Foederis, atque adeo sententiam ipsius Foederis non obstat, ibi, si commodum est, leges. Sane pro causa communi vel unam Provinciam, reliquis consentientibus, recte bellum gerere, adeo verum est, ut non facile reperturus sis, qui huic rei serio contradicat. Non nullos quoque ex Foederatis, etiam non defendantibus ceteris, defendere licere, & vindicare injuriam, ipsis illatam, satis intelliges, ubi intellexeris, singulas Provincias pro sua etiam causa recte arma induere. Quod ut probem, non alia ratione utor, quam modo praemittebam, singulas nempe Provincias, ut olim, in bello gerendo fuerunt sui juris, sic & mansisse post Foedus Utrechtum, nisi eo jure se abdicaverint. Quaeque igitur Provincia, ab extero Principe laceffita, si reliqui Foederati communibus viribus ei non succurrant, sive quod nolint, sive quod non possint, pro jure suo defendendo vel vindicando, recte arma sumet, nisi sit, qui probet, juri suo renunciasse, & renunciasse non memini me uspiam legere. Imo, inquies, legitur in d. §. 9. *Men zal geen Oorlog aanveerden, dan met gemeen aid.*

(6) *Resolutien van Confderatie ten tyde van de Wit p. 309-342.*

168 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

advise en consent van de voorschrijvende Provincien. Sed velim animadvertis, illum §. 9. Foederi esse insertum pro jure singularum Provinciarum conservando, non pro tollendo vel minuendo, ideoque ait, ceteros Ordines, in causa communi, alios non recte ad bellum cogere, ne scilicet inviti oneribus belli implicentur. In causa, inquam, communi, nominatim enim cautum est, bellum, die Generaliteit van desen Verbande aangaande, suscipi non posse, nisi consensu communi. Sed id non prohibet, quominus singulae Provinciae, suis sumptibus, pro se recte bellum gerant.

Atque his, quae disputavimus, fere convenit sententia eorum, qui anno 1684. bellum Francicum detrectabant. Cum enim eo anno ageretur de 16000. militibus conscribendis, quibus Francorum Regi bellum fieret, ac dissentirent Frisii, & quidam ex Hollandis Zelandisque, non quidem dissentientes negabant, bellum fieri posse, sed negabant fieri posse suo sumptu. Ea utique videtur Ordinum Frisiae sententia in Epistula ad Ordines Generales scripta mense Martio 1684. (7) nec aliter sapiebant Amsterdammenses & Middelburgenses, qui & ipsi dissentiebant, in Contestationibus suis, ea de re editis (8); ad exemplum fere antiqui Hollandorum status, quo plurimae Civitates in unam magis Societatem, quam Rempublicam coivere.

Sed jam obmurmuras, exemplo grave esse, si singulae Provinciae sua bella gerere possint, sic enim alios Foederatos praefentissimo periculo exponi, cum exteri Principes inter Provincias non distinguant, & quem-

cun-

(7) In de Confederatiën van Staats-saken, Titulo, Copyen van Brieven, n. 15. p. 76.

(8) Exstant ibidem n. 10. p. 54. & n. 27. p. 63.

cunque ex Foederatis deprehendant, aggressuri sint. Qui, si adoriantur eam Provinciam, quae bello se accinxit, metus utique justus est, ne eam occupent, a ceteris divellant, atque ita Foederi reddant inutilem. Sic omnino est, sed tu de consequentiis sollicitus es, ego de jure. Sin autem apud te plus valeant consequentiae, cogita, quam durum sit, si vel una Provincia, quantumvis injuriam passa, a reliquis deseratur, nec tamen ipsa suam injuriam vindicare posset. Ut ab initio Foedere nulla unquam Provincia singulare bellum gessit, sic optandum est, ne gerat unquam, cum tantum urgeant consequentiae in utramque partem. Sed, quicquid sit, de jure quaerimus. Verum & tu, eo consulto, objicies, tantum abesse, ut singulae Provinciae sua bella recte gerant, ut ne quidem iis facere liceat quicquam, quod bello suscitando occasionem praebere possit. Unde in §. 17. Foed. Utrecht. constitutum est, ne quis Foederatus extero Principi causam belli praebeat, ideoque probe recte jus dicat, sin autem, a reliquis Foederatis coerceretur. Sed belli causam non praebet, qui patitur injuriam, at ille, qui facit; qui patitur injuriam, justum bellum gerit, quia jus suum defendit adversus alterius injuriam, vel recuperare constituit, quod nullo jure sibi ademptum est. Ut cunque igitur jus competat belli gerendi, non competit tamen, si quis ipse injuste egerit, & sic bello causam praebuerit. Sed & difficultatem habet haec exceptio, cum non satis constet, eccei de justitia vel injustitia belli competit judicium. Utique ipsis Provinciis, inter se dissentientibus, non competit; sed ut in aliis causis, ita & in hac servabitur ordo placandi dissidii, praescriptus in fine §. 1. d. Foed. Utrecht.

170 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Superest quaestio, an, ut singulae Provinciae volentes pro causa communi recte bellum gerunt, ita & nolentes cogi possint ad bellum, pro causa communi suscipiendum. Et, si verum amamus, non possunt cogi, quia & haec res est merae voluntatis. Si dicas, in §. 1. & 2. d. Foed. Utrecht. inter Foederatos pactam esse defensionem mutuam, etiam bello, quia utrobique additur, *met lyf, goed en bloed*, & si porro dicas, nominatim cautum esse in §. 3. d. Foed. quamque Provinciam, quae vim aut injuriam patitur contra quemcunque, exterum vel indigenam, communibus viribus esse defendendam, idem dices, quod & Frisiis, bellum Lysitanum detrectantibus, a reliquis Foederatis objectum est anno 1657. (9) sed & audies, quod ait ille, *λόγοι καρδίας κενά τέρποι*, & quod Celsus in *I. 24. ff. de LL. incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere*, his enim, quae modo dicebam, generaliter praemissis, specialiter additum est in d. §. 3. *beheertelyk, dat die assistentie by de Generaliteit van dese Unie gedeerneert zal worden met kennisse ende na gelegenheid van der sake.* Hoc est, tunc demum ad defensionem alterius ceteros cogi, si Ordines Generales ita decreverint; quod non aliter intelligendum, quam si omnes velint, bellum quippe non decernunt Ordines Generales, nisi velint omnes, ut mox sequitur in d. §. 9. d. Foed. Una igitur Provincia poterit dissentire, & prohibere, ne bellum geratur commune, id est, omnium nomine, vel quia existimat, ad se non pertinere injuriam, aliarum Provinciarum uni vel pluribus illicitam, vel quia injustam esse putat aliarum de injuria que-

(9) Apud Aitzema d. L. XXXVII. p. 94^o.

querelam, nam injuste querentibus a Foederatis non succurritur, cessante sic omni obligatione, ut haec supra exposui C. IX. *vs. Sed quid.* Vel tandem, quia Provincia, quae dissentit, sumptus belli tolerare nequit, ut potest incidere, & saepe incidit. Sin autem vires bello gerendo sufficient, & justa fuerit querela, non satis amicum est, aliis, injuriam passis, non succurrere, hac forte causa, quod injuria ad Provinciam, quae dissentit, non pertineat, vel alia quacunque, longe deteriori. Societas jus quodammodo fraternitatis in se habet, & inde est, quod etiam in hoc Foedere Socii sibi invicem promiserint defensionem mutuam, ex qua utique promissione tenerentur, si justa sit Sociorum causa, nisi eam obligationem mox tolleret libera cujusque Provinciae in bello gerundo voluntas. Multa sic satis sunt justa, quae non satis sunt amica.

C A P U T XXIV.

*De Repressaliis nonnulla, & an earum quoque
jus fit penes singulas Provincias?*

Re pressaliarum nomen servo, quia nullum aliud magis aptum occurrit, quod rem ipsam significet. Alii utuntur voce *pignorationis*, alii *clarigationis*, sed neutram convenire satis est manifestum. Operam ludunt, qui rem, apud Romanos incognitam, Latino vocabulo conantur exprimere. Apud Romanos foederati & liberi libertatem suam, rerumque suarum dominium aequa, atque apud se, retinebant, eademque Romanis apud foederatos & liberos contingebant, si, ut par est, Procu-

172 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

lo credas in l. 7. pr. ff. de Capt. & postl. rev. Displi-
cuit igitur ibi, salvo amici nomine, hostem agere, &
bona amicorum terra marique occupare. Cum autem
ejus improbitatis in toto Jure Romano nec vola exstet,
nec vestigium, quomodo explicabimus, & quomodo,
si res ita tulerit, observabimus, quod inter Hispanos &
Belgas Foederatos convenit, non tantum §. 11. Inducia-
rum 9. Apr. 1609. sed & §. 22. Pacis Monasteriensis
30. Jan. 1648.? Verba utrobique haec sunt: *dat geen
brieven van Marque of Repressalien sullen geaccoerdeert
worden, ten zy met kennisse van saken, in de welke sulks
is toegeheten by de KEISERLYKE WETTEN EN
CONSTITUTIEN, en na de ordre gestelt by de selve.*
Sed tantum abest, ut formam, secundum quam licitae
essent Repressaliae, constituerint Leges Caesareae, ut
res ipsa plane fuerit incognita, si nempe per *leges Caesa-
reas* intelligamus *Justinianaeas*, ut vulgo intelligimus,
ubi de partibus agitur, nullius Imperio subjectis. Ut
viros sapientissimos, qui hisce pactis scribendis praefue-
runt, ab ignorantia absolvam, nihil habeo, quod di-
cam, nisi forte in d. §§. 11. & 22. per *leges Caesareas*
esse intelligendum *Jus commune*, quo vulgo utimur. Si-
ve leges Caesareas dicas, sive *Jus Justinianaeum*, idem
dicis. Ut autem obtinuit, *Jus Justinianaeum* appellari
Jus commune, ita vicissim *Jus commune*, genere quo-
dam reciprocationis, appellabitur *Jus Caesareum*. Ni-
hil quidem aliud nunc succurrit, quo defendam illas lo-
cationes, &, si sic intelligas, earum sententia erit, Re-
pressalias non esse largiendas nisi cum plena causae cog-
nitione, nec in his causis personis, quae vulgo a Re-
pressaliis habentur immunes, nec nisi servato eo ordine,
quem usus recepit. Is ordo est, ne Repressaliae conce-
dan-

dantur, nisi palam denegata justitia. Unde & in §. 31.
d. Induc. & §. 60. d. Pac. inter eosdem Hispanos &
Belgas Foederatos convenit, si quid citra mandatum
Regis, Archiducum aut Ordinum contra ea, quae ibi
placuerant, fluissent commissa, non ideo mox pacem rum-
pendam, neque ad arma veniendum esse, maar sal wel
toegelaten wesen, IN GEVALLE VAN OPEN-
BARE WEIGERING VAN JUSTITIE,
hem te voorseen, gelyk gebruykelyk is, by Brieven van
Marque of Repressalien. Atque hoc est Jus commune,
quo diu usae sunt Gentes, &, denegata justitia, adhuc
utuntur, quodque convenit receptae sententiae eorum,
qui de Repressaliis commentati sunt. Interim observa,
Repressaliis locum non esse, nisi in Pace, & tamen scri-
bere Mornacium ad Auth. Sed omnino C. Ne uxor pro
marit. ut iis locus sit, bellum desiderari. Perperam.

Denegatam igitur justitiam Repressaliae solent exci-
pere, eas enim accipimus pro licentia, a Principe conces-
sa, occupandi aliorum personas bonaque, ob vim & in-
juriam, antea suis subditis illatam, & negatam de eo
facinore justitiam; quo sic manu reparetur damnum,
quod manu datum, nec a Magistratu coercitum est. Ne
quis autem temere de justitia denegata conqueratur, va-
riis Gentium Pactis prospectum est. Unde non nisi sub
modo Repressalarum usus placuit in §. 24. Pacis inter
Anglos & Ordines Generales 5. Apr. 1654. (1) eo enim
§. convenit, Repressaliae ne concederentur, nisi Princi-
pem, cuius subditus se laesum putat, prius adeat Princi-
pem, cuius subditus laesisse existimat, & is intra res-
menses non curet, laeso jus dici. Quod inter eosdem

re-

(1) Plac. II. 4. 28. 2. 2.

174 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

repetitum est §. 31. Pacis 31. Jul. 1667. (2) Saepe & diligentius ea de re agitur, nam postquam §. 17. Pact. Commerc. inter Regem Galliae & Ordines Generales 27. Apr. 1662. (3) convenisset, ne ullus esset Repressaliarum usus, nisi denegata justitia, mox additur, hanc denegatam non censeri, nisi libellus, quo Repressaliae petuntur, etiam porrigatur Legato ejus Principis, contra cuius subditos iis uti constitutum est, ut nempe is inquirere posset, an preces veritate nitantur, &, si nitantur, curare, ut intra quatuor menses laeso jus dicatur. Sic, manente Pace, ipsius Principis est judicium de jure vel injuria querelae, & sic Princeps, qui judicavit, litem suam facit. Utile sane est ejusmodi Pactis Repressaliarum usum restringere, in totum enim tollere, eorum, qui non uni Principi subsunt, improbitas non patitur. Convenit quidem in §. 9. Pactorum inter Imperatorem Marocorum & Ordines Generales 24. Sept. 1610. (4) nullas Repressalias vel Imperatorem Marocanum vel Ordines Generales esse datus, verum invicem Jus & Justitiam administratumiri, sed cui bono ejusmodi conventio, quid enim si non administretur? utique tunc alter Princeps ad Repressalias recurret, & ajet, earum usum, rebus ita exigentibus, necessarium esse coepisse. Si convenerit, jus esse reddendum, pacti fides est servanda, sed non minus jus exteris est reddendum, etiamsi de eo nihil quicquam conyenerit, & in utraque specie Repressaliis locus non est, nisi denegata prius justitia. Ut quoque in totum tollerentur, diceres esse sententiam §. 16. d. Pac. inter Anglos & Or-

di-

(2) *Plot. III. 1. 13. 28.*(3) *Ibidem II. Append. p. 2909.*(4) *Ibidem II. Append. p. 2261.*

dines Generales 5. Apr. 1654. quia ibi convenit, si quis aliquid contra eam Pacem commisisset, solum eum, qui commisit, puniendum esse, ac jus ea de re dictum iri intra certum tempus, d. §. 16. praefinitum, sed non tam facile, si quid ejusmodi incidat, facto explicatur, quam conventione exprimitur, quid enim si non puniatur, vel ea, quae vi ablata sunt, non restituantur? Res pressalias tunc succedere posse, ipsa contrahentium mens est in sequenti §. 24. ubi, ut jam exposui, praescribunt modum, quem in concedendis Repressaliis servari volunt. Postquam autem Repressiae invaluere, & hae, & secuta mox bella, sola nunc sunt remedia Principum, qui sui juris sunt, injustas coercendi manus, iudiciis enim experiri non possunt, & aliorum Principum judicio se submittere non aliud est, certe esse putant, quam Majestatem suam turpiter prostituere.

Repressalias concedere solius Principis esse videtur, egreditur enim ea res legitimam Magistratus potestatem, & sic nunc ubique servatur, etiam in Gallia, ubi olim Repressiarum diplomata ab ipsis Curiis Superioribus impetrabantur. In Belgio quum singulae olim Urbes sua bella gesserint, etiam singulae Repressalias exercebant. Exstat antiqua Amsterdammensium lex (5), qua continetur, si cui civi Amsterdammensi extra Principis sui Imperium damnum daretur, sive manu, sive etiam, quod observari velim, injusto iudicio, sive querelam suam deferret ad Magistratum Amsterdammensem, qui ea de re scriberet ad Magistratum loci, ubi damnum datum est, & si, accepto responso, etiam tunc Magistratus Amsterdammensis judicaret, injuriam civi suo esse

fac-

(5) Handvellen van Amsterdam 1663. p. 283.

176 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

factam, ea ei judicis auctoritate resarciretur ab ipsis ilius Principis subditis, eorumve bonis, qui quaeve in territorio Amsterdammensi deprehenderentur. Ait lex, *sive injusto judicio*, ut sic non sufficiat jus dixisse, nisi recte dicatur, de quo ipse Magistratus judicaret, nam aliorum judicio ea res submitti non solet. *Pacta Gentium* simpliciter ajunt, non esse dandas Repressalias nisi ob denegatam justitiam, sed & justitiam denegari Principes, quorum ea res est, facile interpretabuntur, si perperam fuerit judicatum, & perperam judicatum censemebunt, quicquid sibi non placet. Interea vides, meras esse Repressalias, quas lex Amsterdammensis describit. Reperi & alia complura Repressalarum exempla, ab Urribus & Oppidis exercita. Sed vestigia haec sunt antiquae Hollandorum libertatis, quando quaeque Ordinum membra magis sui juris erant, quam nunc ipsi Ordines: ipsi enim Ordines singularum Provinciarum, quamvis sui juris quique, etiam post Foedus Utrechtum, non tamen generaliter & promiscue Repressalias dare possunt. Quin nullo plane modo dare posse, forte quis dixerit, quia sunt belli quaedam species, belli autem occasionem praebere exteris Principibus, singulis Provinciis nominatim interdixit §. 17. d. Foed.

Attamen, si me audias, eo casu, quo singulae Provinciae recte bellum gerunt, etiam recte Repressalias concedunt, & contra. Pendet igitur id ab eo jure, de quo *Capite proximo* prolixe disputabam. Quae ibi dixi, hic non repeto, sed si haec ad Repressalias transferre non graveris, satis appareat, earum jus non esse penes singulas Provincias in causa communi Foederati Belgii, neque enim tunc licet exercere, nisi omnes Provinciae consenserint. Quominus autem singulae Provinciae in

cau-

causa sua, dummodo justa sit, recte exerceant, nec rationem, nec auctoritatem novi. Belli causam non praebet, qui nolentibus ceteris, injuriam, civibus suis illatam, ipse vindicat. Singulis Provinciis id jus esse ademptum, quaere, quantum potes, sed non invenies.

Ex his nunc intelliges, injuste olim Zelandos contendisse, se pro causa communi, invitatis etiam aliis Fœderatis, Repressalias dare posse (6), injuste etiam eosdem Zelandos fuisse minitatos, si Ordines Generales Repressalias negare pergerent Americanae Societati adversus Lysitanos, se esse daturos (7). Adde tertiam Zelandorum injuriam in hac causa: Cum saepe Ordines Generales Middelburgensibus quibusdam Repressalias negassent contra Bremenses quia ipsi Middelburgenses sua ipsorum mora litem, apud Bremenses pendentem, trahabant, atque ita Repressaliis locus nondum ullus erat, Zelandiae Ordines 21. Mart. 1659. decreverunt, de nuno urgeretur apud Ordines Generales, Repressalias dare vellent, *en dat by provisie verleent wiert arrest in de Provincie van Zeeland op al dat daar gevonden wierd, aankomende die van Bremen* (8). Quod decretum dupli causa mihi videtur iniquum, altera, quod ex sententia Curiae Hollandicae ipsi Middelburgenses litem, Bremae inchoätam ibi, ut dixi, traxerant, altera, quod Bremenses non tantum non negassent justitiam, sed etiam deinde secundum Middelburgenses jus dixissent, adversariis, citra culpam Bremensium, ad Cameram Spirenssem appellantibus. Hollandi etiam anno 1665.

cau-

(6) Apud Aitzema L. XLII. p. 455.

(7) Apud eundem L. XXIX. p. 717.

(8) Prolixæ haec sint apud eundem L. XL. p. 1083. & L. XLII. p. 278.

causam communem soli vindicarunt auctoritate sua, ob injuriam, Ordinibus Generalibus magis, quam sibi factam. Angli Scribam Legati Ordinum Generalium in Anglia in carcerem conjecterant. Hollandi, jure retorsionis, Scribam quoque Legati Angli apud Ordines Generales in publico apprehendunt & carceri mancipant (9). Alii aliarum Provinciarum Ordines, & cum maxime Zelandi, Hollandis propterea indignati, ajebant, singulis Provinciis jus fas non esse decernere de injuria, Ordinibus Generalibus facta, idque ipsis inconsultis, & non consentientibus. Et sic quoque ipse putarem, vellem modo, Zelandoz meos tunc non fuisse immemores eorum, quae in contrariam sententiam ipsi antea defenderant.

(9) Apud Aitzema L. XLV. p. 1017. & L. XLVI. p. 167.

C A P U T X X V .

Variae Quaestiunculae.

I. **Q**uum Ordines Generales promisissent, se milites suos esse dimissuros ex Arce *Lieroort*, quae est in Oost-Frisia, non dimisere, sed Arcem tenuere occupatam, hac scilicet ratione, ne Hispani eam invaderent, & contra se uterentur. Male, & contra Mauritii Orangii, Oost-Frisiis quidem parum amici, in hac tamen causa animosi, sententiam. Etiam id improbarunt Ordinum Generalium Consiliarii anno 1621. & saepius deinceps, ut haec omnia narrat Aitzema (1).

Sunt

(1) L. II. p. 312. & multis seqq.

Sunt tamen, qui JCtorum nomen ferunt, qui ejusmodi injurias eunt probatum, inter quos vellem ne esset Grotius de *Jure B. & P. L. II. C. 2.* §. 10. Patior esse Zoucheum, qui sua tamen ex Grotio descripsit, *Parte II. de Jure Faciali Sect. 5. Q. 10.* & patior esse Buddeum, ut hunc etiam addam, *Philosoph. Pract. C. V. Sect. 6. §. ult.* Ut, quod ajunt, probent, similes aliorum rapinas adferunt, ac si juvaret exemplum, litem quod lite resolvit. Neque omnino idem est, quod addunt de vulgari navium, quae dicitur, *angariatione*, naves enim, in alterius Principis Imperio inventae, quodammodo subditae sunt, eaque *angariantur* ex recepta palam consuetudine, qua Civitates & Imperia continentur. Alienas Ditiones, Urbes, Arces invadere vel retinere nullibi, nisi per injuriam, receptum est.

II. Rex Hispaniarum fundum pignori dederat pro pecunia, quam mutuam sumpserat a quodam & Regis & Ordinum Generalium amico. Fundum illum bello occupant Ordines Generales. Responsum est *Confil. Holl. T. III. Confil. 1.* pignus esse extinctum. Perperam, neque enim Ordines occuparunt, nisi quod Regis erat, hoc est, dominium, ut ipse habebat, & imperium. Ipse autem Rex fundum non habuit, nisi pignori obligatum, & sic quoque occuparunt Ordines. Si partem fundi Rex Ordinibus vendidisset, utique creditor pignus retinuissest in toto, tam contra Regem venditorem, quam Ordines emptores, quia res transit cum jure pignoris, quod creditori amico semper salvum est. Nunc totum fundum occupant Ordines, & in rem suam publicant. Recte, modo meminerimus, nihil potuisse vel occupare vel publicare, nisi quod Regis erat, non quod erat amici sui. Si ad hostem quoque pertinuissest pig-

nus, jure belli quoque occupatum, atque ita extinctum esset.

III. Quaesitum est de rebus, quae ab hostibus derelictae vel redemptae sunt, & praesertim de navibus mercibusque, an nempe iis, qui pecuniam trajectitiam dererunt, vel naves mercesque assecurarunt, in derelictas vel ab hoste redemptas naves mercesque, aliquid, an nihil juris supersit? Et sunt *Consil. B. T. I. Consil. 52.* qui volunt, si navim hostis dereliquerit, vel eam dominus redemerit, quia in hostium potestatem redacta erat, quasi totam esse desuisse, &, si redempta sit, pro nova esse habendam, adeoque creditores pecuniae trajectitiae & assecuratores in solidum teneri, sic ut nihil juris iis supersit in navim, sic reversam. In eandem sententiam responsum est *Consil. B. T. III. Consil. 248.* Quod nec aequum, nec justum mihi videtur, quia illi creditores non tenentur nisi ad damnum datum, atque ita non nisi ad expensas servatae, vel ad lytrum redemptae navis. Philippus II. Hispaniarum Rex in §. 27. Legum de Assecurationibus 20. Jan. 1570. (1) vetat, ne cum piratis de lytro ageretur, concedit igitur, ut cum veris hostibus agatur, non alia, opinor, sententia, quam ut ostenderet, assecuratores ad lytrum, neque ultra, teneri, frustra alioquin id constitueret, ubi de legibus assecurationis omnis sermo est. Verissime dixit Pomponius, *redemptionem facultatem redeundi praestare, non Ius postliminii mutare l. 20. §. ult. ff. de Capt. & postlim. reversi.* Postrema etiam clausula instrumenti assecuratorii, quo vulgo utuntur mercatores, satis significat, redemptionem quoque permitti, sed non minus in rem as-

fe-

(1) *Plac. I. 2. 7. I. 3.*

securatorum , quam ipsius domini . Tantum igitur damni datum intelligimus , quantum ex nave vel mercibus periit , vel in lytrum expensum est . Sane si navis capta jam fuerint in portum deducta & publicata , redemptionum , deinde secutam , pro nova emptione esse habendam facile largior , & ita quoque responsum est *Consil. B. T. I. Consil. 11.*

IV. Ordines Generales jussérant , milites sui , qui tenebant Arcem *Reyd* in Agro Juliacensi , parerent domino Arcis , Florentio van den Boetseler . Dominus Praefecto Arcis exhibit illud Ordinum mandatum , & Arcem Hispanis appropinquantibus dedi imperat . Dedit Praefectus 30. Aug. 1621. Sed Mauritius Orangius , plenus irarum , eum capite punivit 14. Sept. 1621. quasi parendi mandatum ad res Politicas , non Militares pertineret (3) . Dubito , an recte : nam , cum ea Arx ad Ordines Generales non pertineret , mandato illo nihil actum videtur , quam ut jus domini , receptis quamvis militibus , servaretur fartum tectumque , defensuris Arcem militibus , ut domino videretur , ne scilicet iisdem difficultatibus involveretur dominus , quibus Oost-Frisiae Comes quod ad Arcem *Lieroort* , de qua dixi hoc Cap.

§. I.

V. Eo tempore , quo de ditione tractatur , licere munitiones perficere existimat Albericus Gentilis *de Jure belli L. II. C. 18.* & ex eo Zoucheus *de Jure Fecial. Part. II. Sect. 10. Q. 10.* Sed aliter olim visum est Ferdinand , qui , recepto Regio , ob eam rem Gallos et moenibus praecipitavit , ut ex Jovio memorat Gentilis *d. loc.* Et cum Hispani Bergas obsiderent , & pactae es-

fent

(3) Sic refert Aitzema *L. I. p. 111-113.*

sent induciae ad caesos sepeliendos , & interim Hispani opera sua perficerent , consensisque munimentis suis inspectarent munitiones Urbis , contra usum formamque belli inducias esse ruptas 19. Aug. 1622. Belgae quiratati sunt (4). Attamen anno 1664. ad *Bylerschans* observatum est ab utraque parte , atque si armorum induciae non impedirent , quominus opera & munitiones exstruere & perficere liceret (5). Sed magis est , ut , pactis induciis , omnia in alterius necem suspendantur , haec enim pactorum sententia videtur , & , si ultra pergas , vix est , ut res certam definitionem possit accipere.

VI. Cum Episcopus Monasteriensis anno 1665. & 1666. quaedam loca in Transilvania occupasset , vastasset , expilasset , nec multo clementius ibi egissent Franci , qui Ordinibus Generalibus auxilio venerant , Transilvani , ut omni illa sibi repararentur , Ordines Generales adeunt , sed eorum Consiliarii , ea de sententiam rogati , 15. Oct. 1666. responderunt , nihil horum reparari oportere , als de schade in bare gemeene middelen en Verpondingen geleden na proportie van de tyd , dat de plaatzen van de vyand geoccupeert syn geweest , reliqua fato imputanda , & belli esse calamitates , quas soli ferunt , quibus accidentunt (6). Deinde iidem Consiliarii , mutata nonnihil sententia , etiam aliorum quorundam rationem esse habendam censuerunt , praecipue exactiōnum , quibus incendia hostium erant redempta (7) , & secundum hanc posteriorem sententiam Hollandiae quoque

(4) Ita est apud Aitzema L. I. p. 279.

(5) Apud eundem L. XLIV. p. 61.

(6) Haec habet Aitzema L. XLVI. p. 372.

(7) Idem L. XLVI. p. 381. 383. & 384.

que Ordines suffragium suum dixerunt 22. Febr. 1667.
 (8) Perperam, utique quod ad exactiones ob redempta
 incendia. Fateor per exactiones istas ab igne vindicata
 fuisse illa Transsilanorum loca, sed id injuste imputatur
 ceteris Foederatis, quibus nullus ab incendio metus: ne-
 que enim quisquam adeo est male consultus, ut credat,
 totam Classem contributuram, si vel una navis, ut se
 ipsam servaret, jactum fecerit.

VII. Singulae Provinciae, si pro sua causa recte bel-
 lum gerant, pro sua etiam recte pacem pangunt. Quin &
 quicunque quaecunque foedera recte ineunt de his rebus,
 quae sui juris sunt. De antiquissimis quidem temporibus
 nulla est dubitatio. Singulae Civitates tunc recte bellum
 gerebant, & ideo quoque recte pacem pangebant. Ex-
 stat ejusmodi pax inter Utrechtanos & Muydenses &
 Weespenses facta 1. Jul. 1463. (9) Alia exempla habet
Grotius Apolog. C. I. & longe plura Ordines Hollandiae in Libello (10) de secludendo Orangio *Part. I. C. 5.* Vetat quidem §. 10. Foederis Utrechtani, ne quae Provinciae, Urbes, membra foedus ineant cum finiti-
 mis Principibus, nisi consensu reliquorum Foederatorum,
 sed quemadmodum ille §. 10. sit intelligendus, recte explicatur *d. C. 5. Hollandiae etiam Ordines 17. Jul. 1584.* decreverunt (11), ageretur inter se, Zelandos & Utrechtanos de Foedere, quod erat, augendo vel alio constituendo. Et 21. Sept. 1662. Ordinum Hollandiae & Zelandiae delegati inter alia pacti sunt (12), eos Or-
 di-

(8) Aitzema L. XLVII. p. 179.

(9) *Handvleſten van Weesp* p. m. 17. & seqq.

(10) *Resolutien van Consideratiën ten tyde van de Wit* p. 32. & seqq.

(11) *Grotii Apolog. C. 19. p. m. 242. & 243.*

(12) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 628.

dines non passuros, ut Ordines Generales quicquam de magisterio utriusque militiae statuerent, nisi omnibus consentientibus. Quam plurima sunt Pacta, separatim inter Provincias invicem facta, & inter unam ex his & vicinas Civitates vicinosve Principes, quae omnia optimo jure subsistunt, si modo facta sint de rebus, quarum potestas ad pacientes pertinet. His adde, quae dixi supra C. 23. & 24. & quae dicam L. II. C. 4.

VIII. Si hosti, in hosticum venturo, securitas data sit, an a creditoribus conveniri detinerique possit, dubitari video. Et posse, inferior judex, & Curia Hollandiae anno 1588. & ex appellatione Senatus Supremus 18. Sept. 1590. judicarunt (13). Recte, hosti enim, qua hosti, datur securitas, id est, ut ea ei prospicit, ne quid hostile patiatur, non hostes autem etiam pro debito conveniuntur & detinentur. At si hostes conveniri possint, justum non est, eorum actiones contra nos paeclude-re, ut plenius disputavi *hoc Libro C. 7.*

IX. Securitas, quae in bello datur, non alio fine datur, quam ut tuto in hosticum venire & ibi degere licet. Unde miror, Ictos dubitare, an is, cui per hosticum transeundi securitas data est, in suo territorio capi possit jure belli? Agitata ea res est in causa Marchionis Messarani, qui ab Hispanis acceperat securitatem e Castro suo abeundi Venetas, sed, dum moratur, capto ab Hispanis Castro, & ipse captus erat. Quaerebatur, an securitas ei prodesset citra ullum redemptionis pre-tium? Bellus, qui ipse Judex in ea causa fudit, nihil ausus est definire, ut ipse refert de *Re militari Part. IX. T. Unic. n. 15.* & seqq. nec quicquam etiam, pro more suo,

suo, definit Zoucheus de *Jure Facial. Part. II. Sect.*
9. Q. 19. Menochius autem de *Arbitr. Judic. Quaest.*
L. II. Cent. 4. Casu 336. n. 19. &³ seqq. distinguit,
 utrum Marchio jam itineri fuerit accinctus, nec ne; si
 fuerit, securitatem prodesse, sin autem, non prodesse.
 Dubitatio Belli & Zouchei aequa inepta mihi videtur,
 quam distinctio Menochii. Invaso & capto ab Hispanis
 Marchionis agro & Castro, & ipse jure optimo captus
 est, quia securitatem in hostico, non in suo territorio
 impetraverat Marchio, neque enim pacem vel inducias
 pepigerat, sed transitum duntaxat per Ditionem Medio-
 lanensem Venetas versus securum. Quicquid extra eam
 causam erat, ex jure belli definiendum est.

X. Ut iniquum est, Principem invitum ad bellum co-
 gere, ita & ad pacem. Cum tamen Ordines Generales
 sibi a Francis metuerent, & Franciae quoque magnitu-
 do Ituminibus Anglicis videretur officere, Angliae &
 Sueciae Reges, itemque Ordines Generales 23. Jan.
 1668. iniverunt Foedus, quo inter alia cautum est, ut
 Hispani, quos inter & Francos bellum erat, quasdam
 conditiones, illo Foedere praescriptas, tenerentur acci-
 pere, &, iis acceptis, si Franciae Rex pergeret Regi
 Hispaniae bellum facere, se armis intercessuros, coactis
 sic ad pacem Franciae & Hispaniae Regibus (14). Rut-
 sus, cum publice non expediret, Sueciae Regem etiam
 Daniam habere, Sueciae Regem cum Dano pacem fa-
 cere coegerunt Franci, Angli & Ordines Generales 21.
 Maj. 1659. (15) erepto sic Daniae Rege mediis ex fau-
 ci-

(14) Uberrime haec omnia exstant apud Aitzema L. *XLVIII.* p. 11. &
 seqq. p. 31. & seqq. p. 748. 943. & p. 1127--1162.

(15) Apud eundem L. *XXXIX.* p. 407.

cibus Orci, in quas se praecipitaverat, vicino potentio-
re in se concitato. His injuriis praetexitur studium con-
servandae pacis, quod & ipsum praetexitur injuriis, lon-
ge adhuc majoribus, quae potissimum ab aliquot retro
annis invaluerunt, quum nempe Principes mutuis Pac-
tis de aliorum Principum Regnis & Ditionibus ex ani-
mi sententia statuunt, atque si de re sua statuerent. Has
injurias peperit, & adhuc parit *Ratio*, quam vocant,
Status, quam ipse definio,

*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademptum.*

Huic monstro si semel cedas, semelque tibi indulgeas,
aliena non alio loco habere, quam tua, jam frustra est
omnis Disputatio de Jure Gentium & Publico.

FINIS LIBRI PRIMI.



CORNELII VAN BYNKERSHOEK,
 JURISCONSULTI ET PRAESIDIS,
**QUAESTIONUM JURIS
 PUBLICI**
L I B E R S E U N D U S .
D E R E B U S V A R I I A R G U M E N T I .

C A P U T I .

*Comitum potestatem in Belgio Foederato non
 cessasse nisi post 26. Jul. 1581.*

Claudius Civilis apud Tacitum *L. IV.*
Histor. C. 14. ut Batavos ad rebellio-
 nem contra Romanos excitaret, dixi-
 se fertur: *victoriae rationem non reddi.*
 Si non victoriae, minus profecto mu-
 tati Imperii ratio exigenda est, nam,
 ne exigatur, necessario postulat Gentium tranquillitas
 & beata quies. Non dispergo igitur, quo jure Comitum
 potestas sublatam sit, constat utique sublatam esse 26. Jul.
 1581. tunc enim Ordines Foederati Belgii Philippum II.

Hispaniarum Regem, *ipso jure* (hoc verbo utuntur) Imperio suo excidisse edixerunt (¹), narratis prolixo rationibus abrogati Imperii. Nescias fere, quid sibi velit illud *ipso jure*, utrum nempe *ipso facto*, quod sententia videbatur velle, Imperium suum perdidisse crediderint Ordines, statim scilicet atque privilegia sua violaverit, quemadmodum de Regnis, sub ea conditione delatis, JCti existimant, & fere contineri videtur verbis jurandis (²), quod 25. Oct. 1555. Ordinibus Philippus praestitit; sed ita futurum est, ut cunctae Leges, Formae, Constitutiones, Praerogativae, non duntaxat quas post diem 26. Jul. anni 1581. Philippus II. dedit, sed & dudum antea, sint nullae & plane irritae, conqueruntur enim Ordines in eo Edicto, per aliquot decennia jam tunc jura sua fuisse violata: utimur autem, & utimur absque ullo scrupulo variis Philippi Legibus & Formis, per illa decennia latis & datis, quarum tamen sic futura esset vis nulla.

Ut semel aliquid certi statuamus, ut oportet in re tam gravi, omnino dicendum est, ab anno tantum 1581. & praecise a die tantum 26. Jul. Philippi legitimum Imperium in Belgio Foederato cessasse, non modo quia id ipsum Edictum anni 1581. in posterum duntaxat ei Imperium abrogat (*voortaan*, ajunt Ordines) sed & quod antea, ut legitimus Comes, fuerit habitus, & cuncta ejus, ut Principis, nomine explicata & rata habita, ut appareat ex Rebus, a Curia Hollandiae judicatis 5. Nov. 1579. 21. Maj. & 19. Oct. 1580. (³) & ex nummis, proxime antea in Belgio Foederato cisis cum

in-

(1) Passim exstat id Edictum, etiam *Plac. I. 1. 1. 3.*

(2) Est in Oldenburger's *Thesaur. Rerumpubl. Part. III. p. 210.*

(3) Inter *Decisiones Mixtas. 50. 71. & 158.*

in signibus Philippi II. & ex precibus tunc temporis pro ejus salute publice fusis, & ex Legibus, ut modo dicebam, a Philippo, tanquam legitimo Comite, non tantum latis, sed palam receptis. Igitur Ordinum illud *ipso jure*, si quid significet, de quo dubitem, nihil aliud videtur significare, nisi efficaciam omnigenae abdicationis.

Neque iis, quae diximus, obstat, quod & antea contra Hispanos bella gesserint Ordines, nam eo tamen usque ipsi Comiti erat parcitum. Aliud est Principi Imperium abrogare, aliud adversus ejus Praesides, quamvis ab ipso constitutos, bellum gerere, quod plura sub Hispaniarum Regibus bellorum Civilium exempla declarant. Anno 47. Saeculi XVI. itemque anno 47. Saeculi XVII. Neapolitanos, salva erga Hispaniarum Reges fide, adversus Proreges suos, a quibus se, ut a Gubernatoribus Belgae, opprimi querebantur, arma sumptuisse constat, advocato etiam Gallorum, Hispaniarum Regis hostium, auxilio. Neque alius fuit ab initio Messanorum motus anno 1675. & antea Panormitanorum.

Haec ipsa controversia, ex quo scilicet tempore Philosophi Imperium cessasse censendum sit, inter Dynastam Orangium & Amsterdammenses anno 1689. ingentibus animis fuit agitata, cum quaereretur de Privilegio quodam, quod Philippus II. Amsterdammensis dederat 3. Febr. 1581. Amsterdammenses id Privilegium defendebant, Orangius oppugnabat. Puto, recte defensum, & male oppugnatum esse. Libellus (4) quidam Anonymi anno 1690, ea de re editus, & pro Orangio conscrip-

tus,

(4) Inscriptus, *Justificatie van de swervende Proceduren tusschen de Prince van Orange en Amsterdam.*

190 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tus, in manus meas pervenit, quo haec sequentia contra illud Privilegium adferuntur: Foedere nempe Utrechtano anni 1579. Imperium Philippo fuisse abrogatum, id liquere ex Legibus, quas ipsi Ordines tulerunt annis 1579. & 1580. & inde esse, quod Ordines Hollandiae in Edicto de Forma Judiciorum in Oppidis & agris 1. Apr. 1590. palam dixerint, se *Gravionatum* repraesentare: *de Ridder-schap, Edelen en Steden van Holland,* repraesenterende *de Staten en Graaffschappen van den* zelven Landen. Potuisset Anonymus addere aliud eorumdem Ordinum Edictum, quo eodem 1. Apr. 1580. *Leges*, ut vocant (5), *Politicas* praescriperunt, & ampliatam Curiae Hollandicae Formam 22. Dec. 1579. quemadmodum & Formam, qua Curia utitur in causis minoris momenti, ejusdem diei & Consulis (6); in quibus omnibus, omisso tamen *Gravionatus* vocabulo, idem Ordinum titulus exhibetur. Nec tantum, quod Ordines Leges tulerint, sed &, pergit Anonymus, quod iidem Ordines Hollandiae in §. 1. d. Formae ampliatae derogaverint §. 8. Formae Judiciariae, quam Carolus V. Curiae Hollandicae dedit 22. Aug. 1531. Tandem ait, ultimam Comitis Legem esse latam 21. Febr. 1564. neque enim posteriorem exstare.

Sed haec, quamvis Auctorem ejus Libelli moverint, me tamen non movent. Foedere Utrechtano non magis, quam Gandavensi, Philippo II. Imperium est abrogatum, Gandavensi autem esse abrogatum illi Scriptori nondum in mentem venerat, et si venerit Conrincgio *de Republ. Belg. n. 29. & 30.* Sed perperam, contra-

(5) *De Politique Ordonnante.*(6) *Instructie voor den Heve van Holland in kleine saken.*

trarium quippe ex utroque Foedere appetet, & ex aliis quam plurimis, quae nunc non exsequor. Verillimum sane est, quod Consiliarii Ordinum Hollandiae dixerunt in quodam Responso ad Ordines Frisiae 27. Jun. 1663.(7). *Dat by de Unie de Coning van Spaigne nog erkent, immers gepraeſupponeert werd te wesen Hertog, Grave en Heere respective van dese Provincien, als kennelyk zyn-de, dat den zelven Coning daar van, by de gesamentlyke Provincien van de Unie eerſt verklaart is vervallen te wesen in den fare 1581. gelyk dan ook by het 5. art. van de Unie de Domeinen van de Provincien nog genoemt werden de DOMEINEN VAN DE CONINGLTKE MAJESTEIT.* Si dicas, utroque Foedere bellum decerni contra Hispanos, jam supra responsum est. Licuit vero per §. 15. LL. Mariae Burgundae 14. Mart. 1476. Ordinibus tam inter se, quam cum aliarum Provincia- rum Ordinibus consulere & coire. Sic illa simpliciter, sed addita, ne contra Gravionem consulant, clausula Joannes Bavarus in §. 14. Privilegii, quod Dordrechta-nis dedit 20. Jun. 1418. (8) ex quo Joannis Privilegio forte defendi poterit sententia Curiae Hollandiae, qua 1482. Scultetum & Consulem quemdam Dordrechta-num, quod censuissent, Urbes esse convocandas, ut pe-regrini milites ex Hollandia expellerentur, ad gladium damnavit. Hugo Grotius *Consil. Holl. T. III. Consil. 226. n. 86.* aliquie, qui Grotium simpliciter sequuntur, hanc Curiae sententiam, ut valde injustam, non sine opprobrio exagitant, etiam ideo, quod contra Hollan-dorum Privilegia esset, externum militem ibi esse, sed ejus rei ratio & auctoritas me plane fugit.

Prae-

(7) In de Resolutien van Consideration ten tyde van de Wijt p. 685.

(8) Van der Eyck Handvesten van Zuyd-Holland p. 151.

192 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Praeterea ad Leges Ordinum provocat Auctor ejus, quem dixi, Libelli. At vero Ordines tempore Gravionum Leges ferre potuisse, & revera tulisse, plurima eorum exempla demonstrant. Sunt etiam ultimorum Comitum Constitutiones, interque has Edictum ipsius Philippi II. factum 2. Mart. 1557. (9) quibus subditi jubentur obedire Legibus, quas Ordines essent laturi. Quod autem 1. Apr. 1580. in *Praefatione* Formae Judicariae quod ad Oppida & agros Ordines Hollandiae ajunt, se *Gravionatum* repraesentare, id, si de ipso Gravione intelligendum esset, non aliter intelligerem, quam quod Gravionem, tunc absentem, referrent, cuius nomine totiens, ut Leges ferrent, constitutum & probatum erat; nunc nihil ajunt, quam se repraesentare Ordines *Comitatus* Hollandiae, quod est verissimum. Strenue ad illa Edicti verba nugatur Commentator quidam auris Batavae. Ipsi quoque Ordines antiquam aliquam Comitis Legem potuislent abrogare, salvo ejus, si abrogatio displiceret, interdicto, hic autem in d. §. 1. Ampliatae Formae 1579. ne abrogatio quidem ulla est, verum interpretatio duntaxat, quam JCto vel Judici nemo negaverit unquam. Quod idem Disputator tandem ait, Leges Philippi tantum fuisse receptas ad usque 21. Febr. 1564. plane ridiculum & supra refutatum est, quin & mox, ubi de aliis & posterioribus Philippi Legibus dicam, plenius refutabitur. Sed non noverat homo lepidus alias Leges Philippi, quam quae occurrunt in Farragine illa Legum miscellarum, quae a prima Lege appellatur *de Instructie van den Hove van Holland*. In ea farragine postrema Philippi lex est Edictum de fidejussoribus

(9) *Repositor. Cur. Holl.* p. 91. B.

bus ante excusas hypothecas non conveniendis, editum
21. Febr. 1564. nec ultra sapiebat Anonymus.

Generaliter igitur in omni Foederato Belgio Comitis potestas cessavit a die 26. Jul. anni 1581. Hollandiae vero Ordines 19. Apr. ejusdem anni abolendum Philippi nomen jam decreverant, fide ejus Valfallis illisque, qui munera publica administrabant, exsolutis, & adactis in verba sua, ut Decreto Ordinum (10) ejus diei continetur. Nihilominus tamen quibusdam in locis Philippo, post abdicationem Ordinum, reverentia, Comiti debita, remansit, & in Zelandia etiam post annum 1581. Magistratus erant in fide Regis Hispaniarum, cuius rei admonendos esse Zelanos Hollandiae Ordines decreverunt 9. Apr. 1582. (11)

Etiam utilitas publica exigit, ut vera sint, quae modo disputavimus. Quod enim Romae de ratis habendis Barbarii Philippi judiciis, quum legitimus Praetor haberetur, traditum est in l. 3. ff. de Offic. Praet. multo magis in ipsis Principibus est observandum, etiam tunc, cum nullo jure Imperium invaserint, ut latius exsequar infra C. 25. §. 3. Cuncta Philippi Regis nomine acta gesta sunt, fere ad abdicationem usque, & quid dicemus? omnia, quae edixit, quae decrevit, nullius fore momenti? ego non dixerim. Sic Gubernator & Curia Hollandiae 15. Maj. 1574. promulgarunt Edictum de naufragiis (12), factum, ut habeat subscriptio, apud Regem referente Gubernatore. Nempe, quamvis Orangium absentem jam anno 1568. Dux Albanus Majestatis dannasset,

(10) Exeat agter de Deductie van Holland over de Seclusie van den Prince van Orange.

(11) Ibidem.

(12) Plac. II. Append. p. 2117.

194 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nasset, palam tamen erga Regem, qua Comitem Hollandiae, pristina remansit reverentia, hoc colore, atque si omnia illa, quae perperam perpetrata erant, ignaro Rege essent perpetrata. Eodem fere modo factum est diploma de instituenda Academia Leidensi 6. Jan. 1574. (13) ficto nomine solius Philippi II. & hoc inserto, *by advis van onsen lieven Neve, Ridder van onse Ordre, Willem Prince van Orange.* Dilectus Wilelmus Regi, ut dilecta erat ipsa Urbs Leida, cui scilicet privilegii loco dabatur Academiam ibi habere, quod Duci Albano fortiter restitisset; & tamen Orangius, ipse ille Orangius, in Praefationum Legum Academicarum de ipso illo Rege sic ait *den Coning van Spanjen, onsen Genadigen Heere,* adhuc clemens, adhuc gratiosus ipse Rex, quamvis in ipso illo diplomate anni 1574. Orangius Ducem Albanum, & omnes, qui ab ejus partibus stabant, pronunciasset hostes, *vyanden van den Lande van Holland en Zeeland.* Atque ita Orangius, solius Philippi II. nomine, bona Pontificiorum Ecclesiastica in Hollandia & Zelandia publicavit, Edicto in eam rem edito 17. Apr. 1577. (14) non minus ridicule, quam quod ejusdem Philippi nomine 7. Dec. 1577. Joannem Austriacum, quique ejus partes sequerentur, hostium numero esse habendos, publice edixit. (15)

Sed innumera, fere dixerim, sunt Edicta, post laminationem Orangii ad usque annum 1581. nomine Philippi II. facta & edita, quorum & plerisque insertum, ut in diplomate Academiae Leidensis, met *advise van onsen lieven Neve, den Prince van Orange,* & haec omnia dice-

(13) Plac. III. 3. 7. 1.

(14) Ibidem II. Append. p. 2143.

(15) Ibidem p. 2147.

dicemus esse nulla & irrita? utique post Foedus Gandavense vel Utrechtanum? sic multa sub verterentur ex his, de quorum auctoritate nec Orangius, nec Comes Rennenbergensis, nec ipsi Ordines dubitarunt unquam. Quinimo non aliter Orangius Utrechtanum Foedus probavit 3. Maj. 1579. & Comes Rennenbergenses 11. Jun. 1579. (16) als voor seker agtende, dat in het zelve de Overheid, en de autoriteit der hoogheid van den Eerts-Hertoge niet verkort nog vermindert word. Per Overheid intelligo Comitem Philippum, Hispaniarum Regem, per autoriteit der hoogheid van den Eerts-Hertoge, Defensorem Matthiam, nam & in ea ipsa probatione Comitis Rennenbergensis Orangius appellatur *Lieutenant Generaal van den Eerts-Hertoge Matthias, Gouverneur Generaal van de Nederlanden.*

Ex hisce appareat, cum quaereretur de privilegio testandi de Feudis Zelandicis, quod Philippus II. dederat 17. Jun. 1580. recte responsum esse *Consil. H. T. II. Consil. 46.* dat te meermaal verstaan is, dat testamenten, gemaakt uyt Kragte van Octroyen, van den Coning van Spangien, als Grave van Holland verkregen na de Pacificatie van Gend, maar eer de Staten hem abandoneerden, effect sorteren zouden, als wel en te regt gemaakt zynde, & simul appareat, privilegium illud Amsterdamsem 3. Febr. 1581. de quo hic quaerimus, plena auctoritate juris esse cendum. Satis etiam ex iis ipsis constat, omnino frustra Scriptores quosdam exteriores dubitasse de auctoritate Academiae Leidensis, ut pote a non Principe institutae. Sane post pacem Monastico-

(16) Utriusque probationes existant post *Foedus Utrechtanum*, *Plac. I. 14*
t. 2.

196 · QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
nasteriensem ea de re dubitare, ut sunt qui dubitarunt,
ineptum prorsus est.

C A P U T I I.

*Ex consilio non fraudulentio neminem Reipublicae
obligari, nec etiam quemquam recte puniri, quod
mandatum Principis sui exsequutus sit.*

Sunt Politicorum filii, qui consilii datorem ex even-
tu puniunt. Digni profecto, quibus omnia eve-
niant pessime! Inter hos etiam est, qui scripsit *Disqui-*
sitiones Politicas, sive Boxhornius, sive quis alias, nam
latere voluit Auctor; sed, quisquis fuerit, in eo me ad-
sentientem non habebit. Probat ille *Casu XIV.* iniquis-
sum Arcadum judicium, quod nempe summo suppli-
cio affecerint, qui Thebanis auxillii adversus Alexan-
drum M. mittendi auctores fuerant. Male, inquit, illi
consuluerant, nec doli tantum, sed & temeritatis luen-
da poena est. De temeritate quod ait, ait ex eventu,
&, quicquid sit, nemo utique tenetur praestare nisi bo-
nam fidem. Quod aliis temeritas, aliis fortitudo est,
& qui ex eventu solent judicare, saepe virtutes & vitia
commutant. Et, si tu temerarium putas consilium, cur se-
queris? Sane, qui temerarium consilium sequuntur, ni-
hilo ipsis auctoribus sunt prudentiores. Arcadum, qui
auxilium Thebanis mittendum suaserant, nullus argue-
batur dolus, & hoc sufficiebat. In omnibus publicis
privatisque causis valere debet illud Ulpiani in *I. 47. ff.*
de R. J. Consilii non fraudulentio nulla obligatio est, etiam
nunc, quum consilium ei, cui datur, non expedit, ut
recte.

recte addit Gajus in l. 2. §. ult. ff. *Mandat.* Si quis rebus in arduis consilium desideret, plures sunt, qui dare possunt, sed nemo unus eventum praestiterit; si & hunc exigas, ecquis erit, qui consilio suo tibi adesse velit? vel duo, vel nemo.

Secundum haec, si quis bona fide de Republica consulat, non modo ei impune est, quando res fecius cadit, sed & omne damnum, quod ex consilio suo patitur, ei a Republica resarcendum est. Atque ita in Foedere, quod inter varias Hollandiae Urbes pro Wilemo Bavaro factum est anno 1351. (1) nominatum cautum est, ut si qua earum Urbium, aut ex incolis quispiam, pro eo Gravione quid faciens vel consulens, damnum pateretur, id inter omnes esset commune. Ordines etiam Hollandiae 19. Jul. & 3. Aug. 1663. (2) praefati, de Republica libera esse oportere Ordinum suffragia, porro decreverunt, si cui ex Comitiis Ordinum Hollandiae, eorumve Consiliariorum, aut Ordinum Ministris, eorumve viduabus, liberis heredibusque, five vi, five per speciem juris, adversi quid acciderit, illatum corpori, famae bonisque illorum, ob consilium de statu Reipublicae defendendo, vel ob Decretum, factum de quolibet negotio, vel ob exequitionem ejusmodi Decreti, ex cujuscunque demum id factum esset consilio, omni modo id damnum illi illisve Ordines resarcirent, atque si ipsis Ordinibus accidisset, subducta plane persona ejus, qui damnum passus esset, *sonder dat aan de zelve zal kunnen obsteren eenigen laps van tyd of praescriptie van jaren, om bare actien en prae-*

(1) *Plac. III. 1. 1. 3.*

(2) Exstat Decretum *Ibidem III. 1. 3. 5.* & in de *Resolutien van Considerratie ten tyde van de Wit* p. 626. & apud Aitzema L. XLIII. p. 686. & 687.

198 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

praetensiën, dewelke zy luiden dienthalven souden mögen hebben, te institueren en te vervolgen; quibus verbis actionem aeternam dari manifestum est, ad instar accusationis de laesa Republica, quam esse quoque aeternam JCti Graeci scribunt, & fere omnes Latini consentiunt.

Probo aequitatem illius decreti, quia verissimum est, id, quod factum est, non tam eos, qui consiluerunt, quam totum per singula membra Collegium fecisse videri, sed non aequo probo, quod Ordines clausula, ei Decreto nominatim subjecta, expresserint, ad futura duntaxat negotia pertinere, neque ullam ex eo de praeteritis actionem esse, nam ea clausula additur sub finem Decreti, non ut editum est in Libris vulgatis Edictorum & Decretorum (3), sed ut editum est in *de Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit*, & apud Aitzema. Id, inquam, non probo, quia Decretum, quantumcunque est, non legem aliquam novam, sed Jus commune complectitur, ut mox dicam latius.

Recte etiam ait Decretum, ei quoque esse subveniendum, qui damnum patitur ob executionem ejus, quod Ordines jussent: nihil enim verius est, quam eum, qui Principis sui mandatum exsequitur, non modo non puniendum, sed & ei resarcendum esse, quicquid nomine mandati abest. In omni mandato id obtinet secundum notissima Juris Romani Decreta, quae referre pudet. Atque inde, cum rursus ea de re ageretur apud Ordines Hollandiae anno 1667. facta est propositio in eandem plane sententiam, quam Ordines 15. Dec. ejusdem anni, consultationis ergo, ad Supremum Senatum & Curiam Hollandiae transmiserunt, & secundum quam utraque

(3) *Het Groot Placaas-boek.*

que Curia respondit anno 1668. (4) optime, si quid judico. Pessime igitur consultus est, qui *Disquisit. Polit. Casu IX.* impense probat, quod Magnus Largitionum Comes, qui sub Juliano, ex ejus mandato, templum Beristiorum incenderat, mox sub Joviano damnatus sit, ut templum sua ipsius pecunia restitueret. Sane pessimi rerum arbitri sunt, qui facta ab eventu aestimant. Quod Juliano placuit, Joviano potuit displicere, sed ejus Principis, qui imperat, iussa capessere fas est. Comes templum incendit, sed incendere juss erat Julianus. Etiam Jure Barbarico mandatum Principis excusat. Qui iussu Regis occidit, impune occidit, ut est in *Capitul. Caroli M. C. 215.* quia, inquit, *lex & jussio Dominica occidit eum, & ipse non potuit contradicere.* Princeps vero & Successores ejus defendant eum, & totam progeniem ejus, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Specie auctoritatis publicae fallere vel falli omnino impium est.

Rationes, quae contra Magnum Largitionum Comitem adferuntur, apud me nihil quicquam valent. Si dicas, in se ipso, ex natura rei non licere templum incendere, me Judicere erras, potest enim quam maxime, quia Principis est, neque alias est quispiam, cui magis rerum publicarum tribuas dominium. Si is, de quo agitur, Principem ad rem suam perdendam incitaverit, referre putem, an dolo malo incitaverit, an, quod egit, bona mente egerit? neque enim promiscue heredi actionem dandum est in Titium, quod forte defuncto donationis, Maevio facienda, auctor fuerit, nam quamvis *donare & perdere* fere pari passu ambulent l. 7 pr. ff. de *Donat.* bona mente tamen

con-

(4) Habet haec Aitzema L. XLVII. p. 363. & seqq. & L. XLVIII. p. 334. & seqq.

consilium donandi intervenire potuit, cum in ipsa donatione plus saepe lucri sit, quam damni. Sed hoc ab even-
tu pendet. Si porro dicas, tanti non esse Principem, ut ad usque templi incendium ejus pareas mandato, etiam sic falleris. Ut te ipsum serues, hominem occidi permittis, quid ergo metuis perdere templum jubentis Domini? *Principis indignationem exitii praenuncium* qui dixit, vere dixit, & apud Tacitum *L. IV. Histor. C. 42.* Curtius Montanus tolerandas censet iſtorum de-
fensiones, qui perdere alios, quam periclitari ipſi maluerunt. Noli praeterea objicere, quod objecit Disquisitor ille Politicus, rescissis Principis Actis id etiam mandatum rescindi, nihil igitur esse, quo se tueri possit, quicquid enim fecit mandatarius, fecit ex mandato, quod tunc erat, & tunc subsistebat, eo autem tempore, quo mandatum non erat, nihil quicquam fecit, & ini-
quissimum est, si ei imputes, quod vates non fuerit. Scio, in delictis mandatum non excusare, neque mandatum esse nisi rei licitae, sed haec in causis privatis valent, apud Principem autem mandatorem nihil ha-
bendum est pro illico, etiamsi illicitum sit, alioquin nulla Summi Imperii ratio constare poterit. Si Princeps bellum gerendum decreverit, & ad milites conscriben-
dos, armamentaria instruenda, commeatum parandum, & id genus alia, mandata sua dederit, an hi, quibus cura earum rerum demandata est, prius deliberabunt, bellum justum sit, nec ne, & parebunt, si justum, non parebunt, si injustum patent? Vides, sic omnem Imperii auctoritatem convelli, nec Principi amplius jubendum, sed cum subditis suis disputandum esse.

Ex his facile efficies, quaecunque in Hollandia annis 1618. & 1619. contra Barneveldum, Hoogerbeetsium &

& Grotium acta & judicata sunt, non alio jure nisi quam quod Praetor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit. Excute omnia capita, quae illis criminis imputata sunt, & reperies, non aliam fere ob causam damnatos esse, quam ob consilium Reipublicae vel Magistratibus suis datum, vel ob exsequutionem eorum, quae illis ab Ordinibus vel Magistratibus mandata erant, procul ab omni dolo malo. Ipso jure igitur singuli habebant actionem mandati adversus mandantes suos, ad resarcendum damnum, sibi datum, quatenus resarciri poterat, nam contra Barneveldii maximam capitinis diminutionem nulla erat restitutio, sed Grotius, homo prudentissimus, qui Syndicus atque ita mandatarius erat Magistratus Rotterdammensis, tempestatem praevidentis, insuper sibi prospicerat cautione indemnitatis, a Magistratu sibi datae. Ex qua cautione Magistratus Rotterdammensis a Curia Hollandiae 3. Nov. 1651. fiduciaria sententia damnatus est viduae Hugonis Grotii solvere salarium Syndici annum, usque dum ei alibi alia statio obvenierat; quam sententiam Supremus Senatus, ut ex Actis comperi, non tantum definitiva sententia probavit 21. Dec. 1652. sed & simul Magistratum damnavit in omne id, quod ex causa mandati & gesti olim muneris Grotio aberat. Heredes quidem Grotii & illis sententiis, & omni Grotii hereditati, ut & uxoris ejus, atque omnium aliorum quocunque nomine renunciarunt 6. Dec. 1662. probantibus eam renunciationem Ordinibus Hollandiae Decreto suo 9. Dec. 1662. (5). Sed ne puta, gratis renunciatum esse, quemadmodum enim illis heredibus subvenerint Ordines, malim te legere apud Aitzema

(5) Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit p. 646.
Tom. V. Cc

ma L. XLIII. *Histor.* p. 685. quam ex me audire. Idem *eodem loco* scribit, etiam heredibus occisi Barneveldii fuisse subventum, sed id alibi frustra quaesivi. Sane cum heredes Hoogerbeetsii ab Ordinibus Hollandiae petiissent, ut ipsi Ordines de sua causa cognoscere vellet, aut sibi integrum esset de ea apud Judicem experiri, decretum est 20. Dec. 1663. (6) ut tribus stirpis Hoogerbeetsii constituerentur tres redditus annui, quorum quisque esset 1066. Carolinorum; hoc addito, ita se decernere, quia & Leidenses Hoogerbeetsio specialem indemnitatem promiserant, & praeterea, id Decretum nulli omnino praejudicio fore judiciis & sententiis, annis 1618. & 1619. actis latisque, quietis enim publicae interesse, ut haec omnia sarta teataque maneant. Nescio, an non praestitisset publicam iniquitatem publice rescindere; nulla certe ratio est, cur Ordines aequissimum suum Edictum maluerint promissae indemnitatii, quam Juri communi adscribere, nam & sine indemnitate promissa mandatarii ex causa mandati indemnes sunt servandi, nec quisquam, qui Jctus est, ea de re dubitaverit.

(6) *Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit* p. 771. & 772. & *Aitzema L. XLIII.* p. 685.

C A P U T III.

Qui Recte Legatos mittant.

Inter Scriptores Juris Publici fere convenit, ejus duntaxat esse Legatos mittere, qui Summum Imperium habet. Vulgo utique Princeps vel Populus, qui sui juris

ris est, Legatos mittit ad alium Principem vel Populum, qui non minus est sui juris, & inter hos jura Legatorum perfecte constant, sed non aequae constant, si subditi forte vel rebelles ad Principes suos Legatos mittant. Coeptante apud Belgas rebellione contra Hispanos, duos ex Belgis Nobiles, Joannem Montigniacum, & Joannem, Marchionem Bergarum ad Zomam, anno 1566. ad Regem Philippum in Hispaniam misserunt Margareta Parmensis & Ordines Generales⁽¹⁾. Rex eos, cum in Belgium remitti non expediret, in Hispania retinuit, quemadmodum & anno 1634. ibi retentus est Dux Aarschotanus, eo quoque, qua Legatus, missus⁽²⁾. Duo autem priores non tantum retenti, sed & jussu Regis interempti gladio vel veneno, publicatis etiam bonis, ut non tantum fama nunciavit, sed & Ordines testantur in Edicto, quo 26. Jul. 1581. Regis Imperium Comitatense abrogarunt. Regem eo ipso jura Legatorum violasse vulgus Belgarum jactitavit, quin & Ordines in d. Edicto id factum ajunt pugnare tegen alle gemeene Regten, ook onder de wreedste en tyrannigste Princen altyd onverbrekelyk onderhouden. Unde & hanc quoque inter Imperii abrogati causas memorant.

Sed recte Wicquefort animadvertisit en son Ambassadeur L. I. Sect. 2. p. m. 38. quamvis id Philippi factum non sit laudandum, pro tam injusto tamen & improbo non esse habendum, atque habent illi, qui solo partium studio aguntur transvorsum: neque enim duo illi Nobiles ullo Legatorum jure uti potuere, si jus strictum aequi-

(1) Grotii Annales L. I. p. m. 29.

(2) Aitzema L. XIV. p. 542. & 543.

aequitati praeferas, ut praetulit Philippus. Non aliam ob causam potestati ejus, ad quem missi sunt, Legati obnoxii non sunt, quam ne, dum officio suo funguntur, conditionem mutent, & alteri Principi subjiciantur, cum alterius, & saepe adversarii, vicem repraesentant. Quorum nihil omnino erat in ipsis quasi Provincialibus Legatis, qui aequē, atque ante legationem, Philippo subditi erant, quique non repraesentabant nisi Margaretam, aequē Philippo subditam, vel ceteros Belgas, non minus subditos, si non, ut Philippo equidem videbatur, rebelles. Retenti autem fuerunt in Hispania, ne, quod jam tentarant, effugerent in Galliam, & sic in Belgium reverterentur, res novas molituri. Quia tamen bona fide, & consentiente Margareta, advenabant, a caede abstinere aequissimum erat. Ceteroquin subditos & rebelles jure Legatorum non uti, etiam Grotius docet *L. II. de Jure B. & P. C. 18. §. 2. n. 1.* & ex eo Zoucheus *de Jure Feciali Part. II. Sect. 9. Q. 16.* nisi tamen Princeps subditorum & rebellium condicionem remiserit, concesseritque cum iis agere, ut cum externo & sui juris Populo, quemadmodum in §. 1. Induciarum inter Hispanos & Ordines Generales 9. Apr. 1609. expressum est, cum Ordinibus agere Regem, atque cum Populo sui juris.

Ut legatio pleno jure utrumque consistat, status utrumque liber desideratur, qui si ab una duntaxat parte liber sit, ab ea missi tantum jure Legatorum utuntur, ab alia missi ad externum Principem, habentur pro nunciis, ad suum, pro subditis, sic ut in eos Princeps exercere possit id jus, quod in reliquos subditos exercet. Quum contra Romanos rebelles Batavi ad Petilium Cerealem misissent Legatum cum literis, nullo iis responso dato, quibus

quibus neque legationis jus erat, ipsum Legatum Romanum misit Cerealis, puniendum scilicet, si & ipse reus deprehenderetur, ut haec habet Tacitus *L. IV. Histor. C. 75.* Et Ludovicus Bavarus anno 1327. Pisaniorum, qui ipsum in Urbem suam recipere detrectabant, Legatos, ad introitum redimendum missos, comprehendi jussit, ut est apud Burgundum *Histor. Bavar. L. II. p. m. 102.*

Sciissa in factiones Republica, interesse putem, penes quam partem stet rei agendi potestas, si penes unam, ut ante stetit, nec aliorum, ad res agendas, desideretur consensus, etiam haec sola recte Legatos mittit, & his competit, quicquid veris Legatis. Eo jure censendi, quos a Vitellio ad Vespasianum missos Tacitus memorat *L. III. Histor. C. 80.* Unde recte de his Legatis superdicit Tacitus: *ni dato a Duce praesidio defensi forent, sacrum etiam in exteris Gentes Legatorum jus, ante ipsa Patriae moenia, civilis rabies usque in exitium temerasset.* Vitellium enim & Senatum, a quibus illi legati erant, Vespasiano non subditos, sed antequam vincerentur, sui juris Principes fuisse, negari non poterat. Longe aliter, atque si Vespasianus ad Vitellium Legatos misisset, qui nullo jure Legatorum praerogativas sibi adrogare potuissent, quum nulli alii fuissent, quam rebellium nuncii.

Ceterum qui Summam Potestatem desiderant in iis, qui Legatos mittunt, non solent distinguere, nec etiam distinguendum est, an eorum Imperia ex justo titulo, an ex sola injuria originem traxerint, sufficit enim, quod ad illos, ad quos Legati mittuntur, Suprema Potestate utantur. Recte Paschalius dixit in *Legato C. 12. Paucissima Regna Dominatusque memorari possunt, quorum initis*

206 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

libera Gentium suffragia causam dederint, quale fuit Dejocis, primi Regnatoris Medorum. Plura Imperia vis enixa est, quam electio. Et mox: Prima fere fundamenta Imperiorum sunt turbae & factiones. Nec absimile est illud Carneadis apud Laetantium *L. V. Divin. Instit. C. 16.* Omnibus Populis, qui florerent Imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius Orbis potirentrur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum. In causis publicis utique expedit, uti possidetis, ita possideatis; alioquin omnium Imperiorum origines essent excutiendae, justae nempe sint, nec ne, & sic demum pronunciandum, qui Legatos mittunt, jure an injuria mittant. Quod valde esset inutile, & Gentium tranquillitati turbandae insignem causam praeberet.

Simpliciter autem ego non ausim dicere, ut sunt qui dicunt, neminem recte Legatos mittere, nisi qui Summum Imperium habet, sic enim actum esset de Legatis Provincialibus, Municipalibus, aliisque, quorum magna seges & olim fuit, & nunc est. Dixerim potius, omnes recte Legatos mittere ejus rei ergo, cuius agendae potestatem habent, sed pro mittentis dignitate alio atque alio jure censeri, & alium atque alium iis honorem haberi. Si Princeps sui juris mittat, missi habentur pleno jure Legatorum, si mittat alius, ejus, ad quem missi sunt, arbitrio tota res relinquitur, sed id non perimit ipsum legandi jus, si penes eum, qui legat, rei, propter quam legat, agendae potestas sit. Aliquando & victarum Brabantiae Urbium Legati apud Ordines Generales auditи sunt, exhibitis *Credentiae*, quas vocant, *Litteris*. Quod ipsum & tentarunt Senatus militaris Legati, sed tam hi, quam Praefecti Urbium militares, ut & vieta-

victarum in Brabantia & Flandria Urbium Magistratus non per Legatos Ordines adire , sed per libellum Ordinibus supplicare iussi sunt mense Decembri anni 1645. (3) Mittunt & Legatos Deputati Ordinum Gelriae ex §. 38. eorum Formae (4), mittit & in India utraque Societas Indica Foederati Belgii, quin & Francica ex §. 27. Privilegii sui 31. Maj. 1664. (5) & qui non alii?

Scio , Elisabetham , Anglorum Reginam , cum pecuniam , a Rege Hispaniarum ad Ducem Albanum missam , anno 1569. occupasset , noluisse agere cum Albani Legato , utpote misso a non Principe (6) , sed fatis eo ipso Regina ostendit , frivola se exceptione uti quam suum cuique reddere maluisse. Huic exemplo & aliud addidit Zoucheus *de Jure Fecial. Part. II. Sect. 4. Q. 7.* de duobus nempe Nobilium Genuensium Legatis ad Philippum , Hispaniarum Regem , missis , at , reclamante apud Genuenses contraria factione , non admissis. Sed hos recusare potuit Philippus , non quia , qui miserant , alterius Imperio erant subjecti , sed quia , cum ad factiones perventum est , de Republica constituere nequit pars Reipublicae , nisi , ut antea dicebam , penes eam solam adhuc subsistat τὸ κύρον , alioquin nisi simul consulant & decernant , quibus simul consulendi & decernendi potestas competit , irritum est omnino , quicquid separatim agitur. Secundum haec ex §. 1. Arbitrii Ordinum Hollandiae (7) rescissa sunt omnia , quae tempore diffi-

(3) Aitzema L. XXV. p. 194.

(4) Exstat apud eundem L. XXIII. p. 623.

(5) Apud eundem L. XLVI. p. 572.

(6) Sic refert Strada *de Bello Belg. Dec. I. L. 7. p. m. 479.*

(7) Exstat in eorundem Decreto 21. Sept. 1657. *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 381.

dissidii ab 8. Apr. 1654. duae factio[n]es Ordinum Transilvaniae, praetexto Transilvaniae Ordinum nomine, altera in alterius praejudicium, fecerant. Distinctio, quae placuit Grotio *L. II. de Jure B. & P. C. 18. §. 2. n. 3.* de magnitudine nempe factio[n]um, & an fere aquales sint, huic rei definiendae minus apta est, neque enim ea, ut mihi quidem videtur, quicquam ad rem pertinet, sed sola rei agendae potestas. Minus quoque aptum est exemplum, quod Grotius attulit de Vitellii Legatis, cum, ut jam monui, penes Vitellium & Senatum tunc steterit summa rei Romanae potestas. Recte igitur distinctionem Grotii rejicit Wicquefort *en son Ambassadeur L. I. Sect. 2.* vel utique recte restrinxit ad ea, quae utraque factio invicem habet discutenda, hoc est, ad ea, quorum penes singulas factio[n]es potestas est.

C A P U T IV.

An singulae Provinciae Foederati Belgii Legatos possint mittere, vel accipere?

Respublica Achaeorum, ex septem Civitatibus condita, multa olim habuit ad instar Reipublicae Foederati Belgii. Jacobus Gothofredus *Oratione*, quam *Achaicam* inscripsit, inter Leges Achaici Foederis etiam hanc refert: *ne cui Achaici Concilii Civitati seorsim Legatos ad externa mittere fas esset, & existimat, salva ea Lege, semper bona fide in commune fuisse consultum, ea autem labefactata, labefactatam quoque fuisse Achaeorum Rempublicam. Achaici Foederis socios separatim*

paratim jus legationis non habuisse ex eo est, quod apud Achaeos summum Imperium in omnibus & per omnia steterit penes commune Concilium, & quod perfecta legatio non censeatur, nisi ex summo Imperio. Sed haec non recte transferas ad septem Civitates Belgii Foederati, quarum singulæ summum Imperium retinuere, exceptis nonnullis rebus, sine quibus causa Foederis explicari non poterat. Regula est, ab Hollandis saepius inculcata reliquis Foederatis, & oppido verissima, singulas Provincias esse sui juris, nisi quatenus in Foedere ei juri fuerit renunciatum. Cautum quidem est §. 10. Foederis Utrechtani, ne quae Provinciae, Urbes, Membra Foedus inire vellent cum finitimis Principibus, nisi consensu aliorum Foederatorum, sed id omnino intelligendum est de iis, quae ad causam communem societatis pertinent, hactenus enim juri suo renunciarunt, non autem de iis, quae singulæ Provinciae sibi reservarunt salva & integra. Quod in Foederibus, idem in Legatis obtinet, utrumque enim par est causa.

Igitur rudi Minerva dictum est, quod dixit Huberus de *Jure Civit. L. III. Sect. 4. C. 2. n. 5.* Gentes liberas Belgarum recte Legatos mittere. Recte sane mittunt Ordines Generales, & hi vulgo mittunt, quia res, ob quas mittunt, omnium Sociorum fere sunt communes, sed an singulæ Provinciae, ob res quaeque suas, recte mittant, id vero est, de quo cum maxime quaeritur. Si me audias, tota haec res pendet a Foedere, ut, si rei agendae potestas ad solam Provinciam pertineat, utique illa Provincia ea de re recte separatim paciscatur cum externis Principibus, & ad hos ea ipsa de re recte Legatos mittat, fin autem pertineat, ut vulgo pertinet, ad Ordines Generales, & commune Belgii Foederati

210 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

bonum, aliud omnino juris sit, neque enim commune bonum curant, nisi soli Ordines Generales.

Magnis animis haec res agitata fuit anno 1654. Ordines Hollandiae 4. Maj. 1654. (1) ad pacem obtinendam, separatim Anglis promiserunt, se Wilelmi II. posteris nullum Imperium terra marive in Hollandia collaturos, neque pro iis, ut Ordines Generales conferant, apud eos se suffragium dicturos. Contra eam pactionem ad ravim usque declamarunt Zelandi, Frisi, Groningani, libellis aliquot in eam rem editis, quibus tandem Ordines Hollandiae justo volumine responderunt (2). Vides autem, duas esse partes ejus Decreti, quod Wilelmi II. posteros excludit. Prima pars excludit a dignitatibus, quas Hollandi, secunda a dignitatibus, quas Ordines Generales conferre poterant, quantum nempe attinebat ad suffragium Hollandiae. Ut utramque Decreti partem defendant Hollandi, magno apparatu id agunt, ut ostendant, rem, de qua cum Anglis pacti sunt, omnino esse potestatis suae, & licere cum sibi, tum aliis Provinciis de rebus, quae ad se pertinent, & Legatos mittere, & Foedera inire, prolatis Parte I. C. 5. ejus Responsionis quam plurimis exemplis, ex quibus constare putant, singulas Provincias, etiam proxime post Foedus Utrechtum, eo jure fuisse usas. Non disputo, an omnia exempla, quae ibi exstant, satis apta sint in hanc rem, & an satis subsistant & componi possint cum d. §. 10. ejus

(1) By de *Acte van Seclusie* rakenende bet employ van den Heere Prince van Orange.

(2) Ea responsio vocatur *Deductie of Declaratie van de Heeren Staten van Holland tot justificatie van de Acte van Seclusie.* Exstat separatum Belgice & Latine, & iterum Belgice in de *Resolutien van Conferentie ten ryde van de Wit* p. 30-306.

eius Foederis, nam satendum est, nascente Republica, multa tumultuariae magis, quam legitime gesta esse, sed tamen mihi persuasum est, cum d. §. 10. satis sublisterc & componi posse illud Decretum 4. Maj. 1654. quia utrumque, quod Anglis ibi promissum est, revera pendit à sola potestate Hollandorum. De prima parte Decreti nemo unus dubitaverit, sed cur dubites de secunda? nihil enim quicquam Hollandi parte secunda obligarunt, quam suffragium suum, & libera esse quarumque Provinciarum suffragia apud Ordines Generales, qui contradicat, nemo est.

Quamvis autem ea ratione satis justum videatur d. Decretum 4. Maj. 1654. pars tamen eius secunda non est satis amica. Haec distinctio, quam & faepe alias obtinere supra dixi L. I. C. 23. in fin. etiam hic est observanda: nam, ut de re, quae ad libertatem pertinet, libere dicam, incivile, nec satis amicum est, ignaris & inconsultis sociis de causa Societatis separatim deliberare, & alteri Principi suffragium suum obligare. Ordines quoque Frisiae in Decreto 24. Jun. 1654. (3) id ipsum Hollandis objiciunt, sed, quod addunt, manifeste eo pecari adversus Foedus, manifeste verum non est. Respondent quidem Ordines Hollandiae d. Parte I. C. 2. n. 3. sui juris esse suffragium suum, & sic omnino est, sed tamen, ut dixi, illud jus fraternitatis, quod quodammodo in Societate est, vix admittit, ut socius, ne auditio quidem socio, suffragium suum obliget. Etiam Hollandiae Ordinum quaeque membra liberum suffragium habent, & tamen Nobiles aut Urbes in rebus, ad Rempublicam pertinentibus, suffragium suum cuiquam addi-

(3.) In de Resolutien van Confideratie ten tyde van de Wit p. 144.

212 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

addicere adeo displicuit, ut neque Legatos de rebus; quae apud Ordines Hollandiae tractantur, accipere posse placuerit. Anno utique praecedenti 1653. 2. Aug. (4) Ordines Hollandiae decreverant, si Ordines Generales aut singularum Provinciarum ad Nobiles aut Urbes Hollandiae aliquos mitterent over saken, den gemeenen staat der Landen betreffende, of daar toe reflexie hebbende, ne Nobiles Urbesque iis auditorium praeberent, sed continuo ad Ordines Hollandiae remitterent, idque, ut nominatim additur, ut in ipsis Comitiis libere consulere & suffragium dicere liceret. Quam sententiam Ordines ajunt in d. Decreto se latius esse exsequutos Libro singulari (5) quem anno 1651. ediderunt adversus libellum, inscriptum *Redenen en motiven, die syne Hoogheid den Heere Prince van Orange bewogen hebben &c.* In eo autem Libro singulari toti sunt Ordines, ut probent, non tantum injustas esse ejusmodi legationis, sed & tollere singularum Provinciarum jura, & cum maxime libertatem sententiae dicendae in Ordinum Comitiis.

Sed ego non ausim tam large haec admittere, si lex non intercederet. Qui recte Legatos mittunt, etiam recte accipiunt, ut autem mittendorum, ita & accipientorum Legatorum jus ab rei, de qua agitur, facienda potestate dependet. Igitur, ut ante dicebam, singulae Provinciae quod ad ea, quae sui juris suaequae potestatis sunt, publice Legatos mittunt & accipiunt, sed non aequae quod ad ea, quae ad commune Foedus pertinent, neque enim ejus leges patientur, ut, salva forma legationis, singuli socii separatim audiant, qui de re omnium

(4) In de Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit p. 1.

(5) Ille liber singularis vocatur *Warngtig en nodig Berigt van de Staten van Holland, &c exstat apud Aitzema Herfhelde Leeuw p. 486.*

nium communi verba sunt facturi. Atque ita neque singula cujusque Provinciae membra, quod ad formam publicam attinet, recte Legatos accipiunt de rebus, quae apud ipsos Ordines ejus Provinciae sunt agendae. Sed haec non prohibent, quominus Legati ad Ordines Generales missi, aut eorum aliqui, cum singulis Provinciis, earumve membris sermones caedant de re publica, nam ut suum singularum Provinciarum, sic & suum singulorum membrorum liberum est suffragium, nec nisi de re potestatis suae agunt, qui de suffragio suo cum Legatis agunt. Nolim, ut obligent, vel propter τὸ πρέπον, quod inter socios servare oportet, sed si velint, cur non possint, nulla ratio est. Privatim utique licet colloqui de rebus publicis, & licet ea audire, per quae quis doctor & melior ad publica consilia accedat, quin &, si ita videatur, licebit suffragium suum addicere, ut in munerum collatione passim obtinet, & sine fraude cujusquam est. Si haec neges, defende, si potes, illud Hollandiae Decretum 4. Maj. 1654.

Patior Legatos privatim audiri, non patior publice audiri, nisi ab his, ad quos ea res pertinet. Sed aliter atque aliter in Belgio Foederato ea res est accepta & servata. Frisiorum Ordines anno 1587. Legationem Comitis Leicestrii ad singula Frisiorum Ordinum membra separatim factam, ut novam, & non nisi discordiis for vendis aptam, improbarunt (6). Et Amsterdammenses Ordinum Generalium Legatos, anno 1639. ad se missos, inauditos dimisérunt (7), cuius repulsae rationes Hollandiae Ordinibus reddiderunt eodem anno 1639. (8).

Rur-

(6) Memoratur in eodem Berigt p. 507. & 508.

(7) Aitzema Hifstor. L. XIX. p. 177. & 197. & in eodem Berigt p. 509.

(8) Eaurum mentio est in Aitzema Herstelde Leeuw p. 58.

214 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Rursus, quum tot milites, quot ceteris Provinciis placebat, Hollandi alere nollent, Ordines Generales 5. & 6. Jun. 1650 (9), praeter Gelros (10), & contradicentibus Hollandis (11), legationem ad Urbes Hollandiae miserunt, quae ab aliis recepta fuit, ab aliis repulsam tulit inaudita (12). Amsterdammenses, quod ne quidem Orangium, qui etiam inter Legatos erat, tanquam Gubernatorem Hollandiae, in concilium Urbis suae admittere voluerant, ad Orangii expostulationem, ea de re factam 30. Jun. 1650. (13) apud Ordines Hollandiae prolixè se defenderunt (14), & ii, qui ad causae cognitionem ab Ordinibus delegati erant, responderunt quoque, non placere ejusmodi legationes a Magistratibus recipi (15). Quae & ipsorum Ordinum sententia fuit, longe lateque disputata in eo, quem dixi, Libro singulari, quo Orangii libellum, anno mox sequenti, publice oppugnarunt.

Sed haec quidem acta gesta sunt ante annum 1653: eo autem anno 2. Aug. ut alia occasione ante commemoravi, speciali Decreto improbata fuit legatio Ordinum Generalium aut singularum Provinciarum ad singula Ordinum Hollandiae membra, atque si libertatem sententiae, in ipsis Comitiis dicendae, impediret. Sed an haec tantopere jaētata suffragiorum libertas satis conveniat cum eorundem Ordinum Decreto, quo sequenti anno

1654.

(9) Aitzema *Hertefelde Leeuw* p. 9. & 10.(10) Idem *ibidem* p. 11. & apud eundem in eodem *Berigt* p. 507.(11) *Ibidem* d. pagg. 11. & 507.(12) Rem totam habet Aitzema *H. L.* p. 13-37.(13) Idem *ibidem* p. 37. & seq.(14) Idem *ibidem* p. 56. & seqq.(15) Idem *ibidem* p. 40-45.

1654. suffragium suum Anglis obligarunt, judicent, quibus jus liberi suffragii est.

Hactenus autem nihil cautum erat de externorum Principum Legatis, id vero postea accessit: quum enim anno 1662. Hispanorum Legato, differenti de pacto mutae defensionis cum Rege suo inenndo, Magistratus Dordrechtanus auditorium praebuisset, Ordines Hollandiae Decreto suo 28. Sept. 1662. (16) illud Decretum 2. Aug. 1654. etiam eo porrexerunt, nam, improbato illo Dordrechtanorum facto, decreverunt, ne Nobiles aut Urbes separatim aan eenige Ministers audientie vergunnen zouden over saken, den gemeenen staat van den Lande betreffende, of daar toe reflexie hebbende, en waar op de deliberatie speeleert tot haer Ed. Gr. Mog. Staats gewyse Vergadering, sed eos Legatos continuo remitterent ad ipsos Ordines, om niet gepraeoccupert te werden, apud Ordines enim ea tractari. Quod verum est ex §. I. Formae, quam Ordines Hollandiae Comitiis suis praescripserunt 19. Febr. 1585. (17) sed non minus verum est, etiam apud ipsos Urbium Magistratus ea tractari, quod ad suffragium suum.

Ceterum id Decretum 28. Sept. 1662. intelligendum est de auditorio Legatis publice praebendo, id enim ne quidem singulis Provinciis licet, si de causa communione omnium Foederatorum agatur, sed cave existimes, per illud Decretum iis, qui ipsi Nobiles vel Urbium Magistratus, vel eorum ad Comitia delegati sunt, non licere externorum Principum Legatos privatim audire, aut cum iis sermones commutare de salute Reipublicae, neque

(16) Plac. III. 1. 1. 34. & in de Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit p. 643.

(17) Plac. I. 1. 3. 1.

que enim ulla lege id est prohibitum, vel, salva Reipublicae dignitate, prohiberi potest, modo, quae celanda sunt, celent, nec temere pronuncient de his, quae non sunt potestatis suae, servato etiam decoro, quod in societate servari convenit. Probe recordor, Amsterdammensibus, quorum Delegati cum Galliarum Regis Legato sermones de Republica habuerant, eo nomine **cri-men Majestatis** fuisse objectum, eorumque instrumenta Hagae Batavorum domi suae fuisse obsignata, sed quam nullo jure, satis ostendit epistula Amsterdammensium ad Urbes Hollandiae scripta 19. Febr. 1684. (18) & ad ipsos Ordines Hollandiae 8. Mart. ejusdem anni (19). Sed Hollandorum libertati tunc imminebat Orangius, ipse Amsterdammensium accusator, qui & alia occasione alias Magistratus, ob eandem causam, criminis reos egit, & ut punirentur, auctoritate sua effecit. Laesa scilicet erat Majestas Orangia, si quis contra hiscere auderet, quominus ex ejus solius nutii penderet Respublica, tantum enim Magistratibus faciebat reliqui, quantum Bibulo Caesar. De meliora piis! Tempore autem liberae Republicae cum Legatis Principum privatum colloqui, ad promovendam boni publici salutem, semper sine fraude fuit, & adhuc est.

(18) *Hollandische Mercurius* 1684. p. 31. & in Libro, *Consideratien van Staats-zaken* p. 31.

(19) *Ibidem* 1684. p. 64. &c in eodem Libro p. 77.

C A P U T V.

Qui Recte Legati mittantur.

Ut non omnes recte Legatos mittunt, ita non omnes Legati recte mittuntur: *non enim omnes admitti praecepit Gentium Jus, sed vetat sine causa rejici*, ut verissime dixit Grotius *de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 3. n. 1.* Causam rejiciendi triplicem ille statuit, ex eo, qui mittit; ex eo, qui mittitur; ex eo, ob quod mittitur. De media nunc agimus, & ex ea Theodorum *άθεον* repulit Lysimachus, ut ex Diogene Laertio ibi narrat Grotius. Sed quemadmodum Principes fere student, ut Principibus, ad quos mittunt, gratio-
sos mittant, id e re sua esse rati, sic ii, ad quos mittuntur, fere quoscunque Legatos accipiunt, etiam viles & minus dignos, neque id minus e re sua esse putant, non modo ne Principem mittentem offendant, sed & ne major Legati dignatio & auctoritas rebus agendis impedimento sit. Vel sic tamen non recipit Princeps viles animas, si in suam contumeliam missas interpretetur.

Unde quaeri video, an exuli, si Legatus mittatur, Legatorum jura competant? Exulem intelligo, qui mittitur ad eum, a quo exulat, cuique, ad tempus vel quandocunque reversuro capit is aliave poena statuta est. Ipse Princeps potest exulem suum, sententiam passum, restituere, potest & exulem ex alieno Imperio rebus suis adhibere, & utrosque Legatos mittere, ut sunt exempla Legatorum exulum apud Paschalium *in Legato C. XIX.* Sed de his non quaero, verum de illis, qui re-

Tom. V.

Ee

deunt

deunt ad Principem, a quo proscripti erant, decreta quoque in reversuros poena. Veteres quidem Juris Magistri etiam ejusmodi ex eisbus videntur jura Legatorum tribuere, ut didici ex Bertachino⁽¹⁾, eamque sententiam tuetur *Cœcus* quidam apud *Zoucheum de Jure Feudali Parte II. Sect. 4. Q. 19.* Sed ego tam difficilis stomachi sum, ut eam sententiam concoquere non possim, neque etiam concoxit Albericus Gentilis *L. II. de Legationibus C. 10.* neque Zoucheus *d. loc.* Constat utique inter eos, qui de Legatis scripsérunt, Principem non teneri omnem Legatum recipere, & quae justior causa rejiciendi Legati, quam si is mittatur ad Principem, qui, antea subditus, ejus forte Majestatem laesit: quae major contumelia esse potest, quam mittere hominem, qui vel ipsum Principem, vel ejus subditos indigno facinore aggressus, & ob id proscriptus est: is homo Principis oculis obversabitur, & cum eo ejusve concilio ageret de summa utriusque Reipublicae. Noli sic sapere, & alteri Principi in suo Imperio legem adeo iniquam scribere. Quare Princeps ejusmodi exulem aut arcebit a finibus suis, aut, si jam intraverit, jubebit quantocvus iis excedere. Ut tamen plectatur poena, reverluro statuta, bona fides, quae inter Principes exuberare debet, vix patitur. Quin & ideo id improbraverim, quod haec res inter JCtos dubia sit, & quod in re dubia contra non subditum nihil durius sit statuendum. Non tamen assum dammare Principem, qui jure suo, licet summo, uti velit, nam recte imputatum clementiae Romanorum apud Tacitum *L. I. Annal. C. 57.* quod pepercérint Segimun-

(1) *Voce Ambasator, prope finem.*

gimundo Legato, qui antea ad rebelles profugerat. Haec juris & aequi pugna.

Quidam, qui in officio fuerat Societatis Indicae Orientalis, & in India damnatus, ut lingua ejus perforaretur, fugit in Angliam, & ab Rege huc mittitur ad componendas controversias, quae inter Regem & Societatem Indicam intercedebant. Simulac autem ille anno 1636. Hagam Batavorum advenerat, ad preces Societatis Indicae, carceri mancipatur, sed tamen mox dimissus est. (2). Eo scilicet tempore, quo Rex Angliae sic satis jam offensus erat, & hujus Reipublicae intererat, ne magis offenderetur. Prudentius nostra memoria Regis Angliae ad Regem Franciae Legatus, antequam anno 1697. in Franciam abiret, ab Rege Franciae petuit & obtinuit, ut liceret quibusdam, ex Francia ob Religionem profugis, inter Comites suos esse, nam, nisi id petuisset & obtinuisse, eos forte, ut reversos exules, habuisset Rex Franciae.

Quaesitum est, an & mulieribus Legatis uti jus fasque sit? Hanc quaestionem tractat Zoucheus *de Jure Feziali Part. II. Sed. 4. Q. 9.* & Kirchneri negantis, & Paschalii ajentis sententiam, eorumque in utramque partem rationes adducit, ipse, pro more suo, nihil definiens. Sane, quod ex Jure Romano in hanc rem adfertur, satis est inutile, feminas nempe non recte postulare *I. 1. §. 5. ff. de Postul.* & quibus jus postulandi non est, neque legatione fungi posse *I. 4. §. 1. ff. de Legation.* & quod generaliter definitum est in *I. 2. pr. ff. de R. J.* feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis removeri, nam de suis subditis Princeps statuit pro arbitrio

(2) Aitzema L. XVI. p. 277. & 278.

220 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

arbitrio suo , de alienis non etiam . Ad haec satis probavi
Libro singulari de Foro Legatorum C. VI. quicquid Ju-
re Romano traditur de Provincialibus & Municipalibus
Legatis , de quibus solis fere ibi sermo est , non recte
transferri ad Legatos , quibus nunc utuntur diversi Prin-
cipes , qui sui Juris sunt , horum enim causa non ex Ju-
re Civili , sed ex solo Jure Gentium est aestimanda. Un-
de nec ad eos pertinent alia Juris Romani Decreta de
feminis aliisve a publicis officiis arcendis. Vis exem-
plum ? Romae ad Rempublicam administrandam ante
vicesimum quintum aetatis annum nemo admittebatur ,
ex definitione Ulpiani in *I. 8. ff. de Muner.* &³ honor.
Sed quis hodie Principi legem ponat , ne Legato mino-
re utatur ? Quin nec ratio Juris Romani semper hic obti-
net ; si omnes feminae ad postulandum admitterentur ,
saepe incideremus in Cajas Afranias , sed satis cavebit
Princeps , ne his Legatis utatur.

Ut in omni argumento , quod de Jure Gentium est ,
ita & hic ratio & usus utramque paginam faciunt. Ra-
tio utique feminas a legationibus non arcet , in feminis
enim reperies , quicquid in Legatis jure desideraveris.
Non equidem cum Platone in omnibus & per omnia
viris feminas aequaverim , scio utrusque sexus virtutes
esse proprias , scio esse communes. Infeliciter feminis
arma tribuuntur , nam rarius in muliere , quam viro , est
invictum animi robur , quod in rebus adversis maximo
praesidio est. Lenitas , clementia , misericordia propriae
fere mulierum virtutes sunt , sed hae in bello , etiam fe-
licissimo , saepe periculose. Quod vi & potestate agen-
dum est , virorum proprium est , at in legationibus ma-
nu , res non agitur , sed ingenio , industria , promptitu-
dine , minis , blanditiis , quae omnia & in feminas ca-
dunt ,

dunt; saepe & magis, quam in viros. Eruditio quidem propriam virorum gloriam constituit, sed in Legatis quis hanc exigat? Ut olim legationibus functi sunt, sic & hodie funguntur, qui ne quidem Linguae Latinae, Eruditorum vernaculae periti sunt, qui rem Populi tractarunt nunquam, quin vel nihil quicquam, nisi sola forte arma, vel solas forte res ludicas. Cedo, cedo, si potes, qua parte viri mulieribus potiores sint, in his nempe, quae in Legatis desideramus? ingenium, industria, & reliqua, quae modo dicebam, utriusque sexus communia sunt.

Falleris, si putas, solos esse, qui sapiunt, viros. Apud Celtas mulieres adhiberi consultationibus de bello ac pace, Plutarchus scripsit in Libello de *Virtutibus Mulierum n. 6.* &, si Celtae quoque Germani, nihil mirum, quod Tacitus de *Moribus Germanorum C. 8.* Germanos ajat nec *feminarum consilia aspernari*, nec *responsa negligere*. Plura seminarum in rem publicam egregia consilia & facinora laudat Connarus *Comment. Jur. Civil. L. I. C. 8. n. 4.* Sed ne mulieribus, fatis ut plurimum cristatis, cristas videar erigere, plura non addo; rogo potius, si permittas privatis res suas, per quemcunque voluerint, explicare, quo jure id Principibus negaveris? Imo, inquies, indecorum est, feminas legationis obire, atque ita se virorum immiscere consortiis. Audio, at quaero, an magis decorum sit, feminas Regnum obtainere? si id patiaris, ut patientur multae Gentes, cur non etiam pateris ad Reginam feminam, feminam in legationem mitti? Sola igitur ratione consulta vix est, ut mulieres a legationibus obeundis excludas.

Sed vero si ratio mulieribus non obstet, forte usus

222 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

obstat, nam & ex usu Jus Gentium aestimandum est. At noli credere. Non repetam exempla, quae in hanc rem contigit Paschalius in *Legato C. XX.* & quae plena fide probant, tam apud Graecos, quam Romanos, bene utique moratos Populos, feminis legationes fuisse mandatas. Non, inquam, haec repetam, addam potius, matres quoque Archivorum, qui ad Thebas cederant, pro liberorum cadaveribus cum Adrasto legationem obivisse ad Theseum, ut est in Euripidis *Supplm.* v. 173. Amazones denique, si unquam fuerint, quales Legatos misisse credendae? Quod salva sexus mulierbris verecundia olim licuit, non animadverto, quam obrem hodie non liceret. Recordor etiam Regem Daniae anno 1700. viduam quamdam Amsterdammensem, ejusque filium, rebus suis, Amsterdami agendis, praeposuisse eo titulo, quo minoris commatis Legati vulgo audiunt, & *Agentes* appellant, neque ulla ratio est, cur in majoribus Legatis obtinere non possit, quod in minoribus obtinet. Minus frequentari mulierum legationes res certa est, sed non minus certa, etiam olim minus fuisse frequentatas. Sed plus minusve sint fuerint ve frequentatae, jus Principis non tollit, ejus igitur voluntas, etiam in hac causa, suprema lex esto.

C A P U T VI.

Legati quid rerum olim egerint, & nunc agant, cum publice audiuntur.

Nolim enarrare ceremonias, quibus olim Legati accepti sunt, aut nunc excipiuntur, vel ante adventum, cum iis obviam itur, vel ipso adventus sui tempore,

pore, vel tunc, cum publicum iis auditorium praebetur. Certum est majorem minoremve iis honorem haberi pro Principis mittentis dignitate, & pro ipsius Legati varia conditione, magni enim refert, in exhibendis ceremoniis, cuius commatis sit ipse Legatus. Unde &, priusquam publice audiatur, edere oportet Codicilos suos, *Credentiales* appellant, & ita etiam Ordines Generales decreverunt 19. Aug. 1658. (1) De illis honoribus multi multa scripserunt, sed quia omnes Principes non servant eosdem honores, quin & saepe mutant, saepe etiam, ob sumptuum magnitudinem, prorsus negligunt, iis quisquiliis recensendis non placet bonas horas perdere. Varia etiam in hanc rem exstant Ordinum Generalium Decreta, quae nec ipsa commemoror; quamvis me non lateat, ejusmodi nugas apud ipsos Legatos ejus esse pretii, ut quanto quis earum sit peritior, tanto habeatur doctior & melior. Sed missis his frivolis plus scire attinet, in auditoriis publicis an & quid rerum se-riarum olim egerint Legati, & nunc agant. Lege au-tem Gabinia apud Romanos cautum erat, ut ex K. Fe-
br. usque ad K. Mart. Legatis Senatus quotidie daretur. Plerumque Consules in Senatum introducebant Legatos, qui ibi mandata sua exponebant, & per Senatores, per contandi arte peritos, interrogabantur de iis, quae ex- posuerant, & apud Senatum agenda erant. Mox Legatis Senatu excedere jussis, de his omnibus deliberatum & itum est in suffragia, & quod Senatui placuisse, ejus nomine Legatis, denuo admisis, respondebat Princeps Senatus, quemadmodum haec omnia narrat & idoneis testimoniis probat Zamoscius de Senatu Romano L.

II.

(1) Plac. III. 1. 2. 7.

224 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
II. p. m. 179. & seqq. & in *Thesauro Graevii T. I.*
p. 1015.

Quum autem Romae Legatis Senatus dabatur, nihil eorum, quae ipsi postulabant, antea editum fuisse comperi apud quemquam Auctorem rerum Romanarum, etiamsi tantum non incontinenti fere responsa ferrent Legati. Apud Achaeos alia lex erat, ne scilicet Legatis auditorium daretur, nisi id, de quo apud Concilium acturi erant, scripto prius edidissent, quam legem etiam adversus Romanorum Legatos constanter fuisse exercitam lego apud Polybium *Excerpt. Legat. C. XLIX. n. 6.* & *C. XLVII.* & apud Jacobum Gothofredum *Oratione Achaea p. m. 91.* Periculum nempe videbatur, rudes faepe & imparatos animos Legatorum orationibus permittere, & sic ansam praebere, ne quid forte persuadeant in detrimentum Reipublicae. At vero, ut nunc sunt mores, antea nihil quicquam editur eorum, quae Legatus dicturus vel petiturus est, neque etiam, ut edatur, ulla ratio est, quia Legatis statim responderi nunquam solet. In auditoriis publicis apud Principes aut concilium Reipublicae nihil rerum seriarum hodie agitur, quicquid ibi ex Legatis audis, nihil fere aliud est, quam sua Majestas, Serenitas, Celsitudo, Dominus meus, fecit mihi honorem, me ad Majestatem, Serenitatem, Celsitudinem vestram mittendi, ut significarem, quam prolixus sit amicus vester, Uxorem se duxisse, filium filiamve sibi esse natum natamve, ut & vestra Majestas, Serenitas, Celsitudo hujus gaudii esset participes, vel uxorem suam, aliquemve ex liberis suis decepisse, ut vestra Majestas, Serenitas, Celsitudo ejus factio indoleret, & hisce fere similes nugas, vulgi sermonibus jam diu tritas, atque ideo fere indignas, ut lippis &

& tonsoribus confabulandi argumentum praebeant. Qualis autem Legati oratio, ejusdem farinae solet esse responsio, nec quicquam praeterea agitur in tanti momenti auditoriis, & sic aliquando tota legationis causa absolvitur. Si quid autem rerum seriarum agendum sit, solet Legatus porrigere libellum, quem *Memorie* appellant, & ejus cognitio remittitur ad Principum Ministros, aliosve a Republica in hanc causam Delegatos, qui cum Legatis longe lateque disputant, & post multas litationes & temporis moras vel re infecta discedunt, vel cum Legatis transigunt, & sic ad Principem referunt.

Quaesitum est & de loco, quo illae disputationes & litationes sint habendae. Et ex Ordinum Generalium ceremoniali Decreto 26. Nov. 1639. (2) & ex alio eorumdem Ordinum simili Decreto 7. Febr. 1657. (3) deliberationes cum externis Principum Legatis fiunt in loco publico, si quid ipsi habeant, quod proponant, sin autem Ordines, in Legatorum aedibus. Addit vero d. Decretum 7. Febr. 1657. Legatos Galliae, Hispaniae, Angliae, Daniae hoc jure uti, ut, quamvis ipsi quid habeant, quod proponant, cum iis tamen agatur in eorum aedibus. Scio & cum Suaeciae Legato actum esse domi suae anno 1684. sed ob morbum. Quin & illi ipse Legati, qui, ut ita dicam, jus habent revocandi domum, solent tamen, honoris causa, ipsos Ordinum Delegatos adire in loco publico, nisi de jure precedentiae quaestio incidat cum aliis aliorum Principum Legatis, quibuscum simul deliberandum est. Ceterum non

(2) Apud Aitzema L. XIX. p. 247. & seqq.

(3) Plac III. 1. 2. 36. §. Wirt.

non omnes cujuscunque commatis Legati illos Ordinum Generalium Delegatos adeunt, sed qui & quas ob causas, & qui rursus per libellum supplicare debeant, non usquequaque definitum reperi.

Quoniam igitur, ut dixi, hodie nihil solidae rei agitur cum Legatis primo illo congressu, sed tralaticiis ceremoniis omnia absolvuntur, satis animadvertis, publica ejusmodi auditoria vel a parte Legatorum, vel a parte eorum, ad quos legati sunt, nullam scientiam, nullam industriam desiderare. Atque inde est, quod ea nunc celebrentur apud quoscumque, sine ullo sexus vel aetatis discrimine, promiscue enim Legati audiuntur apud viros, mulieres, pueros, puellas, quin vel apud ipsos infantes, in cunis adhuc vagientes. Alia olim rerum facies. Cum Nero audiendis Armeniorum Legatis praesideret, & Agrippina, mater Principis, ipsa quoque suggestum ascensura metueretur, praesentissimae infamiae pavore attoniti haefere Romanorum animi, tanquam extremum subituri dedecus, nisi Senecae artibus, specie honoris, depulsae fuisset intempestiva mulieris ambitio, ut haec retulit Tacitus *L. XIII. Annal. C. 5.* & justus utique Romanorum metus, cum & alia occasione suggestum ascenderit ambitiosa mulier, ut auctor est idem Tacitus *L. XII. Annal. C. 5.* Unde & Nero post necatam matrem, apud eundem Tacitum *L. XIV. Annal. C. 11.* ad Senatum inter alia scribit, Agrippinam consortium Imperii adfectasse, dedecus Senatus & Populi procurasse, & se magno labore effecisse, ne *Gentibus externis responsa daret.* Sed hi quidem Romanorum mores, qui, ut vides, Legatos, ad viros missos, a feminis audiri summum dedecus existimabant. Nunc autem, exstinctis fere ubique Gentium animi magni

virtutibus, viri patiuntur, ut feminae, non multum apud se potuisse contentae, tantum non palam imperium sibi adrogent. Quum Ordinum Generalium Legato apud Angliae Regem anno 1644. auditorum praeberetur, etiam Regis uxor cum marito suo audiendae legationi praesedit (4). Alioquin moris est, etiam apud eas Gentes, quae mulierum Imperia non patiuntur, ut Regum uxores separatim Legatis praebeant auditoria, in quibus orari solet Domina, ut auctoritate sua apud virum suum causae, de qua agendum est, favere velit. Et habent illae commendationes suum pondus, quin saepe rem totam faciunt, apud eos praesertim Principes, qui, dum subditis imperant, uxoribus parent.

Sed ejus apud uxores auditorii faltem aliqua ratio constat, quod autem Legati etiam nunc accedant ad pueros Principum, bimulos forte vel trimulos, & ad ejusdem aetatis puellas, ejus ratio me plane fugit. Apud eos tamen easve orationem habent saparatum, an de nucibus vel pyris, vel qua alia re ludicra agant, non satis mihi constat, hoc satis constat, Legatos saepe incondito infantium vagitu fuisse exceptos & sic dimissos. Principes quidem Romani etiam passi sunt, ut filii sui Legatorum auditoriis interessent, sic enim significat Claudianus *de Consulatu VI. Honorii vj. 69-72.* at non alia causa, quam ut Imperio administrando affuescerent, vel spectatores essent solemnis apparatus, quo Legatos excipi moris erat, sed hos ad illos unquam verba fecisse, vel eorum gratiam prensasse, non memini me legere. Quamvis autem ipsis Principibus ea res indecora sit, ita tamen in legem transiit, ut has solemnitates omittere prope nefas

(4) Aitzema L. XXIV. p. 719.

fas habeatur. Mea aetate Leopoldi, Imperatoris Germanici, Legato dictum erat certo die auditorium apud Ludovicum XIV. Franciae Regem, sed cum pridie forte Legato excidisset, apud Delphinatum Dynastae pueros se auditorium non esse petiturum, etiam apud Regem ei auditorium negatum est, quamquam proxime Francicus Legatus apud Leopoldum neque auditorium petiisset apud Carolum Austrium, Leopoldi filium. Legatus tamen Imperatoris morem mori gerere necesse habuit, & quum 1. Dec. 1699. quod primum habuit, apud Regem haberet auditorium, habuit & apud pueros istos. Audio tamen, postea convenisse, ut eodem jure censeatur Carolus Austrius, & apud hunc quoque auditorium peteret Francicus Legatus.

C A P U T VII.

An valeat, quod Legatus egit contra arcanum mandatum?

Falleris, si putas, Legatum esse aliud quicquam, quam mandatarium Principis sui. Ut revera sunt *Procuratores*, sic & olim appellabantur, & eorum mandata, quae nunc *Volmagten* dicuntur, olim apud Belgas dicebantur *Procuratiens*. Ita fane audit mandatum, quod Ordines Generales Legatis suis, ad pacem Hispanicam pangendam profecturis, dederunt 22. Mart. 1646. (1) Si igitur regulas mandati sequamur, Principi contra Legatum non duntaxat competit legationis, male gestae, actio, sed &, si mandati fines excederit,

(1) *Plac. I. 1. 2. 3.*

ferit, Principem mandantem non obligabit. Sed nemo de his recte judicaverit, qui non edoctus est, quae mandata Legatis dari soleant. Et quidem, si Legatus mittatur ad res ferias agendas, duplex fere ejus mandatum est, alterum, quod exhibet Principi, ad quem mittitur, & nunc obtinuit vocari *een Volmagt of Credentiaal*, alterum, quod non exhibet, & vocatur *een Instructie*. Primum mandatum est publicum, quia communicatur cum iis, quibuscum agendum est, & fere nihil continet, quam agendi potestatem; secundum quia non communicatur, arcanum est, & praecipua continet legationis capita, & quemadmodum de iis licitandum sit; rerum agendarum formam recte dixeris. Potestas autem eorum, quae Legati agunt, ex utriusque mandati amplitudine aestimanda est. Vulgaris & apud alios Principes, & apud Ordines Generales, pri-
mi mandati formula est, id, quod cum illis Legatis ac-
tum erit, ita valiturum, atque si cum ipsis Principibus
esset actum, idque omni modo ratum sese esse habitu-
ros. Secundi mandati nulla formula est, nascitur enim
ex variis causarum figuris, & aliud atque aliud datur
pro re nata.

Unde belle quaeritur, an valeat, quod Legatus egit ex ejusmodi publico & generali mandato, & quod ipsum tamen adversatur mandato ejus arcane? valere pu-
tat Gentilis *de Jure Belli L. III. C. 14.* ne scilicet de-
cipiatur Princeps, quocum actum est. Ipse quoque Gro-
tius eadem sententia videtur uti *L. II. de. Jure B. & P.*
C. 11. §. 12. In generali, inquit, *praepositione accidere*
poteſt, ut nos obliget, qui praepositus est, agendo contra
voluntatem nostram, ſibi ſoli significatam, quia bi
difti-ſti ſunt actus volendi: unus, quo nos obligamus, ratum

230 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

habituros, quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit, alter, quo illum nobis obligamus, ut non agat nisi ex praescripto, sibi, non aliis, cognito. Quod ipsum idem repetit, & exemplo actionis inltitoriae illustrat L. III. C. 22. §. 4. n. 1. Priori autem loco superdicit: *Quod notandum est ad ea, quae Legati promittunt pro Regibus ex vi instrumenti procuratorii, excedendo arcana mandata.* Vult igitur valere, quod actum est cum Legato, etiam contra mandatum arcanum, salva adversus eum actione legationis perperam gestae. Zoucheus de *Jure Feciali Parte II. Sect. 4. Q. 15.* describere contentus, quae Gentilis & Grotius dixerunt, suffragium suum ipse non addit; sed quid refert, cum tanti non sit, accipe, quid mihi videatur.

Non placet autem sequi Auctores, qui ita, ut dixi, praeiverunt, nam quod illi ajunt, ex Jure Gentium, quod nunc obtinet, non usquequaque verum puto: quodcumque enim Legatus contra mandatum agit, male agit, adeoque mandantem obligare nequit, quia hic non obligatur nisi ex consensu suo, qui nullus est, ubi nullum vel contrarium est mandatum. Tunc demum adsentior illis Auctoribus, si mandatum publicum, quod editur, forte sit speciale, & praescribat leges eorum, quae agenda sunt, nam si tunc secundum eas actum sit, Princeps ex voluntate sua obligatur, neque ei proderit, si arcanum mandatum, quod forte postea dedit, publico adversetur, quia in publico utique fictus consensus est, & fictus consensus veri potestatem habet, ut eleganti exemplo Ulpianus demonstrat in l. 1. §. 1. ff. de *Pignorat. ait.* Nemo praesumendus est, duo mandata, sibi invicem contraria, dedisse, &, si dederit, in dolo malo est, & ejus poenas ipse luat. Sed rarum est, quod publica mandata

data sint specialia , rarius , quod arcanum mandatum publico sit contrarium , rarissimum vero , quod Legatus arcanum posterius spernat , & ex publico priori rem agat.

Verum si ea transeamus , quae , ut ait *I. 6. ff. de LL.* Legislatores transfire solent , vulgo habebimus Legatum , munitum mandato publico , quod generale , & arcano , quod speciale est . Quantacunque autem Legatus praeditus fuerit potestate , etiam amplissima , ex mandato scilicet publico & generali , non tamen , si me audias , Principem suum obligabit , si mandati arcana & specialis limitis sit egressus . Constat etiam Jure Romano mandata generalia non semper sufficere ad omnia , ex arbitrio mandatarii , agenda , sed , ex mente mandatis , habere exceptionis tacitas , quemadmodum est in transactione , de qua Paulus agit in *I. 60. ff. de Procurat.* *Et ideo , inquit , si postea is , qui mandavit , transactio-*
nem ratam non habuit , non posse eum repelli ab actioni-
bis exercendis. Tantundem dicerem in Legato , nam utcunque mandatum publicum sit generale , quia generale est , ex mente mandantis refertur ad ea , quae specialiter mandata sunt ; utque adeo haec videatur publici mandati tacita exceptio . Ajes fortasse , eam exceptionem , ut valeat , publicanda esse , ut de institore praescribit *I. 11. §. 2. ff. de Inst. act.* Sed aliud est in institore , aliud in Legato . Qui institorem praeponit , ex ipsa praepositione tenetur , si de re , cui praepositus est , cum eo fuerit contractum , sed qui Legatum mittit , non tenetur , nisi is mandata , quae Princeps dedit , vel in posterum daturus est , bona fide sit exsequutus . Mandata illo generalia , ut nunc sunt Gentium mores , nihil fere , ut dixi , praebent , quam potestatem agendi , mi-
nime

nime vero agendi ex arbitrio contra ipsa Principis mandata secretiora. Ut haec sollicite exsequantur, omnibus legationibus tacite inest, & inde fortasse, qui Legatos mittunt, mandatis publicis inferere solent, eos, quos mittunt, esse homines aptos, peritos, probos, fidos, quasi sic data potestate probe recte contrahendi & paciscendi, *probe recte*, inquam, hoc est, ex mandato, neque amplius. Probi & fidi non sunt, qui mandata sua excedunt, &, si excedant, forte recte quis dixerit, Legatos ipso Jure legatione cecidisse. Huc referri potest illa pars Decreti, qua Ordines Generales 10. Aug. 1651. (2) statuerunt, si Legatus donum munus accepit, ipso facto omnibus dignitatibus & beneficiis caderet. Si cadat, neque amplius erit Legatus, quasi revocato mandato, cum fides ejus dono munere corrupta esse praesumatur.

Quinimo non erraverit, qui omnia, quae cum Legatis acta gesta sunt ex generali mandato, sine ratihabitione Principum nihil hodie valere existimet. Valent illa quod ad formam, sed quod ad materiem vim nullam habent, nisi ratihabitionum accesserit auctoritas. Etiam in aliis quibusdam causis mandata generalia, absque ratihabitionibus, non sufficere probavit Bodinus *de Republ. L. III. C. 2.* certe in causa legationum non sufficere, satis indicant quotidianae ratihabitionum promissiones, mandatis generalibus inseri solitae: neque enim quisquam est Principum, qui satis tutum putat cum Legatis egisse, nisi fecutis ab utraque parte istis ratihabitionibus. Atque ita semper licet rescindere acta, si contra vel praeter mentem contrahentium quaedam iis fuerint

(2) *Plac. III. 1. 12. 6.*

rint inserta. Attamen Wicquefort en son *Ambassadeur L. II. Sect. 15.* disputat, illas ratihabitiones minime esse necessarias. Comme, ait, les *Loix Civiles obligent le particulier à ratifier ce que son mandataire a fait en vertu de sa procuration, ainsi le Droit des Gens oblige le Prince à ratifier ce que son Ministre a fait en vertu de son pouvoir: sur tout, si le pouvoir est plein & absolu, sans clause & sans condition, qui le limite ou le restreigne, & mox objurgat nonnullos Principes, qui foedera & pacta, a Legatis suis inita, noluerunt habere rata.* Sed mores Gentium, qui olim fuerunt, & nunc sunt, sollicite distinguendum est, nam moribus censetur praecipua pars Juris Gentium. Apud Romanos Senatus Populusque rata habebat foedera, quae Consules cum exteris iniverant, sed inita ad his, qui mandatum contrahendi & paciscendi nullum habebant, & ita est apud Polybium *L. I. Histor. C. 62. & 63. & L. III. C. 21. & 29. & L. VI. C. 12. & 13. & L. XV. C. 1. & 18. & L. XVII. C. 9.* & apud eundem *Excerpt. Legat. C. VI. §. 5. & C. VII. & XXI. & XXIV. & XXV. §. 7.* Sic, inquam, erat, ubi nullum contrahendi & paciscendi intercedebat mandatum, sin autem intercesserat, ut apud Livium *L. XXX. C. 43.* quum Senatus decrevit, ut *P. Scipio pacem cum Populo Carthaginensi, quibus legibus ei videretur, faceret,* nulla opus fuit ratihabitione, neque tunc post pacem factam, neque alias in simili causa, ea usos esse Romanos mihi compertum est.

Sed quod olim obtinuit, nunc non obtinet, ut mores Gentium saepe solent mutari, nam postquam ratihabitionum usus invaluit, inter Gentes tantum non omnes receptum est, ne foedera & pacta, a Legatis inita, valerent, nisi ea probaverint Principes, quorum res agi-

234 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tur. Ipse Wicquefort eodem Opere L. I. Sect. 16. necessitatem ratihabitionum satis agnoscit hisce verbis : *Que les pouvoirs, quelque amples & absolus qu'ils soyent, ayant tousjours quelque relation aux ordres secrets, qu'on leur donne, qui peuvent étre changés & alterés, & qui le sont souvent, selon les conjonctures & les revolutions des affaires.* Non tamen negaverim, si Legatus publicum mandatum, quod forte speciale est, vel arcanum, quod semper est speciale, examullim sequutus, foedera & pacta ineat, justi Principis esse ea probare, &, nisi probaverit, malae fidei reum esse, simulque Legatum exponere ludibrio ; sin autem mandatum excesserit, vel foederibus & pactis nova quaedam sint inserta, de quibus nihil mandatum erat, optimo jure poterit Princeps vel differre ratihabitionem, vel plane negare. Secundum haec damnaverim vel probaverim negatas ratihabitiones, de quibus prolixe agit Wicquefort d. L. II. Sect. 15. In singulis causis, quas ipse ibi resenset, ego nolim iudex sedere, nam plurimum facti habent, quod me latet, & forte ipsum latuit. Non immerito autem nunc Gentibus placuit ratihabitio, cum mandata publica, ut modo dicebam, vix unquam sint specialia, & arcana Legatus in scriniis suis servare soleat, neque adeo de his quicquam rescire possint, quibuscum actum est.

Ex his, quae hactenus disputata sunt, judicare licet de causa quadam, quae anno 1667. Regem Sueciae cum Ordinibus Generalibus commisit. Legatus Suecicus ante litis cuiusdam nomine ab Ordinibus paetus erat 140000. Imperiales, & sic renunciaverat ei liti, & locis quibusdam in Guinea, ut & juri ad ea loca amplius navigandi. Quum eo anno 1667. rursus ea de re ageretur inter Ordines Generales & alios Regis Sueciae

Lega-

Legatos, hi ei transactioni stare recusabant, causati, illum Legatum contra secretum Regis mandatum ita transegisse. Ad haec Ordines Generales : ad se haec non pertinere, habere Regem contra Legatum actionem legationis male gestae, se cum Legato, qui generali Regis mandato erat instructus, contraxisse, & suarum partium non esse secreta ejus mandata excutere. Sed quum Rex ratam non habuisset Legati sui transactionem, Regis causa videbatur iustior. Obtinuerunt tamen Ordines Generales in §. 5. Pacti inter Regem Sueciae & Ordines Generales 28. Jul. 1667. (3).

(3) Omnia illa habet Aitzema L. XLVII. p. 447. 487. 491. 496. & 497.

C A P U T VIII.

*An Legatis domum munus accipere liceat? &
alia ejusdem argumenti.*

Vides ex inscriptione *Capitis*, sermonem non esse de donis muneribus, quae Princeps mittit Principi ad conciliandam sibi ejus amicitiam, haec enim omni jure licita, & olim & nunc etiam frequentata sunt inter Gentes, cum maxime Orientales; sed an ipsis Legatis dona munera accipere liceat, id vero est, de quo nunc quaero. Sane Legatis advenientibus, commorantibus & abeuntibus munera olim fuisse data, & ab his sine fraude accepta, prolixe testantur Annales. De advenientibus apud Persas dixit AElianuſ L. I. Histor. C. 22. de jalies alii.

Apud ipsos Romanos, qui quam maxime integritati
Gg 2 ho-

hominum suorum studebant, atque ideo & Praesides & Proconsules suos a donis arcebant, non reperi legem, quae Legatis interdixit donum munus accipere. Spretarunt quidem ab iis saepe munera comperi, nec aliter exspectasse a progenie masculi Populi, sed de ipsa interdictione frustra legem quaero. Legati Romani ad Ptolemaeum Regem munera, quae ab eo privatim acceperant, in aerarium, & quidem prius, quam ad Senatum legationem referrent, detulerunt: de publico scilicet ministerio nihil cuiquam, praeter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes. Id Legatorum factum dictumque memorat Valerius *L. IV. C. 3.* Exemp. *Rom. 9.* Sed quid ad haec Senatus Populusque Romanus? audi Valerium, eodem loco: *Data*, inquit, sunt Legatis, quae in aerarium reposuerant, non solum Patrum Conscriptorum Decreto, sed etiam Populi permisso, eaque Legatis Quaestores prompte unicuique distribuerunt. Vides magni animi exemplum ab utraque parte, sed nullam vides mentionem legis, quae Legatos a donis prohibuisset, quin, si haec existisset, Valerius id factum non retulisset inter magni animi exempla. Satis scio, Lege Julia Repetundarum etiam eum teneri, qui pecuniam accipit in legatione *l. 1. pr. ff. de Leg. Jul. Repetund.* Sed qui accipit, ut praevericator, quo magis vel minus quid ex officio suo faciat, nam ad eum solum pertinet Lex Julia, non ad eum, cuius dolus malus non arguitur, & forte ex more accipit, quod ex more datur. Neque etiam apud Graecos legem novi, quae Legatis dono munere interdixit: solos Corinthios excipio, quorum ἡμεῖς ἐν εἴᾳ δῶρα λαμβάνειν τῷ Διὶ Δινάρε προσένεγκται, lex non permittebat, a Principe dona capere

*pere Legatos, ut auctor est Plutarchus Apophtegm. Regg.
Et Impp. in voce Διονυσίος τῆς πρεσβυτέρας.*

Quae dona Legati accipere & retinere possint vel non possint, ut olim inter omnes Gentes non convenit, sic nec hodie convenit. Apud plerasque autem nunc obtinet, ut Legati abeuntes dona accipient, majora vel minora pro dignitate Principis vel Legati, vel pro officiis magis minusve praestitis, vel si qua alia ratione magis minusve gratioſi fuerint Principi, apud quem legatione functi sunt. Isque mos adeo invaluit, ut Veneti indignantur, si Legatus ad se redeat sine ullo munere, utque a Duce Sabaudiae pacto extorquere voluerint, ut munus, quod Legato suo abeunti non dederat, adhuc mitteret, ut narrat Wicquefort *en son Ambassadeur L. I. Sect. 30.*

Alia & Corinthiacae similis lex est, quam Ordines Generales fanciverunt 10. Aug. 1651. (1) eo enim die decreverunt, ne quis Legatus suis ullum donum munus, et si minimum, quovis modo accipere vellet, posita, si quis contra fecerit, infamiae & arbitraria poena, ipso denique facto dignitatibus suis caderet, neque ad alias unquam admitteretur. Id Decretum non sine convicio increpat Wicquefort *d. L. I. Sect. 30.* etiam ideo, quod munera, quae dantur, nunc dari soleant Legatis abeuntibus, nec abeuntes, finito jam officio, possint praevanicari, & causam Principis sui prodere. Sed ea ratio apud me parum valet, quis enim negaverit, Legatos, dum officio suo funguntur, ob spem majoris doni, posse vel magis vel minus officium suum facere? Id facile largior, si nihil detur, quam quod quibuscunque aliis dari moris.

(1) *Plac. III. 1. 12. 6. & apud Aitzema L. XLII. p. 18.*

moris est, austerae rusticitatis videri ea dona adspernari, atque ita Principis, qui offert, bonam fidem fugillare. Quapropter & anno 1660. agitatum fuit apud Ordines Generales de mutandis aliquatenus verbis d. Decreti 10. Aug. 1651, manente tamen ejus sententia, & manente sententia jurisjurandi, quod in id Decretum praestatur. Qua de re Ordines Hollandiae 9. Oct. 1660. decreverunt (2), suo nomine apud Ordines Generales suffragium diceretur, nihil quicquam mutari placere. Attamen gratiam ejus Decreti 1651. saepe esse factam memorat aliud Ordinum Decretum anni 1675. de quo mox dicam. Privilegia haec erant, quibus gaudebant Legati potentes & gratosi, alii non gaudebant. Erant etiam, qui, quod lex vetabat, sibi tamen sumebant, ut ille Ordinum Generalium ad Moschos Legatus, qui anno 1666. Imperatori valedicens, sine ullo privilegio varia munera accepit (3). Ut autem austerae, quam dixi, rusticitati, & simul illis privilegiis, & temerariis Legatorum ausis obviam iretur, rigor ejus Decreti 10. Aug. 1651. anno 1675. nonnihil mitigatus est, Ordines quippe Generales 29. Apr. d. anni 1675. decreverunt (4), liceret Legatis suis ea accipere, quae reliquis Legatis transeuntibus & abeuntibus ex more praestantur a Principibus, per quorum Imperium transeunt, vel a quibus, finita legatione, abeunt, dummodo reversi ea dona exhibeant Ordinibus Foederati Belgii, probato, quod ad cetera dona, d. Decreto 10. Aug. 1651. & ne jurisjurandi, in id praestiti, ulla in posterum fieret gratia. Etiam Veneti Legati, domum reversi, dona ad Senatum defe-

(2) *Resolutien van Confderatie ten tyde van de Wit.* p. 507.

(3) Aitzema L. XLV. p. 1191.

(4) *Plac. III. 1. 12. 7.*

deferunt, qui, ut ait Wicquesfort *d. loc.* serio deliberat, an restituenda sint Legatis, an fero convertenda in usum Reipublicae, ut aliquando fit; hic autem fere dictis gratia exhibentur, neque enim puto exstare exemplum, quo non mox ipsis Legatis sunt redditia.

Quod Legatis interdictum est, idem & eorum comitibus interdictum puto; quare nec hi recte dona capient, quae Legatis capere non licet, censendos enim esse pari jure, quo Legati censentur, satis videor probasse *Libro singulari de Foro Legatorum C. XV.* Sane Lege Julia Repetundarum non tantum Judices, sed & eorum comites continentur *l. 5. ff. 59 l. 1. C. de Leg. ful. Repetund.* Et quamvis nihil nominatim de comitibus cautum sit in d. Edd. 10. Aug. 1651. & 29. Apr. 1675. sententia tamen legis contineri non est ambigendum. Constat utique aliunde, prohibitionem donorum, factam iis, qui in publico ministerio sunt, etiam ad eorum comites esse porrigendam, non tantum Jure Romano, ut sic vidimus, sed & Patrio. Ita sane palam est in Edicto Ordinum Hollandiae 24. Mart. 1644. (5) quo Senatoribus utriusque Curiae interdictum est donum munus accipere. Quod magnam rationem habet, possunt enim & ipsi Comites praevericari, possunt & eos, in quorum ministerio sunt, ad praevericationem sollicitare, possunt cum iis dona partiri, & quis omnes nequitiae latebras dixerit? Officia igitur Legatorum non recte capient dona, ipsis Legatis capere vetita. Aliter tamen vixum est Legatis Ordinum Generalium, a Rege Galliarum abeuntibus 27. Maj. 1662. (6) Recusabant illi dona, a Re-

ge

(5) Nader ampliatie van de Instructien van beide de Hoven, in medio.

(6) Aitzema L. XLII. p. 331. & 332.

240 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ge sibi oblata, ob rigorem d. Decreti 10. Aug. 1651. sed Officia sua accipere passi sunt dona, a Rege ipsis oblata. Atque ita quoque visum est alii Ordinum Generalium ad Regem Franciae Legato 1. Jun. 1678. (7).

Antiqua multorum querela fuit (8), solam, quae donis & pecunia exercetur, ambitionem legibus coerceri, ceteros modos non coerceri. Sed quod de donis, quibus Judices corrumpuntur, statutum est, etiam ad dignitates, quae a Collegiis non conferuntur, porrexit Curia Hollandiae §. 15. Formae (9), quam sibi prescrivit anno 1670. sed quae ab Ordinibus Hollandiae probata non est. Si quicquid ea Forma continetur, aequa placuisse Ordinibus, probata fuisset dudum, nihil enim interest, oblata pecunia, an oblata dignitate corrumpas, qui ministerio publico funguntur. Ipsa munera prohibitione etiam dignitates ab eo, ad quem missi sunt Legati, prohibitas esse accipere nemo probus negaverit. Quam in rem notandum est Hermolai Barbari fatum, cui Patriarchatus Aquilejensis, inconsulto Senatu susceptus, quum Republicae Venetae ad Pontificem Maximum esset Legatus, exitio fuisse tradit Johannes Pierius Valerianus de *Literatorum infelicitate*, & ex eo Vossius in *Addit. ad L. III. de Historicis Latinis C. 8.* & Thomas Pope Blount in *Hermolao Barbaro*.

Hac ipsa de re anno 1660. hic incidit ejusmodi species: Unius ex Ordinum Generalium ad Angliae Regem Legatis filio Rex contulerat beneficium 14000. vel 15000. florenorum. Pater, ut hoc comperit, ad Ordines Hollandiae scripsit, significare vellent, filiusne suus

(7) *Hollandseche Mercurius* 1678. p. 110.

(8) Apud Aitzema L. XXXI. p. 279-281.

(9) Exstat separatum.

Jus per ille Decretum 10. Aug. 1651. retinere posset? si non, se a legatione porro obeunda excusare vellent, interim, dum deliberarent, se legatione esse abstentium. Ad quae Ordines Hollandiae 9. Dec. 1660. Decreto suo complexi sunt (10), quia filius ille jam dudum, etiam ante legationem patris, apud Regem fuerat gratiosus, id beneficium filii, non patris contemplatione collatum videri, etiam ideo, quod se ignaro datum fuisse filio parens epistula, ad Ordines data, significaverat, non igitur id adversari d. Decreto 10. Aug. 1651. quare curaretur, Ordines quoque Generales idem decernerent. Sed Frisia, rigidus Populus, aliter suffragium dixerunt 15. Febr. 1661. (11) rati nempe, huic beneficio omnino adversari d. Decretum 10. Aug. 1651. Quod, si contemplatione patris datum fuerit, verissimum esse puto, etiam ubi nulla est l. 79. ff. de *Acq. vel omitt. hered.* Sin autem datum fuerit sola affectione filii, aliud diceret Papinianus in l. 28. pr. ff. de *Testam. tut.* Utque ita jus in facto versetur, sed in facto, quod fere pendet a secreto animi. Facillimum utique est eludere d. Decreta 10. Aug. 1651. & 29. Apr. 1675. si nimium indulgamus ejusmodi causis donationum, fingi enim possunt quam plurimae, & vera, quae movit, causa interim potest latere.

Quae Legatorum nostrorum, quod ad dona, conditio est, ea quoque sit oportet eorum, qui a nobis specialiter delegantur, ut apud nos cum aliorum Principum Legatis agant & contrahant. Aliter tamen sapuerunt Ordines

(10) *Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit.* p. 511. & 512. vide & Aitzema L. XL. p. 903. & 909.

(11) Idem Aitzema L. XL I. p. 50.

242 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Ordines Generales 7. Oct. 1636. ut ex eorum Decreto (12) ejusdem diei appareat. Resipuerunt autem 2: Febr. 1651. tunc enim decreverunt (13), ejusmodi Delegati jurarent, neque ante, neque pendente, neque ~~absoluto~~ tractatu, ullo modo ullum donum munus se accepturos, &, si offerretur, continuo id se bona fide Ordinibus Generalibus significaturos, contra facientibus infamiae & arbitraria poena statuta.

Prisca Gens Interpretum tumultuose disputat, an, quod Legatis donatur, sibi retineant, an vertant in rem Principis, qui eos misit? Et fere causam definiunt ex qualitate doni muneris, nam *si*, inquiunt, *donatur unus leo*, ad Principem pertinet, *si vestes*, olim enim & vestes Legatis donari solitas scribit Aelianus d. L. I. C. 22. *si*, inquam, vestes, ipsis Legatis addicunt. Si his Disputationibus interesse velis, utile erit consuluisse Bertachini *Repertorium*, verbo *Ambasicator n. 14*. Centerum hodie, ubi nulla est in contrarium lex, munera, quae Legati accipiunt, sibi solis retinent. Apud Venetos, ut dixi, Senatus, quotiescumque res incidit, de ea deliberat. Deliberant & Ordines Generales, sed, ut Veneti plerumque, sic hi semper Legatis, ut sibi habeant, permittunt. Sane ex mente donantis ipsis Legatis cedunt, neque enim aliis data intelligi ipsa munera conditio satis indicat, indicat & modus conferendi illa munuscula, quoties nempe Legatus recedit ab eo Principe, apud quem proxime legationis officio functus est, in praemium rei bene gestae.

Non intercedo, si ipsis Legatis donatum fuerit, & res:

(12) Aitzema L. XVI. p. 322.

(13) Sententiam Decreti refert Aitzema H. L. p. 253. & 254.

res modum non excedat, si vero donatum fuerit iis, qui in Collegium, ut Principem repraesentent, delegantur, an hi delegati sibi capere possint, est, cur dubites. Cum tamen anno 1663. Moschorum Imperator Ordinibus Generalibus munus pellum Siberiarum misisset, illi, qui tunc erant in Ordinum Generalium Collegio, ea de re non dubitarunt, sed id munus, ut sibi retinerent, inter se partiti sunt ex Decreto in hanc rem facto 12. Maj. 1663. (14) Et cum Petrus, alias Moschorum Imperator, nostra memoria, simile munus pellum iisdem Ordinibus per Legatos suos obtulisset, non tantum acceperunt, sed & mense Octobri 1697. inter se partiti sunt. Cum denique haud ita pridem Princeps Tripolitanus septem equos Arabicos iisdem Ordinibus Generalibus dono misisset, Ordines 18. Mart. 1735. decreverunt, inter septem Provinciarum Delegatos forte dividerentur. Quamvis autem haec ita placuerint, nescio tamen, an fatis jure subsistant: nam quod Ordinibus Generalibus donatur, Principi donatum intelligeres, neque adeo illis personis, quae non nisi pro tempore Principem repraesentant. Nunc hi, nunc alii eo munere funguntur, nec erga personas, sibi plerumque ignotas, ulla Principis donantis affectio praesumi poterit. Quod Principi relinquitur, personae relictum non intellegi, Gajus nos docuerit in *I. 56. ff. de Legat. II.* nam Principe defuncto, antequam dies legati cedat, successori legatum tribuit. Et minus forte probabis, quod Ordinibus Generalibus placuit, sibi tibi succurrat, donationes, quas illi faciunt, facere ex aerario publico: contemplatione autem unius ejusdemque officii donationem accipe-

(14) Idem Aitzema Hijber, L. XLIII. p. 749.

244 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

accipere in rem privatam, & facere de publico, habet nescio quid injusti, certe non convenit regulae Juris in l. 10. ff. de R. J. Abstine commodo, si damnum metuis, ipsa Juris Gentium, non sola Ulpiani vox est in l. 23. §. 1. ff. Pro Soc. Tunc ferres procuratorem tuum, qui donationum, quas faciebat, pretia tibi imputaret, remunerations autem, quas percipiebat ab his, in quos de aere tuo munera contulerat, sibi retineret soli? si ferres, benignus essem. Ne vero sis sollicitus, quid statuendum esset de iis, quae Ordinibus Generalibus donantur, si non dividerentur, & divisa in rem cujusque privatam cederent. Possem varie tuae sollicitudini occurrere, sed patere, ut quaeram, an majus sit opprobrium publice vendere, quam privatim? nonnulli sane Ordinum Generalium Delegati equos illos Arabicos quantocuyus vendiderunt, pretio in rem suam verso, satis scilicet gnari, quaecunque Ordines Generales solent dono mittere Barbaris in Africa, continuo etiam vendisse ullo Ordinum opprobrio. Quisque de re sua statuit ex animi sui sententia, sive eam donationis, sive alio quocunque titulo quaevisserit.

C A P U T I X

Quaedam de praerogativa Ordinis inter Legatos, & inter Principem minorem praesentem & majoris absentis Legatum.

Legati, si ejusdem commatis sint, servant inter se eundem honorem, quam habent Principes, qui eos miserunt, sed de praerogativa ordinis inter ipsos Principes.

Principes non satis constat. Multis retro seculis ea de re certatum est, sed cum nullus sit Judex competens inter diversos Principes, nec de honoratiore loco in arbitros soleant compromittere, adhuc fere incertiores sumus, quam dudum. Neque etiam certiores nos reddunt tot numero Auctores, qui vel ex professo, vel ex occasione *de jure praecedentiae*, quam vocant, inter ipsos Principes, aliosve aliorum ordinum homines satis multa scripserunt, nam excute omnia, & reperies, sic satis esse incertum, ecquid proprie controversiam de praerogativa ordinis definire oporteat. Si tamen scire desideres, quid alii, in eo argumento occupati, dixerint & senserint, ingentem eorum catalogum exhibebit Jacobus Gothofredus *de Jure Praecedentiae* in *Περιθεωτια*, quibus addere licet, in Libris *de Legato*, Christophorum Varsevicium variis locis, Carolum Paschalium C. XXXVIII. & XXXIX. Wicquefortium L. I. Sect. 24. & 25. & Zoucheum *de Jure Fecial. Part. II. Sect. 4. Q. 1-5:* & quos non alios? Sed quum nulla ullorum hominum hic valeat auctoritas, & quum ipsi Principes, apud quos de praerogativa aliorum Principum, eorumve Legatorum, quaestiones incident, eas non soleant definire, noli a me exspectare, ut ipse definiam. Neque etiam, si velim, possem, quamvis adhibeam omnes regulas, quas adhibuit Jacobus Gothofredus *Diatriba de Jure Praecedentiae*, quamvis valde dubitem, an id argumentum ullis regulis comprehendi & explicari possit. Alius Princeps provocabit ad maiorem Gentis vel Generis fui antiquitatem, aliis ad maiores Imperii fines, aliis ad maiores vires, aliis ad dignitatem, qua utitur, appellationem, aliis ad alia, at vero, si tollas consuetudinem, & inde natam praescriptionem, quae & inter Gentes ius facit, cedo alias

regulas, de quibus inter Gentes convenit, &, si non
conveniat, cedo auctoritatem, qua eas obtinere liceat.

Post abdicationem Caroli V. inter Reges Franciae &
Hispaniae de praerogativa ordinis saepe certatum, &
magnis utrimque animis in eo certamine perstitum est.
Quid Venetiis, quid in Concilio Tridentino, quid Ro-
mae inter utrorumque Legatos acciderit, prolixo narrat
Wicquesfort *d. L. I. de son. Ambassadeur C. 24.* neque
ea hic repeto, addo potius, pertinaciam tuendae inter eos
praerogativae saepe in insaniam abivisse. Franciae & His-
paniae Regum Legati, hic in carruca pensili, a duo-
bus equis tracta, ille in alia, a sex equis tracta, 11. Aug.
1657. Hagae Batavorum in proxylo sibi obviam facti,
hora post meridiem sexta, neuter via cedit. Post in-
conditos clamores certamen fere cernitur ingens. Fran-
ci, praeter gladios, bombardas enchiridias proferunt;
sed intervenientibus Optimatibus quibusdam Hollandis,
qui ibidem forte ambulabant, induciae fiunt. Tracta-
tur ad usque horam nonam, circumstantibus militibus,
qui ad Aulam excubias agere solent, & ab iis, qui in-
tervenerant, huc evocati erant; sed neque tunc quis-
quam retro aut via cedit. Tandem Hispanico Legato
septa proxyli aperiuntur, per quae dextrum latus, quod
habebat, retinendo, juxta Galli latus excedit (1).

Inter alios eorundem Regum Legatos & aliud funef-
tius quid accidit, quod controversiae de praerogativa
ordinis finienda causam praebuisse, Galli existimant.
Quum 10. Oct. 1661. Londini publice reciperetur Sue-
ciae Legatus, & Legatorum Galliae & Hispaniae carru-

cae

(1) Aitzema *L. XXXVII.* p. 975. & 976. *Hollandsche Mercurius* 1657. p.
92. & 93. Amelot de la Houssaye dans ses *Mémoires*, verbo, *Am-
bassadeurs* p. m. 78. & seqq.

cae pensiles essent invitatae, ut ceremoniis receptionis interesse vellent, utra alteram praecedere oporteret, inter Gallos & Hispanos, qui ibi aderant, non tantum disputatum, sed & strenue pugnatum est, non sine multorum ab utraque parte caede & sanguine, vincentibus tamen Hispanis. Rex Galliae aegerrime id factum tulit, & bellum Hispanis minitatus est. Hispaniae Rex, cuius tunc intererat amicitiam cum Francis fartam tecum servare, ad Regem Franciae Legatum misit, qui ejus indignationem leniret, significavit certe, Regem Hispaniae Legatum suum, qui Londini fuerat, domum revocasse, & praeterea testatus est, placere Regi suo, in posterum ejus Legati abstinerent publicis ceremoniis, quibus interessent Legati Franci. Quum ea testatio esset facta 24. Mart. 1662. praesentibus multorum Principum Legatis, ex ea Rex Galliae effecit, Hispanos tunc sibi praerogativam ordinis cessisse, Legatos enim, qui aderant, sic compellavit: *Vouz avez ouy la declaration, que l'Ambassadeur d'Espagne m'a faite, je vous prie de l'écrire à vos maîtres, afin qu'ils sachent, que le Roy Catholique a donné ordre à tous ses Ambassadeurs de ceder le rang aux miens en toutes occasions* (2). Sed recte Wicquefort animadvertisit d. L. I. Sect. 24. princ. ex ea Regis Hispanici testatione, id effici non posse, nec alias etiam Principes effecisse, ejusque rei fortissimum argumentum esse, quod apud Imperatorem Germanicum, ut olim, ita & nunc Hispanicus Legatus Francicum praecedat. Sane nihil quicquam tunc fecit Hispanus, nisi quod & Philippus II. Tridenti, Legato suo abire jussio,

(2) Aitzema L. XLII. p. 293. & seqq. ubi habes ipsa Acta; & Wicquefort: L. I. de son Ambassadeur Sect. 24. p. m. 721. & seqq.

248 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

juslo, priusquam Legatus Francicus adveniret, ut est apud Paulum Sarpium *Concil. Trident. L. VI. p. m. 459.* Imperavit scilicet Hispanus Legatis suis, & nihil aliud imperavit, quam ut omni modo publice caverent, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Quantopere inter hos & aliorum Principum Legatos etiam alias de honoratione loco tumultuatum sit, aliquot exemplis probavit Amelot de la Houssaye *dans ses Memoires*, verbo *Ambassadeurs*.

Sed non tantum inter maiores Principes, verum & minores, de hac ordinis praerogativa ad ravim usque vociferantur & insaniunt. Inter Principes Italos cum maxime turbatum est; si horum turbis interesse velis, plus satis tibi satisfaciet Wicquefort *d. L. I. C. 25.* Ego interesse nolim nisi arbiter, & cum nihil succurrat, ex quo motos fluctus tuto componam, vel arbiter sententiam dicam, duntaxat vim fieri veto, & quemque Principem res suas sibi habere jubeo. Sed quo minor est auctoritas, qua nitaris, eo major infania est, de lana caprina tantas animis caelestibus esse iras. Inter Legatos, qua mandatarios, eadem contentio est, quae inter Principes mandantes. Duos Italorum Principum Legatos, Pragae sibi invicem obviam factos, ne alter alteri via cederet, per totum fere diem supra pontem quemdam, omnium risu expositos constituisse ex Varsevio refert Zoucheus *de Jure Feciali Part. II. Sect. 4. Q. 1. alia* aliorum ludibria transeo.

Disputari video, an superioris Principis, sed absens, Legatus praecedat inferiorem Principem, sed praesentem? Et Legatum praecedere existimat Paschalius in *Legato C. XXXVIII. & C. XXXIX.* Legato enim tandem honorem habendum, qui habetur Principi, a quo

quo missus est, atque ita minorem Principem majoris Legato cedere, si simul concurrant in alieno Imperio, praeponendum tamen Principem inferiorem, ad quem majoris Legatus missus est, in suo territorio, ex jure scilicet summi Imperii. Nec de posteriore specie quisquam dubitaverit; sed ego apud exterios etiam Principem inferiorem, modo Supremam Potestatem habeat, majoris Principis Legato praetulerim, & preferunt quoque Jacobus Gothofredus *de Jure praecedentiae Part. I. C. 7. n. 47.* & alii quam plurimi, in *Notis ibidem* laudati. Eadem etiam sententia utitur Wicquesfort, magnus alioquin Legatorum patronus, *d. L. I. C. 26. p. m. 765. & 766.* Nec scio inter Scriptores esse, qui contradicat, excepto Paschali. Ipsi Legati saepe contradixerunt, & inde iurgium inter Ducem Holstiae & Angliae Legatum *13. Apr. 1664.* (3) Quin & aliis Angliae Legatus, etiam, quod indignius erat, apud ipsos Ordines Generales, se illis exaequavit, juste indignantibus propterea Ordinibus *9. Febr. 1665.* (4) Inter Dynastam Orangium & Legatum Franciae saepe quoque rixatum est de praerogativa ordinis (5). Sed magnam rationem habet, ut Legatus, quantaecunque sit dignitatis, cedat Principi praesenti, qui plane sui juris est, & inde Electores praesentes absentium Legatis preferuntur ex Caroli IV. *Aurea Bulla T. XXV.* & inde quoque in Comitiis Norimbergensibus anno *1542.* Caroli V. Imperatoris Legatis Ferdinandus Austrius praelatus
memo-

(3) *Hollandsche Mercurius* 1664. p. 64.

(4) Aitzema *L. XLV.* p. 716.

(5) *Hollandsche Mercurius* 1664. p. 97. & Aitzema *L. XLV.* p. 558-559.
ubi & libellus contra Legatum. Adde & Amelot de la Houssaye
dans ses Memoires, verbo Ambassadeurs p. m. 81. & 82.

250 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

memoratur. (6) Princeps etiam Nieuburgensis Legato-
Brandenburgico antepositus est anno 1629. (7) Et sane,
si Legatum mandatario compares, ut potes & debes,
quis Nobilis, nedum Princeps, mandatario, forte vi-
lissimo, primas dabit, quia hic a Principe, forte majo-
re, mandatum habet vel ad negotia vel ad lites? Rur-
sus, si legationem comparare placeat locationi conduc-
tioni operarum, quis eundem honorem famulo exhiben-
dum jndicabit, qui exhibetur domino? Absit compara-
tionis invidia, neque enim est, unde efficias, quemque
famulum dominum suum minus repraesentare, quam
Legatum, a quo missus est, Principem suum. Dominorum
dignitas famulis inter se locum potiorem dabit, sed inter
dominum & alterius domini, etiam majoris, famulum
nulla utique est comparatio.

Plane ubi ordinarium quoddam est ipsorum Principum
Collegium, ejus, qui abest, procurator eundem, quem
ipse praefens haberet, tuebitur locum. Secundum haec
non alium haberent locum ipsi Provinciarum Ordines,
in Ordinum Generalium Comitiis praesentes, quam nunc
habent eorum Delegati inter ceteros Delegatos, atque ita
Gelriae Delegati praecedenterent ipsos Ordines Hollandiae,
si comitiis Ordinum Generalium interesse vellent. Sic
& totus alicujus Urbis Magistratus, si, ut potest, ita
vellet adesse Collegio Ordinum Hollandiae, non alium
ibi locum occuparet, quam nunc occupant eorum Dele-
gati inter alios Delegatos. Quicunque delegantur in Col-
legium, ibi tuentur delegantium suorum praerogativam,
idque & ratio suadet, ne qua confusio oriatur, & usus
ubi-

(6) Apud Iac. Gorhofredum de *Jure praeced.* Part. I. C. 7. n. 47. in No-
tis, & apud Zoucheum de *Jure Facial.* Part. II. Sect. 4. Q. 4.

(7) Aitzema L. XLV. p. 159.

ubique, ni fallor, Gentium probavit. Sed ubi in locum exterum actor dimittitur, res quasque, ut expediet, curaturus, non animadverto, ut ipse, qui domi suae subditus est, aliis Principibus, qui perfecte sui juris sunt, dignitate & ordine possit antecedere.

Sed & ulterius evagatur ineptia. Etiam instrumenta Legati eo honore, quo ipse Legatus censetur, sunt, qui censenda putant. Rheda pensilis, quae Comitem Straatman, Imperatoris Germanici Legatum, Ryswicum, ubi anno 1697. de pace inter Foederatos & Gallos agebatur, vexerat, & vacua Hagam rediit. Quumque tunc forte Legatis Ordinum Generalium, eodem tendentibus, obviam esset facta, me praesente & adspectante, via cedere noluit. Legati mittunt ad Comitem, ut mandaret, rheda via cederet, & id confestim mandat. Sunt tamen, qui illud mandatum humanitati magis, quam juri tribuunt. Mirum sane, quod non & calceis dignioris Principis Legati majorem honorem deberi credant, quam ipsi Principi, qui minor est.

C A P U T X.

*De servanda fide pactorum publicorum, & an
quae eorum tacitae exceptiones?*

Pacta privatorum tuetur Jus Civile, pacta Principum bona fides. Hanc si tollas, tollis mutua inter Principes commercia, quae oriuntur e pactis expressis, quin & tollis ipsum Jus Gentium, quod oritur e pactis tacitis & praesumptis, quae ratio & usus inducunt. Ne haec omnia tollas, fidem pactorum esse servandam, etiam illi

facile largientur, qui non didicerunt nisi fidem fallere, sed regulam servandae fidei sexcentis exceptionibus tantum non eludunt. An autem pacta publica semper & ubique sint servanda, molesta in primis est disputatio. De antiquis Parthis Justinus dixit *L. XLI. Histor. C. 3.*
fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit; & generaliter de Genere humano Seneca de *Tranquill. animi C. XV.* *Vix unquam, nisi cum expedit, fides.* Id ipsum licere Principibus inculcat nequitiae Magister in *Principe C. VIII.* cum ait, omnem rationem expedienda salutis publicae honestam esse, modo honesti speciem prae se ferat. At vero eam sententiam, dudum explosam, exceptit alia, verecundior quidem nonnihil, sed nescio, an justior. Haec pactis omnibus inesse credit clausulam salutarem, *rebus sic stantibus*, atque adeo a pactis recedi posse I. Si qua nova causa, satis idonea, obveniat. II. Si res eo deducta sit, unde incipere non posset. III. Si ipsa pactorum ratio esset. IV. Si necessitas ac utilitas Reipublicae aliud flagitent. Exstat de illis *exceptiōnibus tacitis in pactis publicis Diatribe Christiani Ottōnis a Boēkelen*, doctior fane & elegantior, quam a Juvene ejus aetatis exspectasses. Sed quamvis adhibeas eas *cautiones*, quibus exceptiones suas circumscribit Boekelen, vix tamen vel ita cavebis a Machiavellismo, si his perfidiae latebris semel adrepas prurientibus Principum auribus & animis.

Postrema utique exceptio, quae ex necessitate atque utilitate Reipublicae fidem fallere permittit, quid, obsecro, aliquid est, quam *ratio*, quam vocant, *status*, bellua illa multorum capitum, cui nemo fere Princeps est, qui resistat? & quid tres priores exceptiones nisi totidem ruptae fidei velamenta? *Quisquis una ex his omnibus*

nibus utitur, mox existimat, a pactis recedi posse, si eorum servata fides, rebus mutatis, in Reipublicae detrimentum vergat, & qui sic existimat, incedit per ignes suppositos cineri doloso: id enim si semel largiaris, nulla omnino causa est, ob quam non impune fallas fidem datam. At, inquies, cum in eo statu Respublica esset, id pactum conducebat, ideoque tunc inivi, nunc autem, mutata rerum facie, pactum nocet, cessat igitur pacificandi causa, neque adeo, ex eventu, putandus sum in id consensisse. Quicquid pacificatur Princeps, pacificatur ad utilitatem Reipublicae suae, & ex hac ejus mente obligatur, si secus res cadat, non obligatur, quia revera non consensit, deficiente autem consensu deficit ipsa obligatio.

Si ita disputes, disputas subtilius, quam verius, & simul quaecunque Acta, quacunque libuerit occasione, rescindes: nulla enim pactio sine consensu est, consensus nullus sine causa consentiendi, mutatio voluntatis nulla, quae causam non habet eam, quae tempore contrariae voluntatis non adfuit. Ita fiet, promissionem quamcumque non obligare, nisi quae ex eventu utilis sit. Ita, si bellum utilius sit, pax facta displicebit. Ita emptor mercium, imminuto earum pretio, emptionem rescindet, mutata voluntate ob mutatum pretium. Sed & ita fiet, ut obligatio, quae omni jure cogat, in rebus cum publicis, tum privatis, omnino nulla sit.

Inter diversas quidem Gentes, quae sui juris sunt, nihil est, quod jure cogat, silent enim leges, & ex legis sola vis cogendi, sed ut inter Gentes promissis stetur, suadet bona fides & utilitas publica, & utriusque tandem tribuendum, quantum obligationi validissimae, & sane nulla est validior, quam quae nititur sola animi

magnitudine. Haec virtus, omnium princeps, in primis Principem ornat & commendat, & hac exstincta, cuncta ab imis turbari necesse est. Quis Princeps contraxerit cum Principe, cuius Punica fides innotuit? Quid valebunt pacta de mutuis commerciis, de auxiliis praestandis, de permutatione & redemptione captivorum? haec alioquin etiam inter hostes valent, sed quid rei est hostem fallere, si & amicum fallas?

Quin & in ipsa Societate Civili, si adeo morosum te praebeas, contradices forte omni obligationi, nam, si dixero, obligationi civili parendum esse, quia lex jubet, mox rogabis, cur legi parendum sit, & ejus rei certam demonstrationem desiderabis. Si dixero, sicum cuique esse tribuendum, quia dominus est, quia sic in Civitate habetur, mox rogabis, cur sic habeatur, & in originem dominii inquires. Titio, ajes, non magis eum fundum natura dedit, quam Maevio, si occupavit Titius, quia occupavit rem communem, urgebis, Titium sine facto Maevii ei non potuisse eripere suam partem. Ad summum forte concedes, quamdiu fundum naturaliter possidet Titius, Maevium ejus occupandi jus non habere, quod tantundem juris, quantum Maevio, etiam Titio competit, & in pari causa melior sit conditio possidentis, quod etiam nihil moveatur, nisi a posteriori, quodque ideo, ubi par est causa ejus, qui petit, & ejus, qui defendit, nihil oporteat innovari. Sed quid si nec hoc concedas, verum ad divisionem provokes? Profecto, si ita philosopheris, vix quicquam erit certum in dominiis & obligationibus, omni denique iustitiae causa.

Craffius igitur hanc rem tractandum est, nam postquam lex certos dominii acquirendi modos praescripsit, hos

hos sequemur, quia sine legibus nulla Civitas subsistit, & ut iis pareamus, jubet ipsa utilitas, justi prope mater & aequi. Atque haec ipsa utilitas diversos Principes obligat ad fidem servandam, etiamsi sileant leges, neque enim Imperia sine Principe, neque Princeps sine pactis, neque pacta sine fide intelliguntur. Promittendum, quia placet, & servandum, quia promissum est. At, inquies, promissi praestatio Reipublicae detrimen-
tum, saepe & perniciem secum trahet. Esto, forte &
tunc utile erit fidem servare. Lapsam Rempublicam Ci-
vium fortitudo Fortunaeque benignitas restituere pos-
sunt, sed fides animam imitatur, unde exiit semel, nun-
quam revertitur. In publicis privatisque causis verissi-
mum est, quod dixit Cicero *L. II. de Offic. prope fin.*
*Nulla res vehementius Rempublicam continet, quam si-
des.* Promissum igitur, si me audias, etiam tunc servan-
dum, cum id servari Reipublicae non expedit, imo
periculosum sit. Ita ipse sentio, & ita quoque sensit Cy-
riacus Lentulus in *Augusto p. m. 292. & seqq.* ubi ean-
dem sententiam rationibus, & cum maxime exemplis mas-
cule defendit.

Non tamen rejecerim omnes exceptiones tacitas, sunt enim, quas omnium Gentium consensus probavit, ut, si Foederato Principi, *qui bello petitur*, auxilia promi-
fero, ea non praestem, si ille ipse Princeps nullo jure
causam belli praebuerit, de qua exceptione dixi supra
L. I. C. 9. Non, inquam, rejecerim omnes exceptiones tacitas, sed neque admiserim omnes pactorum ex-
ceptiones & restrictiones, quas difficiili cura admisit Gro-
tius *de Jure B. & P. L. II. C. 16. §. 32. & seqq.* & ex
quibus suas exceptiones tacitas fere adornavit Boekelen
d. Diatribe. Neque etiam admiserim, quod placet aliis,

magis quidem, ut videtur, religiosis, sed non minus improbis, qui nempe pācta publica violari quidem posse negant, sed, si damnoſa ſint Reipublicae, fraude eludi poſſe facile patiuntur. Hac ſententia utitur Auctor *Disquifitionum Politicarum Casu XXII.* Sed quia eam rationibus tueri non poſteſt, unice tuetur ſcelerum exemplis.

Scio & alios Juris publici Magistros iisdem fere vedi-
giis infiſtere, ſed hos Duces ſi ſequamur, omnes Princi-
pes mox intelligent, quam facile ſit non tantum fallere,
ſed & falli. Quod ne fiat, omni modo cavendum eſt,
& hinc praeccludendae excuſationes, quibus perfidiā
ſuam tegunt improbi Principes. Veteres Romani ſatis
ſciebant, interelle inter debitorem, qui pecuniam, quam
a creditore acceperat, libidine aut alea abſumpſit, &
cum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo caſu trifti-
ore aliena cum ſuis perdidit, & tamen, inquit Seneca
L. VII. de Benefic. C. 16. nullam excuſationem recepe-
runt, ut homines ſcirent, fidem utique praefandam. Hoc
ſuperdicto: *Satius enim erat a paucis etiam justam excuſationem non recipi, quam ab omnibus aliquam tentari.*
Atque ita cum pāctis publicis comparatum eſt, ut fere
ſatiuſ ſit, nullam exceptionem accipere, quam earum
numerum in tantum augere, ut regulam, quae fidem
datam praefare jubet, tantum non evertant.

Quid igitur dicemus? una forte vel altera exceptio ſuffecerit. Juſta utique erit, ſi per eum ipsum Principem, cui promiſi, ſteterit, quominus promiſſum praeftem, ut in ſpecie, quam modo attigi, & d. *L. I. C. 9.* latius enarrata eſt, quamvis forte quis dixerit, non tam hanc eſſe exceptionem, quam uſu receptam pactorum interpretationem, ſed nihil refert, quo nomine appelles;

les, si exceptionem dicas, alteram addo, Principem scilicet non ultra obligari, quam in quantum facere potest, &, an possit, permittendum alterius Principis, qua boni viri, arbitrio. Quemadmodum privatis, qui, ut cum Seneca loquar, *aliquo casu tristiore aliena cum suis perdiderunt*, largimur id *beneficium*, quod *competentiae* vocari obtinet, multo utique magis id Principibus largiemur, si bona fide agant. Ab his omnis vis & coactio abesse debet, quum enim vis inferri nequeat nisi solis armis, quid proderit Principem armis aggredi, ut praestet, quod praestare non potest? Si nihilominus cogas, constituisti eum debellare ob causam non justam. Sed an Princeps pactis stare possit vel non possit, & an per alium Principem steterit, quominus promissum praefitetur, non permitto eorum, qui pacti sunt, arbitrio, neque enim possunt judices sedere in causa sua, at aliorum, qui neutrarum partium sunt, desidero arbitrium, ut & olim in causis publicis ad aliorum judicium decursum esse intelliges ex Grotio eo loco, quem adducebam supra *d. L. I. C. 9. vſ. Qui.*

Descripsi rudi penicillo sententiam meam de argumen-
to, quod non unius belli causa fuit. Si hanc cum cura
edolare, & aliorum sententiis occurtere vellem, librum
scriberem, cum maxime si adderem, quemadmodum
olim Principes ea in re verlati sint, & adhuc versentur.
Humani generis ea labes est, ut *violare fidem, non ser-
vare pacta vix quisquam sit, qui religioni sibi ducat,*
modo id utile esse intellexerit, verba sunt Buddei, si haec
describi permittas, *Elem. Philosoph. Pract. Parte II. C. 3.*
§. 21. Sic forte, inquires, viles animae, sed non Prin-
cipes, qui altius spirant. Audi, quid de his ipse ille
Buddeus ajat *d. C. 3. §. 30. Pacta violare crimen est in*

258. QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

privatae sortis homine; in Principibus aut iis, qui rerum summae praesunt, frangere foedera pars prudentiae est. Horresco referens, sed tamen esse verissimum, ut probem, per mille possem currere exempla. Quia vero, quae his libris ago, cuncta fere refero ad Rempublicam Foederati Belgii, scire attinet, quid ei hac parte fedit.

Opportune autem hic succurrit, quod Ordines Generales anno 1595. Elisabetham, Anglorum Reginam, monnerunt, fidem anno 1585. sibi datam, servaret, si existimationi suae consultum vellet. Cui satis absurdissime Mulier respondit: *bonae fidei esse Principum contractus, neque eos iis teneri, si in detrimentum publicum cedant, & reliqua ejusdem farinae, ut haec narrat Camdenus in Elisabetha Part. IV. p. m. 649. & ex eo totidem verbis Boekelen d. Opusculo p. m. 174.* Rem ipsam quoque habet Zoucheus de *Jure Faciali Part. II. Sect. 4. Q. 25.* Honesta & religiosa Ordinum Generalium oratio, sed non minus religiosos dixeris Ordines Hollandiae, nam quum prodiisset liber, cuius inscriptio erat, *Aanwysing der Heiljame Politicque gronden en Maximen van de Republieq van Holland en West-Vriesland,* cujusque Auctor defendebat, pacta publica eatenus duntaxat esse servanda, quatenus expedit, mox eum Librum damnarunt, Edicto in ham rem facto 28. Maj. 1669. (1) eoque palam testati sunt, periculosa, abominandam & detestabilem esse sententiam, fidem datam non ulterius obligare, quam id patitur bonum publicum, & ab ea hanc Rempublicam, quae summam sui gloriam ponit in religiosa Foederum observatione, semper

(1) *Piat. III. 3. 4. 11.*

per abhorruisse, & adhuc abhorrere. Verba profecto optima, bene, si res tam bonae semper, an autem semper tam bonae, constitueram excutere singulari Capite, & excurrere per omnes aetates hujus Reipublicae, facto initio ab eo Foedere, quo circa primam infantiam Reipublicae inter Elisabetham, Angliae Reginam, & Ordines Generales inter alia convenerat, ut Reginae Legatus Consilio Status hic perpetuo interesset, de quo pacto disputat *Disquisitio Politica d. Casu XXII.* an recte, ipse videris. Constitueram, inquam, ab eo Foedere initium facere, & sic tandem pervenire ad Foedus, inter Imperatorem Germanorum & Ordines Generales de praestandis mutuo auxiliis initum 20. Febr. 1732. de cuius observatione haud ita pridem acerrime quaesitum, at nihil definitum est. Sed prudentiae erit haec omnia omittere, hoc duntaxat superdicto: omnium Rerum-publicarum hanc fere indolem esse, ut neque grandem perfidiam iis recte objeceris, neque singularem animi magnitudinem ab iis facile exspectaveris.

C A P U T X I.

*An peregrini ab administratione Reipublicae
sunt arcendi?*

Peregrinos intelligo, non qui re ipsa adhuc peregrini sunt, atque ita sub alio Principe habitant, nam quis eos arcessat ad capessendos alibi honores? sed eos, qui origine quidem peregrini sunt, in nostrum tamen Imperium concederunt, eo translata rerum ac fortunam suarum sede. De his quaero, consulta prius ratione,

deinde lege, an apud nos muneribus & honoribus fungi possint. Et, consulta quidem ratione, non animadverto, si linguae, si legum, si morum, si universae denique Reipublicae, in quam transierunt, satis periti sint, cur ab ejus administratione sint arcendi. Arcent tamen eos plerique Juris Publici Magistri, sed ob rationes, quae me non moverint. In indigenis ajunt majorem, in peregrinis minorem Civitatis amorem praelumi, sed quis sinistre praesumat de eo, qui totus cum omni familia, cum omni fortuna in nostram Civitatem concessit, cujusque adeo salus ab ipsa salute publica pendet? quis perperam consulat Reipublicae, ut, ea perdita, ejus ipsius res & fortuna perdantur? At ratio & lex ditionem & digniorem quemque ad Rempublicam administrandam invitant. Probe novi, sed in peregrinis hae dotes forte magis pellucebunt, quam in indigenis. Quod si sit, ego utique peregrinum ditionem & digniorem praetulerim indigenae minus diti & minus digno, nec est, quod aegre ferat indigena, si, qui opibus & virtute vincit, etiam honore vincat. Nosse debet Rempublicam, qui eam recte administraverit, largior, sed ejus peritia saepe magis peregrini censetur, quam ipsi indigenae, qui cum lacte materno se hanc peritiam imbibisse rati, fugiunt industriam, quae reipublicae addiscendae necessaria est. Nihil ego desideraverim, nisi ut is, qui Magistratu fungitur, Tros Tyriusve fuat, praestet bonam fidem, cum diligentia & peritia conjunctam. Sed tantum abest, ut in Rebuspublicis, quae peregrinos ab omnibus dignitatibus plane excludunt, adhibeantur indigenae, ex omni parte idonei, ut, delectu habito, quod ad munera, in ipsos collata, serio potius cogitandum sit *de his, quae ut indignis auferuntur.* Adeo Parentum Propinquos

pinquorumve dignatio vel potentia omnes alias bene gerendae Reipublicae rationes extinxit.

Non tamen omnes peregrinos promiscue admiserim, sed, ex ipsa ratione, repulerim eos, a quibus metus est, ne salus publica periclitetur. Quod tunc maxime obtinet, ubi alter Populus alterius Populi libertati imminet, & per honores peregrinorum cuncta ad se trahit. Eaque ratione anno fere 1400. Trevirenses, qui Gallorum patrocinium agnoverant, veriti, ne per hos libertas sua salva esse posset, facto Decreto Gallos ceterosque peregrinos a dignitatibus arcuerunt, ut est in *Disquisitionibus Politicis Causa XLVII.* Et, si verum amamus, non alia fuit ratio, cur Hollandi Zelandique variis privilegiis, a Gravionibus sibi datis, obtinuerunt, ne cui exterio ad honores pateret aditus, quod scilicet Hollandis Zelandisque jam ex arbitrio dominari coeperant Principes Burgundi & Austriaci, &, ut facilius dominari possent, Burgundos & Austriacos muneribus adhibebant. Non sane sibi metuebant Hollandi Zelandique ab aliis peregrinis, qui ab ipsis meritisque suis ad honores promoverentur, sed, impetratis privilegiis, cunctos arcere placuit, quia solos Burgundos & Austriacos excludere res fuisset oppido invidiosa apud Principes, a quibus privilegia illa erant impetranda. Atque ita, invidiae vitanda ergo, generale quoque fuit Trevirensum Decretum, de quo modo dicebam, quamvis revera solos Gallos tangeret.

Non aliam utique ob causam, quam dixi, impetrata fuisse illa de arcendis peregrinis privilegia, affatim docet historia eorum temporum. Huc refero, quod a maximis dignitatibus usque ad Scultetum peregrinos excluserit Maria Burgundae in §. 4. Legum., quas Hollandis

262 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Zelandisque dedit 14. Mart. 1476. (1) refero & alia anteriora privilegia, quae recensuit Merula *Praxi Civili L. IV. T. 9. C. 1.* Sed praeter haec generalia, erant & adhuc sunt specialia privilegia, quae Magistratus Urbium sibi impetrarunt, quibusque libertati suae adhuc magis prospectum existimabant. Secundum haec quibusdam in Urbibus neque omnes Hollandi Zelandique ad Magistratum vel Consulatum admittuntur, sed duntaxat, qui certo terrarum tractu nati sunt, vel in ipsa Urbe, de qua agitur, ut de Bithynicis Civitatibus memorat Plinius *L. X. Epistol. 115.* vel qui nuptiis vel aliquot annorum habitatione Civitatem sunt naucti, vel quae alia sunt singularia privilegia, a Gravionibus prece vel pretio extorta, ut omni modo peregrini excluderentur.

Rationem habuerunt illa privilegia eo tempore, quo data sunt, nunc nullam habent, quamvis etiam nunc ea servent Hollandi Zelandique: nullus enim hodie ab ulla peregrinis metus, nulla Burgundorum, Austriacorum vel Hispanorum adversus Rempublicam machinatio. Neque etiam multi peregrini admitterentur, etsi legē non essent exclusi, quum, sublatis Comitibus, apud ipsum Hollandos Zelandoque nunc sit rerum summa. Quin si vel multi admitterentur, non tamen ab his metendum, cum non sit Princeps peregrinus, qui in rem suam Reipublicae obtrudat, & per eos res novas moliatur. Peregrini etiam, si vel promiscue admitterentur, non essent ex uno eodemque loco, utque ita cesset metus, qui olim fuit, ne forte conspiraturi essent in unius ejusdemque Principis gratiam. Quum, ut olim Comites, sic postea Gubernatores, Reipublicae libertati imminarent,

(1) *Plac. II. s. 1. t. 2.*

rent, etiam peregrini in hanc rem adhibiti sunt, &, quae Gubernatorum auctoritas erat, saepe frustra iis sunt objectae Leges Patriae.

Quod autem Trevirenses eo, quod dixi, Decreto etiam Gallos, qui tempore facti Decreti in dignitate erant, ea spoliaverint, omnino displicet. Dignitas ne quaeratur, recte statuitur, ut quae sita absque crimine auferatur, non sine injuria. Benignius propter utilitatem publicam ad Plinium rescripsit Trajanus (2), ne e Senatu Civitatis Bithynicae ejiceret Cives alienos, quamvis contra legem adscriptos. Et benignius Carolus V. in privilegio, Hollandis dato 7. Maj. 1555. (3) quum enim eo, ut mox plenius dicam, quibusdam peregrinis dignitatibus in Hollandia fungendis interdixisset, iis tamen, qui dignitatibus tunc fungebantur, vim fieri vetuit. Benignius etiam Hollandi, qui, quum anno 1658. Syndicos, Scribas, aliosque Ministros, quos Urbes adducunt ad Comitia Ordinum Hollandiae, peregrinos esse vetuissent, simul tamen sanciverunt, ut, qui tunc essent peregrini, officium suum retinerent §. 7. Decreti Ordinum Holl. 14. Maj. 1658. (4) In transitu noto, quod notari meretur, id Decretum duntaxat loqui de Syndicis, Scribis, aliisque Urbium Ministris, sic enim cautum est §. 1. quid ergo dicemus de ipsorum Ordinum Syndico, Scriba vel Scribis, aliisve Ministris? Eadem plane, si non major in his, si peregrini sint, arcendis ratio est. Sed, ut dixi, nulla ratio est, neque enim

Barne-

(2) Apud Plinium L. X. Epist. 116.

(3) Plac. II. Append. Ediſſ. Carol. V. n. 15. p. 2072. & Plac. III. 1.

I. 20.

(4) Plac. III. 1. 3. 4.

264 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Barneveld deterius Syndici munus gessit, quam alius quisquam.

Ceterum generalia illa de omnibus peregrinis excludendis privilegia ipsis postea Hollandis displicerunt, mitigato enim eorum rigore, successit jus quasi talionis: nam ecce potentibus Hollandiae Ordinibus Carolus V. 7. Maj. 1555. concessit, neminem, extra Hollandiam natum, ubi *Hollandi excluduntur*, neminemve extra Belgium natum, aut Belgicae linguae imperitum, ad ullam dignitatem in Hollandia admittendum, exceptis Gubernatoribus & Equitibus aurei Velleris. Quod privilegium confirmavit Philippus II. Hispan. Rex 17. Dec. 1556. (5) Vides, peregrinos excludi, sed jure talionis, vides Belgas omnes in Belgio admitti, & vides, Belgis duntaxat admissis, Austriacos & Hispanos, a quibus tunc metus erat, adhuc excludi, sed excludi inter ceteros. Ut ut autem fana ratio nullum peregrinum, nisi periculosum, arceat, iniquum tamen non iest, ut etiam illi ex causa peregrinitatis arceantur, qui inde oriundi sunt, ubi nostrates lege vel more Civitatis arcen-
tetur. Idque servari jubetur Decreto Ordinum Hollandiae 19. Apr. 1631. aliisque quam plurimis, quae mihi, Acta Ordinum evolventi, occurrerunt. Habet & de his quae-
dam Grotius *Apolog. C. XII.* & Groenewegen *de LL. abrog. ad l. ult. C. de Crimine Sacrileg.* sed nec satis diligenter, nec laudatis auctoritatibus.

Igitur peregrini, qui Hollandos non excludunt, neque in Hollandia ab honoribus excluduntur. Haec esto regula, sed ab hac excipe Syndicos & Scribas, quos Magistratus Urbium Comitiis Ordinum interesse volunt,

hi

(5) *Report. Curias Holl.* p. 26. B.

hi enim, origine peregrini, semper excluduntur ex d. Decreto 1658. nec quicquam refert, ubi nati sint, & an ibi Hollandi excludantur, nec ne. Addo aliam exceptionem, quam suggerunt varia Urbium privilegia, quae supra compendio commemorabam. Haec privilegia tollere, ut in Comitum potestate non fuit, sic nec est in potestate Ordinum. Fac igitur, privilegia arcere a Magistratu vel Consulatu, qui non certo tractu Hollandiae, vel in ipsa, Urbe, de qua agitur, natus est, utique ibi secundum ea non admittemus peregrinum, licet natum, ubi Hollandi non excluduntur, nam jus generale, quod ex lege talionis est, quodque Ordinibus Hollandiae postea placuit, anteriora Urbium privilegia non abrogare & ratio docet, & Justinianus constituit in §. 4. *Constitutionis II. de Confirmando Codice.*

Sed quid dicemus de iis, quibus Ordines Hollandiae nativitatis peregrinae gratiam faciunt, concessis diplomaticis, quae vocantur *Brieven van Naturalisatie?* Scribunt Hollandi (6), haec diplomata, simpliciter concessa, nihil quicquam praebere nisi jus subditi, ut scilicet peregrinus habeatur pro subdito, & apud nos forum sortiatur, non vero prodesse ad honores, nisi specialiter hoc iis sit insertum. Frequentissima sunt ejusmodi diplomata, sed cui bono, dicat Cassius? Sane mihi videntur exigui plane usus, si leges, quas dixi, revoceamus in memoriam. Si ea diplomata, simpliciter concessa, non praebent nisi jus subditi & fori, utique quisque peregrinus & advena id nanciscitur, ubi a Magistratu Urbis, in quam Penates suos transtulit, in numerum Civium est receptus, quemadmodum Magistratus singularum

(6) Van Zurck Cod. Bat. Verbo *Naturalisatie* §. 2. & in not. ad §. 1.
Tom. V.

266 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

larum Urbium quosque peregrinos & advenas sic recipiunt quotidie. In hanc rem igitur privilegio Ordinum opus non est. Si diploma concessum sit ad honores, ad honores proderit, sed & peregrinis, etiam sine diplomate, eos capessere licet, modo nati sint in eo Imperio, ubi nostrates non excluduntur. Sin ajas, privilegia tamen Urbium plurimos arcere, vel non natos in iis ipsis Urbibus, vel non natos certo terrarum tractu, largior, sed ea diplomata peregrinis non plus praestabunt, quam ipsis Hollandis, ibi non natis. Quae igitur privilegia ipsos Hollandos excludunt, etiam excludent, peregrinos, cum Ordinum nec mens, nec etiam potestas sit, concessis illis diplomaticis, tollere privilegia Urbium. Si quid video, illa diplomatica, simpliciter concessa, nihil quicquam tribuunt, quod non Magistratus dare possit, si autem ad honores concedantur, duplum praebent usum; alterum, ut etiam illi peregrini ad honores admittantur, qui ibi nati sunt, ubi nostrates arcentur, nam legis suae gratiam facere possunt Ordines; alterum, ut Syndici & Scribae, qui ex causa peregrinitatis plane arcentur ex d. Decreto anni 1658. concessis illis diplomaticis, nunc liceat esse Syndicis & Scribis. An alium praebeant usum diplomatica ad honores, nondum potui animadvertere, id autem satis animadverti, saepius nullam, quam aliquam subesse causam implorandi haec diplomatica, &, quod legis est, perperam gratiae tribui. Varia exempla ad manum sunt, quibus id ostendere possum, sed res tanti non est.

C A P U T XII.

Imperium & Jurisdiction an possint mandari?

Ad Jus publicum pertinet quaestio, an & quemadmodum Magistratus & Judices Imperium & Jurisdictionem, sibi datum datamve, aliis mandare possint? Constat, Jure Romano Imperium, quod in gladii potestate consistebat, & *merum* appellabatur, mandari non potuisse, sed potuisse Jurisdictionem, & illud Imperium, quod Jurisdictioni cohaerebat, & *mixtum* dici obtinuit *l. i. pr. & §. i. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd.* Rationem differentiae dedit Papinianus in *d. l. i.* quod nempe mandata Jurisdictione non transferantur, quae specialiter Lege, vel SCto, vel Constitutione Principum tribuuntur, ut est in mero Imperio, sed ea tantum, quae Magistratibus competit jure suo. At vero, inquires, etiam Jurisdiction, quae Magistratibus competit, ex Lege aliqua descendit, & ejus partes Lege definitae sunt, & sic rationem rationis desiderabis. Si dixerim, *merum* Imperium versari circa res majoris, mixtum circa res minoris momenti, non loquar, ut Papinianus loquutus est. Sed hoc jam non agimus, & ne hoc quidem, cur Romanis, secus ac plerisque Gentibus, placuerit, Jurisdictionem mandari posse. An propter nimiam negotiorum molem, quibus Magistratus Urbani & Provinciales saepe obruebantur! an propter morbum aliamve causam santicam, qua forte impediebantur officio suo superesse? an propter ignaviam, cui sic consulere poterant Magistratus? an propter imperitiam, translata

263 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

sic Jurisdictione in eos, qui plus sapiebant? Non erraverit forte, qui has similesve causas mandandae Jurisdictioni originem praebuisse credit, & simul credit, inde quoque esse, quod Magistratus Romani & judices derint, & adfessores adhibuerint. Quemadmodum autem a judice dato vel a mandatario Jurisdictionis fuerit appellatum, prolixe exsequutus sum *L. VI. Observ.*

C. 23.

Sed, his missis, nihil puto esse verius, si Leges Patrias consulamus, quam omnes Magistratus & Judices, sive a Principe creatos, sive ab his, quibus Princeps eorum creandorum potestatem dedit, per se fungi officio suo, & ipsos ex formula jurisjurandi, antea praestiti, cognoscere & judicare de omni causa, tam criminali, quam civili. Sane nullum officium Magistratumve mandari permittit Philippus II. in §. 8. Edict. de Crimin. 5. Jul. 1570. & hoc jure utimur, ut mox per species utriusque Jurisdictionis ostendam.

Quid igitur est, quod scripsit Gudelinus *de Jure Novissimo L. V. C. 13. in fin.* & exscripsit Groenewegen *de LL. abrog. ad l. 3. ff. de Jurisd.*? *Quod nempe bodie potestas gladii non meri Imperii sit, verum pars ordinariae Jurisdictionis, atque etiam mandata Jurisdictione transeat, & per vicarios, non secus quam ceterae partes Jurisdictionis, exerceatur.* Sed, si reliqua Gudelini addidisset Groenewegen, mox apparuisset, haec eum referre ad Toparchas aliosque, qui vice sacra Judices creant, at si vel ad eos referas, ne sic quidem res salva est: nam illi Toparchae, secundum codicillos investiturae, *non judicandi, sed tantummodo Judices creandi potestatem habent, nec subdelegare, sed potius vice Principis Judices creare videntur*, ut ipse Groenewegen recte

recte animadvertisit ad l. ult. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. Illi Toparchae nec judicant, nec ipsi judicare possunt, & cum agimus de mandata Jurisdictione, agimus de eo, qui ipse, si velit, juris dicundi officio fungitur, sed, si nolit, in alium Jurisdictionem, sibi propriam, transferre potest. Summae igitur imprudentiae est dicere, posse quem hodie mandare Jurisdictionem, id est, sua vice alium sufficere, qui jus dicat, quod alioquin ipse mandans fuisset dicturus.

Omnis Magistratus & Judices hodie sunt quasi mandatarii Jurisdictionis, ipse Princeps, vel qui ejus vice fungitur, quasi mandans. Utque manifestum est, mandatam sibi Jurisdictionem alteri mandari non posse l. ult. pr. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. sic nec possunt Magistratus vel Judices, electa eorum, qui ipsi officiis suis fungantur, fide & industria. Et, ut de criminibus primum exordiar, tantum abest, ut ii, qui jurati de his judicant, aliis non juratis Jurisdictione sua possint cedere, ut ne ii quidem id possint, qui Accusatorum partibus, quocunque nomine, funguntur, quorumque adeo officium absolvitur solis criminum persequutionibus. Quare jubentur illi Accusatores ibi habitare, ubi jura Principis tuerentur, & prohibentur alios substituere, quos vulgo vicarios sive *Stadbouders* appellamus. Ita generaliter constituit Philippus II. in d. §. 8. Edicti de Crimin. anni 1570. Et ita olim quoque fuit: nam ait §. 40. LL. quas anno 1299. Hollandis & Frisiis dedit Joannes I. (1) In onsen vryen Ambagte, daer wy Schouts-ambagt verleent hebben, die Schout, die van ons is, en mag niemand onder hem setten. Secundum haec quoque Ordines Hollandiae,

(1) In de Handvesten van Ensbuyzen p. m. 3. A.

270 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

landiae, petente Magistratu Heusdano, decreverunt
17. Jul. 1662. (2) ne quis esset Heusdanus *Drost, Castelein en Dykgraaf*, nisi qui in Urbe Heusdana fixum
 domicilium haberet, ut sic per se officio suo fungeretur.
 Scio, earum prohibitionum saepe gratiam esse factam,
 & adhuc fieri, sive palam, dato in hanc rem privilegio,
 sive clam, per solam dissimulationem, sed ipsos
 Judices, qui de criminibus judicant, unquam vicaria
 opera fuisse usos, vel in eam rem privilegium impetrasse,
 non memini me uspiam legere.

De causis civilibus sive pecuniariis idem puto dicendum. Atque ideo, cum in §. 33. Edicti Ordinum Hollandiae 20. Dec. 1595. *op het Slachturven* (3), Heemradii de causis, ibi memoratis, judicare jussi essent, & hi sua Jurisdictione cessissent Scabinis, recte responsum est *Consil. B. T. IV. Consil. 164. n. 1. & 2. Scabinos de iis causis judicare non posse*, Principem enim solum Judices facere, & ejus solius esse Jurisdictionem dare, augere, minuere: neminem igitur Jurisdictionem, sibi datam, ad alium transferre posse, ad instar scilicet mandatarii Jurisdictionis apud Romanos. Non est hodie quisquam, si accurate loquamur, qui Jurisdictionem propriam exerceat, quicunque exercent, exercent Jurisdictionem Principis, neque adeo alteri recte mandant, quod suum non est. Ad haec qui eligit Magistratum vel Judicem, creditur elegisse hominem, de cuius peritia, industria, probitate certus est velesse debet, quique Spartam, quam nactus est, ornare possit. Sin autem hanc transferat ad alium, longe forte deteriorem, Principem, secu-

(2) *Resolution van Confidératie ten tyde van de Wit.* p. 786.(3) *Plac. I. 2. 43. 1. 3.*

securius cogitantem , fallit , & bono publico pessime consultit. Ne dicam , aliud esse , juratum fungi munere suo , ut jurati funguntur omnes , quibus data est Jurisdictionio , aliud , non juratam fungi , ut fungerentur mandatarii Jurisdictionis. Unde , cum in locis , quae ab Hispanis occupaverant Ordines Generales , usu invalueret , ut per alium officio suo fungi liceret , relatum est apud Aitzema (4) , Ordines anno 1645. decrevisse , etiam in iis locis quisque per se fungeretur officio suo , sive Politico , sive Militari , sive Ecclesiastico , nisi forte ex speciali causa privilegium impetrasset. Quamvis autem in rebus Politicis ab eo Decreto saepe recessum fuerit , & adhuc recedatur , non comperi tamen , unquam esse recessum quod ad eos , quibus juris dicundi provincia ibi mandata est.

Sane si Judicibus in Hollandia & Zelandia liceret Jurisdictionem , sibi datam , alteri mandare , utique & liceret Senatoribus utriusque Curiae , quae Hollandiae , Zelandiae Frisiaeque nomine Hagae Batavorum jus dicit. Sed tantum abest , ut iis id liceat , ut Comes Leicestranus 28. Jul. 1586. speciali privilegio (5) Senatoribus Supremae Curiae concederet , si legitimo minor numerus supereret , unum pluresve Senatores , non unde vellent , sed ex Curia Hollandiae adsciscerent. Ordinibus Hollandiae id privilegium tribuit Groenewegen *de LL. abrog. ad Tit. C. Qui pro sua jurisd. judic. dare darive poss. sed perperam.*

Noli autem putare , ex mandata Jurisdictione esse , quod majorum apud Nos Urbium Magistratus variarum rerum ,

(4) L. XXV. p. 193. & 194.

(5) Formul. T. I. C. 50. p. m. 678. & 679.

272 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

rerum, quarum alioquin cognitio ad Scabinos pertineret, alios & fere minores Judices constituant, ut in causis minoris momenti, in causis matrimonialibus, maritimis, & id genus aliis, quos Judices appellare solent *Commissariissen*, noli, inquam, putare, id esse ex mandata Jurisdictione, nam ejus rei potestatem ab Ordinibus fere petiisse videoas Magistratus, petierunt certe Amsterdammenses, cum alias, tum etiam 17. Jul. 1612. (6) Sed quid si ex abundanti petierint? ut se ex abundanti petere ajebant Amsterdammenses d. 17. Jul. 1612. posse enim se suo jure ejusmodi Judices minores constituere. Esto, nec ipse ab ea sententia sum alienus, sed non alia ratione, quam quod omnes omnium Urbium Magistratus creandorum Judicium potestatem habeant ab Ordinibus, & inde creent five majores, qui dicuntur *Schepenen*, five minores, qui *Commissariissen*, ut e re Urbium suarum esse videtur, non vero ea ratione, quod Magistratus mandatam sibi Jurisdictionem alteri mandare possit, quamvis & ea ratione usi sint Amsterdammenses d. 17. Jul. 1612. Non satis recte, nam quia omnes, qui ad Magistratum alicujus Urbis pertinent, ipsi non judicant, sic nec aliis Jurisdictione sua cedere dici possunt. Deinde illos minores Judices non esse Scabinorum mandatarios, inde appareat, quod ipsi suam, non vero Scabinorum Jurisdictionem exerceant, ab illis enim minoribus Judicibus appellatur ad ipsos Scabinos, non ad eos, qui Scabinis superiores sunt, ut est in omni mandata Jurisdictione, quemadmodum exposui d. L. VI. *Observ.*

C. 23.

Ad mandatam quoque Jurisdictionem pertinere dixeris,
quod,

(6) *Plac. I. 2. 7. 2. 2.*

quod, cum de magnae quantitatis fideicommisso lis penderet apud Scabinos Amsterdammenses, hi, ut se extricarent molestiis longae & difficillimae litis, sententia interlocutoria, 1. Febr. 1729. lata, jusserint, ut causa peroraretur coram tribus Advocatis, a se in hanc rem delegatis, qui post causam peroratam & lecta litis instrumenta, sententiam suam Scabinis rescriberent. Titius, simulac id rescivit, libello adit Scabinos, questus, hanc interlocutionem non convenire Formae judicij, quam sibi Amsterdammenses prescriserunt 27. Apr. 1656. nam ex §. 8. *Capitis VI.* ad arbitros non remitti nisi causas, in quibus agitur de redditione rationum, & has duntaxat remitti ad tentandam transactionem, quae si non successerit, etiam eas causas Scabinos definire, ceterum desiderare d. §. 8. ut causae, quae juris sunt, ut erat haec causa, apud ipsos Scabinos perorentur, rogare igitur se, ut id fieri liceat, vel faltem ut post causam, coram Advocatis illis peroratam, lis non finiretur, nisi & apud Judices, in hanc rem electos & juratos, rursus perorata & instrumenta litis ab his lecta essent. Quum Scabini illum libellum cum impignatione rejecissent, Titius ab interlocutoria illa sententia appellationem tentat ad Curiam Hollandiae, sed Mandatum appellationis ei negatum est 7. Apr. 1729. Ab ea negatione implorat Mandatum appellationis a Senatu Supremo, quod ne Senatus largiri vellet, per epistulam 6. Maj. 1729. datam, petunt Scabini Amsterdammenses, rati, quicquid essent interloquuti, id ad solam ipsorum cognitionem & jurisdictionem pertinere, nec utriusque Curiae esse, ei rei sese immiscere. Senatores Supremi Senatus, auditis prolixe partibus, etiam de more apud Amsterdammenses recepto, non quidem solemniter sententias suas dicebant, sed tamen ad unum

omnes significabant , integrum esse Judicibus , mediocritatis suae sibi consciis , non tantum in Oppidis & Pagis , sed & in Urbe Hollandiae principe , peritiores consulere , at vero sic integrum esse , ut apud ipsos Judices , in hanc rem electos & juratos , plene audiantur partes , & siam quisque causam , adhibitis Pragmaticis , defendat , atque ita in Hollandia ubique locorum servari . Quare existimabant , causam , de qua agebatur , apud ipsos Scabinos esse perorandam , ut & desiderat d. §. 8. non apud eos , qui Adfessorum vice fungebantur , id enim omnino sapere mandatam jurisdictionem , quae legibus & moribus exolevit . Si liceat Scabinis Amsterdammensibus , licere & omnibus in Hollandia Judicibus causas ad arbitros remittere , & jubere , ut apud illos perorentur , transmissa ad se , quam pronuncient , sententia , promptissimo sane imperitiae vel desidiae velamento . Videbatur igitur Senatus proclivior ad largiendum Mandatum appellationis , idque etiam , permittente Senatu , significavi Syndico Urbis Amsterdammensis , qui me ob eam rem adivit . Sed Maevia , de mente Senatus certior facta , interlocutoriae , quam dixi , Sententiae renunciavit . Qua renunciatione audit a negatum quoque est Mandatum appellationis 22. Sept. 1729. Prolixius hanc causam enarravi , ne aliis in posterum sit praejudicio .

Mandatae igitur Jurisdictioni apud Nos leges moresque repugnant , sed non definio , an non praestaret mandare Jurisdictionem , quam exercere , si , qui exercere tenetur , ad judicandum non magis aptus sit , quam asinus ad lyram , si bipedum sit imperitissimus , si ignavissimus , nam sola probitate Judicis officium non absolvitur , ut sunt , qui sibi persuadent . Judices minores posunt

sunt & solent peritiores consulere, sed de majoribus quid fiet? hi sibi reputant dedecori, non tantum peritiores consulere, sed & eos praeēentes sequi. Solius Principis est, qui fere majores Judices creāt, etiam hac parte consulere, ne quid Respublica detrimenti capiat.

C A P U T XIII.

*An ob debitum Universitatis singula membra
conveniri & damnari possint?*

Recte disputat Seneca *L. VI. de Benefic.* C. 20. quae Universitas debet, a singulis non deberi nisi pro portione sua. Totum igitur debitum a singulis non recte exigitur, nec etiam, quae reciprocationis ratio est, creditum Universitatis singuli recte exigunt. Si utrumque a JCto, quam Philosopho audire mavis, accipe haec Ulpiani in l. 7. §. 1. ff. *Quod cujusque Univers. nom. Si quid, ait, Universitati debeatur, singulis non debetur, nec, quod debet Universitas, singuli debent.* Quicquid Universitas mutuum dedit vel accepit, aes suum vel alienum est ipsius Universitatis, & quia singulos pro parte sua agere vel conveniri difficultimum explicatu est, nulli permittitur experiri, nisi ei, cui lex permittit l. 3. ff. *Eod. Syndico scilicet Universitatis, per quem, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat l. 1. §. 1. Eod.* Ille repreäsentat arcam communem, & si quid ei debeatur, exigit, & si quid ea debet, ille convenitur, nam a singulis membris exigere, quicquid nomine publico est contractum, durum esset & avarum.

Secundum haec in Sententia, a Curia Hollandiae 19.

276 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Nov. 1441. contra Enchusanos lata (1), nominatim additum est, ne ea executioni daretur contra cives & incolas Enchusanos, ad quos ea res non pertinebat. Et Philippus Burgundus in Diplomate, quod 12. Oct. 1464. dedit (2), actionem contra Civitates Hollandiae Borealis, adversus Enchusanos executioni mandatam, suspendit, convocarique jussit omnes, ut ab omnibus pro rata debitum exigeretur. Philippus etiam II. Hispan. Rex, in §. 11. Edicti, quod pro Flandris edidit 12. Jan. 1586. (3) agricultoribus pro debito Universitatum conveniri vetuit, pro toto nempe, singulos enim conveniri permisit pro parte sua, *zoó veel hun contingent, quote en portie bedragen zal.* Quod non aliter probbo, quam ubi arca communis non est. Et quum Admiralitas Hollandiae Borealis ad Sepremum Senatum in jus vocata, & ibi damnata esset in causa pecuniaria, unus quidem ex ea Judex, ut satisfaceret Sententiae, arresto detenus, sed anno 1659. dimissus est (4): de qua in jus vocatione etiam postea acriter est disputatum (5). Memini etiam, me Praeside, Consulem Harderovicenum, ob debitum ipsius Urbis, arresto esse detentum, sed repulso Adversario, Sententia Supremi Senatus dimissum 30. Jun. 1730. cum alias ob causas, tum etiam ob d. l. 7. §. 1. ff. *Quod cujusque Univers. nom.* Atque haec probant, quod Universitas debet, singulos non debere. Id vero est certissimum, quod singuli debent, ad Universitatem non pertinere, neque adeo ab ea exigendum esse.

Priya-

(1) *Decis. mixt.* 116.(2) *Handvellen van Encbwyzen* p. 121.(3) Exstat separatim inter *Collectanea mea.*(4) Aitzema *Histor.* L. XXIX. p. 601.(5) *Idem eodem Libro* p. 1084. & 1085.

Privata arca expungit debitum privatum, publica publicum. Multo minus tenebitur Universitas, si quid delinquit, qui membrum Universitatis est. Unde Ordinum Generalium Consiliarii 22. Jul. 1666. recte responderunt Ordinibus Generalibus, ob delictum monachi perperam apud Senatum Brabantinum arresto detenta esse bona ipsius Monasterii (6).

Quamvis autem haec ita sint, & jure subsistant, reveror tamen, ne per injuriam vel imperitiam semper & ubique ita obtinuerint. Non loquor de ea specie, qua privatus pro Universitatis debito, per modum Repressiarum, detentus & damnatus est, nam quia Repressariis non est locus, nisi denegata justitia, ea species huc non pertinet. Loquor de ea specie, qua contra Universitatem experiundi potestas est, & vel sic, quod Universitas debebat, singulis saepe extortum est. Si ob salutem publicam tale quid fiat, defendi quodammodo potest, si haec non veretur, omnino improbum est. Salus utique publica Ordinibus Hollandiae cordi & curae fuit, cum in notissimo illo Edicto, quod de exactione tributorum editum est ult. Mart. 1588. palam fanciverint, pro non solutis tributis Urbium, Pagorum Collegiorumque, etiam singula membra & quosque incolas eorum locorum conveniri, & ab iis tributa exigi posse. Atque ea ipsa ratio effecit, ut & eorum, quae singuli debent, etiam contra Universitatem sit actio ex Decreto eorundem Ordinum 16. Jul. 1657. (7) eo quippe jubentur Magistratus Pagorum Fisco solvere millestimam bonorum, quam incolae debent, secundum catalogum, ea de re factum. Et sic adhuc

(6) Aitzema Histor. L. XLVI. p. 865.

(7) Resolutien van Confideratie ten tyde van de Wit. p. 373.

adhuc servatur in exactione centesimae & ducentesimae, etiamsi nulla Magistratum in exigendo culpa arguatur. Sed haec, inquam, in causa publica, ob favorem Fisci, & si quid ex iniquo habeant ea exempla, contra singulos utilitate publica rependitur. Etiam Jure Romano, in simili causa, simile quid placuisse, indicat. *l. 7. vj.*
Qui si C. de Exactor. tribut. At vero generaliter in quacunque causa saepe obtinuit, ut pro debito Civitatis privatus quisque fuerit detentus & damnatus. Quin ne id fieret, impetratis privilegiis ei injuriae aliquando ocurrsum est. Ejusmodi est privilegium, quod Philippus Burgundus Dordrechtanis dedit anno 1424. (8) iis largiens *vry geley, om niet gearresteert te werden voor Stads schulden, voor den tyd van vier jaren.* Et cum ei, qui Urbi Brunswycensi pecuniam crediderat, non satisficeret, secundum eum morem, quamvis pessimum, Ordines Generales 9. Nov. 1640. decreverunt, creditor arresto includeret civium Brunswycensium bona, ubi cunque reperta, ut refert & simul recte damnat Aitzema (9). Ipsa quoque Hollandiae Curia, mea memoria, Monachum quemdam ex Monasterio prope Gandavum, ob aes alienum ipsius Monasterii, Hagae Batavorum arresto detinuit, &, quod Monasterium debebat, solvere damnavit. Quam Sententiam ego nolim facere meam, quamvis non ignorem, quam plurimos esse Juris Interpretes, qui sic sapiant. Ita sane sapit Peckius de *Jure fistendi C. IV. n. 17.* ita & alii. Sed plures, quae contradicant, auctoritates possem adducere, si non nauferem ad sterquilinia Doctorum, sine solida ratione juris id,

(8) Oudenhoven Zuyd Holland p. 612.

(9) Histor. L. XX. p. 126.

id, de quo agitur, vel ajentium vel negantium.

Ceterum JCTi, qui ex ratione & lege didicerunt sapere, adhuc putant esse sequendam regulam d. l. 7. §. 1. ff. *Quod cujusque Univers. nom. singulos nempe non debere, quod debet Universitas, sed sunt* (¹⁰), qui hanc exceptionem addunt: *nisi Universitas se ipsam AC CLIVES SUOS nominatim obligavit.* Consentio, si ita paciscatur ipse Princeps, ex dominio eminenti, quod habet in subditos eorumque bona; dissentio, si ita paciscantur Magistratus singularum Urbium, vel Curatores alterius cujusque Universitatis, sine consensu Principis, nam ea eorum potestas non est, ut contra Decreta juris singula Civitatis vel Universitatis membra, eorumque bona, in solidum obligare possint. Nisi igitur a Principe impetraverint privilegium, quo id facere liceat, vel omnium membrorum in hanc rem consensum adhibuerint, adhuc stabimus d. l. 7. §. 1. Principis imperium eo usque, ut dixi, porrigo, & nescio, an quisquam alias de eo dubitaverit. Recte itaque Ordines Foederati Belgii, ex mandato vel ratihabitione singularium Provinciarum in §. 23. Foederis Utrecht. 23. Jan. 1579. inter se pacti sunt, si qui Ordines in id Foedus quid commisissent, eorum Ordinum subditi, eorumque bona pro eo ubique locorum caperentur & exigerentur. Succedit deinde specialis Constitutio, a quibusdam Gubernatoribus & plerisque Provinciis Foederati Belgii facta 13. Jul. 1579. (¹¹) qua illud ipsum placuit, si nempe Ordines tributa, in quae confensere, non sufferant. Atque id anno 1586. suis accidisse Hollandi commemorant in

(10) Busius & Groeneweegen ad d. l. 7. §. 1.

(11) Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wt. p. 671. & seqq.

in §. 4. Responsi ad Leycestrum 4. Oct. 1587. (12) & aliis quoque Provinciis saepe idem accidisse usque ad annum 1639. Consiliarii Ordinum Generalium prolixe exposuerunt in epistula, ad eos Ordines scripta 14. Dec. 1716. (13)

Optime consultum esset rationibus Reipublicae, si etiam post annum 1639. ii Consiliarii non cessassent tributa exigere secundum illam Constitutionem, vel Ordines singularum Provinciarum ei exactiōni non restitissent, ut, ex fide data, resistere non debebant. Sed cessatum est ab eo anno 1639. maximo Reipublicae detrimento. Quod cum animadverterent Ordines Hollandiae, 2. Maj. 1663. decreverunt (14) curaretur apud Ordines Generales, ut d. §. 23. Foederis Utrecht. & ea Constitution 13. Jul. 1579. denuo in usum revocarentur. Sed quum plurimi Ordinum sint reliquatores, nunquam, credo, id obtinebitur apud Ordines Generales, & minus adhuc apud singulas Provincias. Praestitisset forte exercere d. §. 23. & d. Constitutionem, quam rogare, ut de novo quid fanciretur, neque enim liquet, abrogatum esse id jus, quo Respublica ex mutuo pacto constanter usā est, & sine quo, si verum amamus, vix est, ut ipsa Respublica salva esse possit. Tantum quoque temporis non effluxerat ab anno 1639. ut non usu abolitam possis credere illam Constitutionem anni 1579. Sed quid prodesset voluntas exercendi ejus juris, si, rupta pactorum fide, reniterentur Ordines singularum Provinciarum,

(12) Exstat separatum inter *Collectanea mea* hac inscriptione: *Antwoede van de Ridderschap, Edelen en meeste Steden van Holland op de Remonstrantie van den Grave van Leycester.*

(13) Separatum, & inter *Acta Ordinum.*

(14) *Resolution van Consideratie ten tyde van de Wt d. p. 671.*

rum, &c, quo magis reliquatores sunt, eo magis reniterentur. Justus sic metus erat, ne ipsi illi Ordines, eorumve apud Ordines Generales delegati, pro debito Provinciae suae exigerentur. Nemo quoque Ordinum pateretur subditos suos in sua Provincia exigi, quin nec alios ex alia Provincia, ne sibi scilicet suisque simile quid accideret in ea Provincia, cuius subditus apud se exigeretur. Et quis exigeret Ordines reliquatores. Consiliarii, inquires, Ordinum Generalium, quibus cura Aerarii publici, & ipsa quoque exactio tributorum, in quae consenserunt Ordines, demandata est. At illi in singulis Provinciis neque Imperium habent, neque Jurisdictionem ullam, & arma virosque adhibere, invitatis Ordinibus, nunc non licet. Quoquo igitur te vertas, si reluctentur Ordines, difficilis, quin potius nulla est tributorum executio, & nulla erit in posterum, nisi singuli Ordines jure exigendi, secundum illam Constitutionem 13. Jul. 1579. cedant Consiliariis Ordinum Generalium, sed, cum haec Constitutio ob has, quas dixi, rationes sensim sine sensu exoleverit, & nunc majus, quam olim, sit aes alienum, quod singulae Provinciae arcae communii debent, ea cessio magis speranda, quam exspectanda est. De jure exigendi tributa, in quae consensum est ab Ordinibus, existant tres elegantes epistulae (15), quas Consiliarii Ordinum Generalium ad eosdem Ordines scripserunt 14. Dec. 1716. & 18. & 27. Jan. 1717. grandes quidem, non tamen verbosae, ut & exstat nova executionis formula, a delegatis Ordinum Generalium, eorumque Consiliariorum composita 12. Apr.

1721.

(15) Separatim & inter A*ll* Ordinam.
Tom. V.

1721. (16) & eodem die ad singulas Provincias transmissa. Sed quamvis ea formula sic satis justa sint, ut tamen ab Ordinibus probaretur, nondum obtineri potuit. Nihil igitur adhuc ea in re profectum est.

Interea vides, Ordines singularum Provinciarum pro debito communi cujusque Provinciae obligasse subditos suos, eorumque bona in solidum. Et recte, quia Ordines, quod ad tributa, vel erant sui juris, vel utique prae se ferebant. Sane Principi id licere, nemo diffitebitur, nisi qui nescit, quae sit ratio summi Imperii. Sed quod Principi licet, non continuo licebit Curatariibus alterius cujusque Universitatis, ut sunt Magistratus singularum Urbium. Et tamen his idem licere, ex facto se respondisse memorat Busius ad d. l. 7. §. 1. ff. *Quod cujusque Univers. nom. & sic quoque alias, de jure consultus, respondet Consil. Holl. T. II. Consil. 84.* Quin & Judices Leidenses 1. Sept. 1578. & ex appellatione Curia Hollandiae 5. Nov. 1579. (17) quemdam, pro debito Civitatis detentum, in solidum damnarunt, non alia ratione, quam quod Magistratus, Universitatis nomine, obligationem contraxerat. Similiter eadem Curia judicavit anno 1588. & etiam, in causa appellacionis, Senatus Supremus 18. Sept. 1590. (18) Sed puto vitiosa esse illa *Responsa*, & vitiosas quoque esse illas *Sententias*, quia Magistratus suo jure non recte obligat Cives suos, & privata eorum bona. Et sic etiam alii rectius responderunt *Consil. B. T. IV. Consil. 57.* *Suo, inquam, jure, nam si Princeps id iis concesserit, aliud dicerem, quia ex ejus auctoritate obligatio tunc censenda*

(16) Rursus separatim & inter *Acta Ordinum*.

(17) *Decis. mixt. 71.*

(18) *Ibidem Decis. 170.*

da est. Aliud quoque dicerem, si Cives, in hanc rem
coacti, ejusmodi obligationi consenserint, sic enim na-
scitur sponsio Civitatis, & ex ea sponsione singuli obli-
gantur. Atque id ipsum est, quod non obscure indicant
Consultores d. Consil. B. T. IV. Consil. 57.

C A P U T X I V.

*An liceat Urbes, earumque moenia exstruere, refi-
cere, extendere, munire sine consensu Principis?*

Muros exstruere non licet sine auctoritate Principis,
adeo ut neque apud Praesidem sit ejus rei potestas
inconsilio Principe, ut est apud Modestinum in l. 6.
ff. de Oper. publ. de reliquis Operibus publicis tantun-
dem dicit in d. l. 6. Quod sic intelligendum, si sumptu
publico exstruantur l. 3. §. 1. ff. Eod. alioquin sub qui-
busdam cautionibus permittit d. l. 3. pr. Quae moenia,
eadem & aliorum Operum publicorum est ratio: unde
& apud varios Auctores promiscua est earum vocum sig-
nificatio, ut observavit Salmasius ad *Histor. Aug. Scrip-
tores* in *Commodo C. 17.* Atque inde templum, ut in
Colonia Tarraconnensi strueretur Angusto, non nisi pe-
tentibus Hispanis concessum esse scribit Tacitus *L. I.*
Annal. C. 78. & Prusensibus a Trajano data potestas
exstruendi novum balneum, ut refert Plinius *L. X.*
Epist. 24. & 25. Nec aliter obtinuit apud antiquos Hol-
landos. Quare Philippus Burgundus Westerwoudanis
Curiam exstruere permisit 29. Nov. 1444. (1) Idem-

que

(1) *Handboeken van Westwoude* p. 37.

que idem permisit *rois* in Sybekarspel en Benningbroek 27. Sept. 1462. (1) Exstat etiam privilegium Philippi II. Hispan. Regis, quo Alkmariensis 4. Nov. 1557. novam Zugostasiam habere concéssit (3). De novis Ecclesiis exstruendis varia quoque sunt Hollandiae Gravionum privilegia, quae nunc non recenzeo.

Sed haec quidem de Operibus novis, semel enim extorta, sine consensu Principis, reficere licere, ecquis dubitare ausit? Aedes labantes Deorum, muros Urbium, ruinam minitantes, reficere, fulcire, & quovis modo tueri, ad Magistratum curam cum maxime pertinet. Quemadmodum olim Aediles Romani, quemadmodum alibi alii Magistratus, varie appellati, Opera publica sarta tecta conservarint, & adhuc conservent, non est, qui ignorat, ullus. Eam Magistratum esse curam sola ratio persuaserit, sed, si auctoritatem desideres, ecce Imp. in l. 5. C. de Oper. publ. postquam negaverant, sumptu publico Opera nova, sine auctoritate sua, exstrui oportere, nominatim addunt: *ea tamen instaurandi, quae jam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, universis licentiam damus.* De muris tamen contradicere dices Ulpianum in l. 9. §. 4. ff. de Divis. rer. & qual. cum ait, *muros Municipales nec REFICERE licere sine Principis aut Praefidis auctoritate.* Scrupulum habet ille locus, sed vulgo non animadversum, quae sive ejus Interpretem idoneum, at non inveni. Quidni muros, qui collabuntur, reficere liceret sine auctoritate Principis vel Praefidis? Cave existimes, in *muris* vel in *muris Municipalibus* esse hic aliquid, quod singularem

(1) Handvesten van Sybekarspel en Benningbroek p. 43. A.

(3) Handvesten van Alkmaar p. 45.

larem notionem desideret. Quid igitur? ego per muros *reficere* in d. l. 9. §. 4. potius intellexerim muros, ex qua causa antea dejectos, rursus *exstruere*: ut licuerit quidem muros labantes *reparare*, *et reparare*, sed non licuerit destructos *de novo facere*, *avans*, absque auctoritate Principis aut Praesidis. Vox *avancare* hic est cum in Basilicis, tum in Scholiis, & *instauracionem* significat. Fac igitur muros auctoritate Principis dirutos, vel ex Pacto cum alio Principe, qualia Pacta inter finitimos Principes saepe intercedunt, vel jure victoriae, ut muri Hierosolymorum diruti apud Tacitum L. V. Histor. C. 9. vel in modum poenae, contra Urbes rebelles exercitiae, eos non licebit *avans*, *rursus exstruere*, nisi adhibito Principis aut Praesidis consensu.

Sic interpretor *reficere* in d. l. 9. §. 4. & sic, quod Ulpianus dixit, rationem habet, quam alioquin non haberet. Exemplum, ex recentiori historia, praebent Alkmariani nostri in Hollandia Boreali. Hi a Philippo Burgundo, ob rebellionem, olim damnati sunt, ne portas vel munitiones habere vellent. Cum tamen invadi metuerentur, Curia Hollandiae 8. Jul. 1445. (4) ejusdem Philippi nomine, Magistratui concessit, Urbem suam portis claudere & munire liceret, manente tamen condemnatione, ut nempe rursus tollerentur portae & munitiones, simulac imperatum esset. Quod autem de Praeside ait d. l. 9. §. 4. forte accipiendum est de eo casu, quo id Alkmarianis permisit Curia Hollandiae (quae & ipsa putat se Praesidis officio fungi) si scilicet hostium metus urgeat, ceteroquin ea res Praesidis potestatem excedit, ut modo dicebam ex d. l. 6. ff. de Oper. publ. Atque

(4) Handvellen van Alkmaar p. 22.

286 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

que illa Philippi Burgundi sententia contra Alkmariam, tanquam Urbem rebellem, lata mihi videtur causam dedisse, quod in Edicto Caroli V. II. Oct. 1531. (5) & in alio ejusdem 18. Jan. 1549. (6) §. 12.ea, quae clausis Urbibus ibi tribuuntur, nominatim quoque porrigan-
tur ad Hagam & Alkmariam, & ipsa Alkmaria post Hagam commemoretur. Ut sic non tam jure suo, quam precario Haga & Alkmaria jura Urbium exerceant, neque scio, an meliore jure nunc Alkmaria exerceat, cum abolitam esse illam Philippi sententiam nondum compre-
rerim. Hoc compri, Alkmariam, non secus atque alias Hollandiae Urbes, jura Urbium perfecte exercere.

Sane extendere & proferre Urbium & Oppidorum moenia, injussu Principis, Magistratibus non licet; idque & in Hollandia observari JCti Hollandi scribunt (7). Duplex eius rei mihi videtur esse ratio, altera, quod non recte proferamus moenia, quin simul occupemus privatorum fundos, moenibus vicinos, quod Magistratum potestatem longe lateque excedit; altera, quod solius Principis sit curare, ne vetera Urbis munita, prolati moenibus, absorbeantur, si autem, exstruantur nova ad arcendos, si ingruant, hostes vel latrones. Pri-
vilegiis igitur Principum in hanc rem opus est, quemadmodum & haec in Hollandia variarum Urbium Magistratus implorasse & impetrasse, ex Actis publicis constat. Sic Albertus Bavarus Amsterdammensibus anno 1386. potestatem dedit (8), si necessitas postularet, *de vryheid van haer Stede te mogen meer en uytsetten tot bon-*

(5) Plac. I. 2. 47.

(6) Ibidem II. Append. p. 2060.

(7) Van Leeuwen ad Peckium de Arrestis C. VI. n. 6.

(8) Handvesten van Amsterdam Edit. 1663. p. 6.

bonderd garden toe. Unde & Statutis Amsterdammensium continetur (9): *zoo wes buyfinge en erve die Raden bebben willen ter Stede behoeft, of ter Kerken behoef, dat zullen die Raden van der Stede bebben tot 's Gerechts seggen.* Etiam recentiora quaedam privilegia Amsterdammenses in hanc ipsam rem obtinuerunt ab Ordinibus Hollandiae, ut 10. Maj. 1594. (10) & 7. Aug. 1609. (11) quo postremo privilegio generaliter & indistincte id iis permisum est. Idem Albertus Bavarus Leidensibus quoque 15. Jun. 1386. privilegium dedit (12), ut iis occupare liceret privatorum fundos extra Urbem, ad eam scilicet muniendam & cingendam, sed simpliciter ad extendendam Ordines Hollandiae 6. Maj. 1611. (13) Unde & Legum Leidensium §. 47. idem iisdem fere verbis continetur, quod Statuto Amsterdammensi, cuius verba sic exhibui. Alkmariano Magistratui Ordines Hollandiae idem permisere 17. Mart. 1598. (14) & id ipsum quoque habet §. 44. Consuetudinum Alkmar. (15). Atque ille ipse Albertus Bavarus, qui Amsterdammensibus & Leidensibus priora illa privilegia dedit, Weespensibus etiam anno 1401. concessit (16), *der Stede vrybeyd te moghen meeren en langen 50. Roeden.* Quum tamen Haarlemenses anno 1671. Urbem suam extenderent, nullam ullius privilegii mentionem factam vidi (17).

An

(9) *Handvesten van Amsterdam* Edit. 1663. p. 197. n. 7.(10) *Ibidem* p. 98. n. 3.(11) *Ibidem* p. 104. n. 9.

(12) Van Leeuwen ad Peckium de Arrestis d. C. VI. n. 6.

(13) *Plac. Holl. T. I.* p. 371.(14) *Handvesten van Alkmaar* p. 69.(15) *Ibidem* p. 77. A.(16) *Handvesten van Weesp* p. 3.(17) *Hollandsche Mercurius* 1671. p. 121-125.

An inconsulto & invito Principe Arces exstruere vel Urbes munire liceat , non usquequa videtur constare. In Mandato criminali , quo Dynasta Orangius 19. Jan. 1567. (18) ad tribunal Ducis Albani vocatus est , inter alia ei objectum , quod Comiti Brederodio Vianae munienda auctor fuisset. Cui Orangius Apologia sua , anno 1568. edita (19) , respondit , in Belgio semper licuisse Toparchis loca sua munire , & quam plurima ejusmodi munitionum exempla extare. De Viana nihil definitio , quia haec tunc & deinceps , donec ab Hollandis empta est , sui juris esse dicebatur , sed quod Orangius ait de universo Belgio , forte referendum ad antiquiora tempora , quibus ipsa Hollandia erat scissa in diversa Imperiola , quae singula erant sui juris , & proprio Marte bellum gerebant , atque ita & se muniebant contra vicinos ingruentes. Postquam autem haec Imperiola coäluerunt & in unum Principem concederunt , ego non ausim , iussu ejus Principes , Magistratibus & Toparchis tribuere potestatem muniendi Urbes vel alia quaecunque loca. Quid enim si muniunt adversus ipsum Principem ? id utique nullo jure licet , & de eo constituere solius Principis est. Vix etiam fiunt munitiones , nisi occupatis privatorum aedibus vel fundis , atque haec occupare solius quoque Principis est , vel , ut supra dicebam , Magistratus ex solo Principis privilegio.

Inde esse opinor , quod apud Romanos in Provinciis non licuerit nisi proprios fundos muro cingere *I. 10. C. de Aedific. priv.* & quod & his tantum fas sit possidere Castella , quibus adscripta sunt , neutquam vero privatis

(18) Bot Nederl. Oorlogen , Append. van Authentique Stukken T. I. p. m. 16.

(19) Idem Ibidem p. m. 17.

tis l. 2. C. de Fund. limitr. & quod Magistratus saepe prece, saepe & pretio ab Imperatoribus obtinuerint potestatem Urbes suas Muniendi. Judaei certe, per avaritiam Claudianorum temporum, empto jure muniendi, muros struxere in pace, tanquam ad bellum, ut auctor est Tacitus L. V. Histor. C. 12. Et inde est, quod Ludovicus Bavarus Imper. IV. anno 1322. Godefrido, Comiti Chiniacensi, singulari privilegio, in rei fortiter gestae praemium, permitterit Arcem condere intra fines Imperii (20). Huc quoque referto, quod Stephanus, Anglorum Rex, Nobilibus in Anglia, per modum privilegii, concederit Castella exstruere, quibus tamen deinde adversus ipsum Regem usi sunt. Quo periculo cautior factus Henricus II. illa, permisso Stephani, exstructa Castella, iterum evertit (21). His convenit privilegium, quod Wilelmus Bavarus 15. Maj. 1355. Dordrechtanis dedit in haec verba (22): *dat niemand binnen onsen Lande van Zuyd-Holland Vesten ofte Borgten maken mag, voorder dan twee Roeden voeten dicke, 't en ware op die palen of op die kant van onsen Lande, en dat by onsen wille, en tot onser behoef.* Cui privilegio simillimae sunt d:l. 10. C. de Aedific. priv. & d:l. 2. C. de Fund. limitr. quod nempe liceat proprios fundos muro cingere, sed non habere Castella in usum privatum. Quum vero, ut jam indicavi, extensiones & munitiones Urbium saepissime occupent privatorum aedes & fundos, jus illud occupandi, soluto ex arbitrio boni viri pretio, privilegiis, quae Magistratus impetrant, fere insertum est, ut privilegio Leidensum 15. Jun. 1386. & Amsterdammensium

(20) Apud Burgundum Histor. Bavar. L. I. p. 16.

(21) In Floro Anglico p. 21. 22. & 27.

(22) Oudenhoven Zuyd-Holland p. 414.

295 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

sium 10. Maj. 1594. cuius utriusque supra memini. Si pri legio indigeant Urbes, quae jus suffragii habent in Comitus Ordinum, ecquid judicabis de iis, quae jus suffragii non habent? saepe tamen & de harum munimentis tumultuose turbatum est, sed haec omnia commemo-
rare longum esset.

C A P U T X V.

*De Dominio eminenti nonnulla, & de refundendo
pretio eorum, quae jure ejus dominii occupantur.*

Illa potestas, qua Princeps supra subditos eminet, dominium eminent vel supereminens appellant Scriptores Juris Publici, sequenti Grotium, qui ita praeivit *L. I. de Jure B. & P. C. 3. §. 6. n. 2. & L. II. C. 14. §. 7. & 8.* Adsentior tamen Thomasio ad Huberum *de Jure Civitatis L. I. Sect. 3. C. 6. n. 38.* existimanti, rectius dici Imperium eminent, quam dominium eminent: nam quicquid ejus juris exercent Principes, proficiuntur a suprema eorum potestate. Unde Seneca, cum hoc jus exprimeret, potestatis voce usus est *L. VII. de Benefic. C. 4. Ad Reges*, inquit, *potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.* Potestas illa eminent porrigitur ad personas & bona subditorum, & facile largientur omnes, ea sublata, Civitatem salvam esse non posse. Ex ea potestate bellum indicitur, pax pangitur, foedera ineuntur, tributa & vectigalia imperantur, subditi eorumque bona, etiam in solidum, obligantur, quin & occupantur res singulorum, si ita vitium fuerit Principi. De ea Principis potestate nemo, qui sapit, dubitavit unquam, sed

sed de finibus ejus regundis omnis disputatio est. Si fin-
gas Principem, cui, quod libet, licet, frusta disputa-
mus, sed de eo agimus, qui bono publico consulit, &
eorum, quae decernit & imperat, rationem reddere
posset, si deberet. Justus Princeps ipse Imperio suo ter-
minum statuit, nec extimescit aliorum de finibus ejus re-
gundis judicium. Priusquam autem hos recte regas, re-
censendae omnes species Imperii eminentis, de singulis
deliberandis & caute pronunciandum est. An id praef-
titerit Jacobus Andreas Crusius, Reipublicae Mindenis
Syndicus, *Tractatu Historico-Politico-Juridico de Praeë-
minentia Dominio Principis & Reipublicae in subditos,*
eorum bona ac jus quaesitum, malim te ibi legere, quam
ex me intelligere. Exstat ille libellus inter ejus *Opuscu-
la varia*, quae Mindae prodierunt anno 1668. Si ex-
cuterem, quaecunque illi dixit, modum, quem mihi
praescripsi, excederem, & simul Augiae stabulum pur-
garem.

De ea specie duntaxat agere constitui, qua Princeps,
ex Imperio eminenti, subditis auferat jus quaesitum, sive
id consistat in re mobili, sive immobili, sive in actione.
Id Principi licere inter omnes constat, sed non aequa
constat, ex qua causa liceat. Pufendorfius *L. VIII. de
Jure Nat. & Gent. C. 5. §. 7.* ubi de eo jure Principis
agit, existimat, *dominio eminenti locum non esse, nisi
Reipublicae NECESSITAS requisiverit*, ita tamen, ut
postremum necessitatis gradum non desideret. Grotius
sola utilitate contentus est *L. II. de Jure B. & P. C.
14. §. 7.* nam, ut jus quaesitum subditis auferatur *ex vi
supereminentis dominii, primum, inquit, requiritur,
UTILITAS publica, deinde, ut, si fieri potest, com-
pensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi.* Et mox

292 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

§. 6. *Subditorum jus ei dominio subest, quatenus publica UTILITAS desiderat.* Sane verissimum est, ex utraque causa, tam necessitatis, quam utilitatis id jus & olim exercuisse Principes, & nunc passim exercere. Sed & saepe utilitas in necessitatem incidit, ut non facile hanc ab illa distinxeris; quodque alius utilitatem, alius necessitatem appellabit. Ipse non intercedo, nec scio quemquam intercedere, quominus Princeps ex utraque causa eo jure uti possit. Quia autem res est invidiae plena, jus quae situm cuiquam hominum auferre, oportet Principi semper succurrat,

Non modo quid liceat, sed quid fecisse decebit.

Succurrat & modestia Augusti, qui, ut narrat Suetonius in ejus *Vita C. 56. forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.* Succurrat etiam moderatio Senatus Romani, qui, cum Respublica solvendo non esset, maluit agros publicos vendere, quam Creditoribus suo die non solvere pensiones, quas debebat, ut est apud Livium *L. XXXI. C. 13.* Denique succurrat, eo jure Imperii eminentis prudentissime utendum, non temere abutendum esse, temere autem abuti Principem, si non idonea ratio in hanc rem cogat, & si plus auferat, quam omnino necessarium est vel utile in rem publicam. Sin autem urgeat ratio idonea, quicquid auferat, auferet quam minimo subditorum detimento, & soluto, ex arca communi, pretio. Qui aliter in animum induxerit suum, praedo potius est, quam Princeps.

Quod dixi de ratione idonea, interpretationem desideraret, si jam non intelligeres, quicquid ejus rei est, ad necessitatem vel utilitatem publicam esse redigendum. Si, ut Grotius ait, id jus exercere liceat ex utilitate publi-

publica, multo magis licebit ex necessitate publica, salus enim populi suprema lex est. Viae publicae utique necessariae sunt, cum sine his nec commeare, nec commercia frequentare liceat. Quid igitur, si via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa sit? Vicinum proximum viam praestare debere, ex Cassio scribit Javolenus in *l. 14. §. 1. ff. Quemadmodum servit. amitt.* Tantum fundo vicini proximi detrahetur, quantum ad viam sufficit, idque exigit necessitas publica. Sed utilitatis publicae appellatio quousque porrigitur? Procul dubio ejus rei arbitrium penes ipsum Principem est, sed quaerimus, quousque, salvo viri boni officio, porrigere possit? nolim commemorare mille species utilitatis publicae, quae incidere possint, & de singulis ire in consilium, suffecerit quasdam indicare, de quibus inter omnes constat, & ab his disce reliquas. Potestas eminens utique exerceri potest ad occupanda ea, sine quibus Opera publica, templa forte & fora, exstrui non possunt. Atque inde est, quod privati, etiam inviti, ad ejusmodi Opera, domos suas teneantur vendere *l. 9. C. de Oper. publ.* Si id noluerit Augustus, ejus modestiae tribuendum est. Nulla Civitas est, quae non Opera publica desiderat, & si ad haec exstruenda liceat privatorum domos occupare, multo magis licebit per eorum fundos canales fodere, ad usum navium, & ad extendenda vel munienda Urbium Oppidorumque moenia privatorum aedes diruere, agros vindicare, &, quicquid obstat, amovere. Ex iis fane causis non tantum ipse Princeps recte exercet jus Imperii eminentis, sed & eo, datis privilegiis, recte cedit Urbium Oppidorumque Magistratibus, ut declarant exempla, quae attuli *Capite proximo.* Haec autem omnia an ad necessitatem, an ad utilitatem publicam refe-

294 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ras, nihil quicquam ad me, qui ex utraque causa Principi id jus largior; tracentur de eo alii, quibus placet verbis ludere, nam, ut dixi, in re ipsa consentiunt omnes. Munitamenta utique exstruimus, non tantum appropinquante hoste, sed & media pace, & utroque tempore pari jure licet. Etiam media pace id exigit necessitas Reipublicae tuendae, quia tumultuaria munitamenta, quae appropinquante hoste fiunt, ei repellendo non solent sufficere.

Sed, ut factorum, ita & judiciorum magna est diversitas. Quod aliis necessarium, aliis ne quidem utile videbitur. Fac, Principis libertatem periclitari, si non exerceat Imperium eminens? & sic ipsi sedere, aliis non sedere? In Zelandia haud ita pridem haec res magnis animis acta, neque inter Provincias Foederati Belgii adhuc transacta est. Zelandiae Ordines ex hereditate Wilhelmi III. Dynastae Orangii, jus aliquod Feudale, quod ipse habuerat in Veram & Vlissingam, occuparunt, Decreto in hanc rem facto 17. Nov. 1732. (¹) Verebantur scilicet Ordines, ne Wilelmi heredis heres, si Vassallus esset, exercendo illud jus Feudale, libertati suae obrepereret. Ille contra censem, & quum pretium, quod Ordines pro abolito eo jure ei numerare parati erant, nollet accipere, depositum est. Interim possident Zelandi, quo exitu, dicat, qui vates est. Zelandorum partes sequuntur Hollandi, & ex Foederatis alii. Alii rursus de injuria Zelandorum prolixe queruntur, & in utramque sententiam extant libelli, satis animose conscripti. Prudentiae erit, ne hic exponam, an in ea causa ratio ejus juris occupandi satis fuerit idonea, nec ne,

neque

(1) Exstat separatim & inter Acta Ordinum.

neque etiam caperet hic locus, quicquid est ejus argumenti.

Qui, ut Imperium eminens exerceri possit, necessitatem vel utilitatem publicam desiderat, ut ipse desidero, reliquas causas, sine exceptione omnes, excludit. An igitur, ut subditus re sua carere tenetur ex utraque, quam dixi, causa, ita quoque tenebitur; ex causa voluptatis vel amoenitatis publicae, vel etiam ex causa solius ornatus publici? non putaverim, neque etiam putavit Senatus Romanus in causa M. Licinii Crassi, nolentis per fundum suum derivari aqueductum, quem moliebantur Praetores, quique non aliam, quam voluptatis & ornatus causam habere dicebatur. Rationes in utramque partem & Decretum Senatus retulit Auctor *Disquisitionum Politicarum Casu XXXI.* Ita quidem censuit Senatus Romanus, sed alia sententia usus est Wilelmus I. Dynasta Orangius, in Diplomate, sub nomine Philosophi II. Hispaniarum Regis, edito de institutione Academiae Leidensis 6. Jan. 1574. (2) eo quippe concessit Magistratui Leidensi aedes, aliaque loca publica privatae, solito dominis privatis pretio, quounque tempore destruere & occupare, non modo ad Academiae exstructionem, sed & ad ornamentum aut Studiosorum voluptatem, tot cieraat der zelve, en de recreation der Studenten eenig sints dienlyk, behoudelyk dat zy luiden gebouden worden de particuliere eigenaars of besitters van de private buyzen alleenlyk te vergenoegen tot schattinge van Schepenen. Hac Juris publici prudentia ego non uterer, nec usus est Senatus Romanus in causa Crassi, nec etiam usus fuisset Augustus, non ausus, ut dixi, dominis

(2) Plac. III. 3. 7. 1.

296 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nis extorquere domos, ubi longe major erat ratio.

Ex quacunque autem causa res vel actiones subditorum ad bonum publicum occupantur vel destruuntur, aequum & justum est, quod addit Grotius *d. loc.* pretium dominis e publico esse resarcendum. Atque ita Tiberius subvenit Pio Aurelio Senatori, questo, mole publicae viae, ductuque aquarum, labefactas aedes suas, ut memorat Tacitus *L. I. Annal. C. 75.* Et in *d. l. 9. C. de Oper. publ.* definitum est, si qua domus ad Opus publicum diruatur, ad quam summam ejus pretium aestimare possit Magistratus, sin autem major summa impendenda sit, ipsius Principis esse aestimationem. Quin omnibus fere Privilegiis & Consuetudinibus, *Capite praeced.* enumeratis, insertum est, si Magistratus ad necessitatem vel utilitatem publicam privatorum aedificia vel praedia occupaverit, dominis pretium esse refundendum aestimatione Judicium, vel boni viri arbitratu; plane ut in diplomate Wilemi I. cuius sic memini.

Tantundem dicerem, si, ad hostem arcendum, aedificia suburbana comburantur vel prosternantur, & ita quoque judicavit Curia Frisiae 17. Maj. 1611. (3). Perperam contradicitur ex *l. 49. §. 1. ff. ad L. Aquil.* quia nihil ait ille §. 1. quam cessare Aquiliam in ea specie, ubi damnum non est datum *injuria*, & id habet rationem, cum Aquilia sit poenalis; Aquilia igitur excluditur, de structis ob bonum publicum privatorum rebus, sed non excluditur actio in factum ad verum rerum destructarum pretium.

Quare nec indistincte probarem aliam ejusdem Curiae Frisicae sententiam, latam 20. Dec. 1623. (4) qua pre-

tiuum

(3) Apud Sande *Decif. Prifsc. L. V. 7. 3.*

(4) Apud eundem *L. 7. 4.*

tium pomarii suburbanii, ne hostis in eo lateret, exstirpati, negavit dominis, eadem namque rationes, quae militant pro pretio domus combustae, militant quoque pro pretio extirpati pomarii. Sed hoc solo forte iusta est d. sententia 1623. quod pomarium, de quo agebatur, tunc temporis pertinuerit ad eum, qui deserta Patria ad hostes transferat. Scio Peckium ad C. 18. & C. 79. *de Reg. Jur. in VI.* ubi ea ratio singularis non erat, sic tamen sapuisse, & in alia causa respondisse, ut judicavit Curia Frisiae d. 20. Dec. 1623. Scio & hanc sententiam probasse Crusium *de Dominio praeëminentis Principis* C. 5. quod nempe, qui aedificia vel pomaria suburbana exstruunt, versentur in re illicita, atque ita damnum, quod sentiunt, sua culpa sentiant. Sed ego Legem non novi, quae generaliter prohibeat aedificia suburbana exstruere, nam l. 14. C. *de Oper. publ.* ad quam provocari video, est de *parapetais*, hoc est, de iis, quae Operibus publicis annexa & affixa sunt, ut recte explicavit Jacobus Gothofredus ad l. 39. C. *Theod. d. Tit.* Haec exstrui vetantur propter metum incendii, aliasque rationes quas ibi, si commodum est, leges.

Si qua vero Lege vetitum sit prope Urbem aedicare, & tamen aedificatum sit, aedificia, quandocunque placuerit, recte destruuntur, non modo non resiso pretio, sed & commissa poena, contra facientibus statuta, ut palam cautum est §. 79. LL. Leidens. Et cum Alkmariani petiissent, aedificia intra 200. perticas a munimentis suis ne exstruerentur, & exstructa tollerentur, Carolus V. constituit 15. Sept. 1528. (5) ne quis exstrueret intra 100. perticas, sed, quae exstructa essent, manarent.

(5) Handvesten van Alkmaar p. 32. & 33.
Tom. V. Pp

rent. Rursus Wilelmus I. Dynasta Orangius, 26. Oct. 1573. constituit (6), ne quis intra 600. perticas a moenibus Alkmariensis aedificia exstrueret, si autem, Magistratui, quando videretur, liceret destruere. Si destructio pendeat ab arbitrio Magistratus, neque praescriptione in hac causa proderit, quemadmodum neque hanc in similibus prodesse, satis intelligimus ex *I. 6. C. de Oper. publ.* Quin & saepe permittuntur exstructiones prope Urbem, sed ea lege, ut aedificatores eas teneantur tollere suo sumptu, simulac Magistratus iussit; & sic est in privilegio quodam, quod Philippus II. Amsterdamensibus dedit anno 1556. (7) idque apprime convenit antiquis Amsterdamensium Statutis 22. Apr. 1399. & ult. Mart. 1401. Huc etiam pertinet privilegium Schoonhovensem 14. Mart. 1549. (8) ex quo pretium arborum, quae extirpanda erant, solvitur iis dominis, qui tunc arbores habebant prope molas aquarias, sed qui postea plantarent, eorum sumptu ernerentur, addita etiam contra facientibus poena.

Atque haec quidem in hisce causis. Sed quidni generaliter statuamus, omne damnum, quod privati ferunt pro necessitate vel utilitate communi, commune, & proinde ex arca publica resarcendum esse? Ita sane responsum est *Consil. B. T. I. Consil. 182. in fin.* Sed quum anno 1672. ruptis aggeribus aqua in Hollandiam esset immissa ad areendos hostes, metuebat ille Consultor, ne Ordines damnum, agris datum, non resarcirent, quia, inquit, agris ad munitiones captis, nullum dominis pretium refunditur. Res ipsa vera est, ratio minus vera.

De

(6) *Handvesten van Alkmaar* p. 60. & 61.(7) *Hooft Nederl. Histor. L. II. p. 63. & 64.*(8) *Plac. II. 5. 9. 1. 98.*

De damno, per aquam immissam dato, non frustra metuit, non modo, quod ne tantum quidem Ordinum fuerit in loculis, unde aquae illud damnum refarcirent, sed quod id damnum videatur damnum belli vulgare, ut si placuerit ibi potius, quam alibi cum hoste conflare, castra metari, & quae sunt id genus alia. Damnum, quod oritur ex calamitate belli, oportet, ut omnes subditi aequo animo ferant, nec ejus ulla unquam fit restitutio. Sed quod ait Consultor, non refundi premium agrorum, qui muniendi ergo capiuntur, fortasse verum est fervente bello, quamdiu legibus silentium imponunt arma, aut cum munitiones sunt tumultuariae, & ad tempus, sed cum exstruuntur in perpetuum, id verum esse nondum potui animadvertere. Repugnant leges, quas *hoc & praecedenti Capite* attuli, repugnant mores, hic & alibi Gentium recepti. Hispani certe anno 1667. agris quorundam prope Bruxellas, muniendi causa, captis, publice edixerunt⁽⁹⁾, quantum damni quisque cepisset, ex Aerario publico reciperet. Recordor & Francos anno 1699. Argentorati idem edixisse. Sed ubique exemplorum abunde est.

(9) Aitzema *Hijstor.* L. XLVII. p. 635.

C A P U T XVI.

Ut solius Principis est crimina remittere, sic ejus solius esse videri, criminum impunitates publice promittere.

Ne ulla crimina remitterentur, publicae Disciplinae vigor exigebat, sed hunc, ob bene merita forte, aliasve causas, saepe subegit Reipublicae utilitas, quam

300 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

nec morose nimis aspernatus est Populus Romanus, virtutis alioquin verae custos rigidusque satelles. Sed turpissime deinde Gentes, tantum non omnes, eo jure sunt abusae. In Belgio sane olim in perniciosa Reipublicae frequentiam abivit remissionum licentia, inde fere nata, quod quam plurimi id jus exercuerint, ut observat & simul increpat Philippus II. Hispan. Rex, in §§. 15. 20. & 24. Edicti de Criminibus 5. Jul. 1570. Exercuerunt utique varii Toparchae, quin & Abbatissa Rynsburgensis, etiam 29. Aug. 1560. (1) Quod autem plurimi exercuerint, tribuo diversis Ditiunculis, ex quibus olim Belgium, & ipsa Hollandia constabat, & quarum pleraque sui juris erant; sed postquam hae in unum Principem cessere, ejus solius esse videbatur ea exercere, quae supra Leges sunt, & ad jura Supremae Potestatis pertinent. Unde & Philippus II. in d. §§. 20. & 24. Ed. de Crim. 1570. generaliter constituit, ne cuiquam liceret crimina remittere, nisi Comiti, Gubernatori Generali, vel denique ei, cui id specialiter concessum esset.

Sed ex quo Principatus Hollandiae & Zelandiae ad ipsos Ordines exesse pervenit, eorum est crimina remittere, & diplomata in hanc rem largiri, atque ita etiam utrique Ordines invicem pacti sunt 11. Jul. 1674. (2) An autem & quemadmodum olim Ordines hanc remittendi potestatem cum Dynastis Orangiis, qua utriusque Provinciae Gubernatoribus, communicaverint, & an hi, secundum Codicillos suos, eam exercuerint, non vacat nunc inquirere, contentus monere, extinctis Gu-

(1) Pars Catti Batav. aborig. p. 402.

(2) In §. 34. van het nader Provisoneel Accord.

bernatoribus, praeter solos Ordines in Hollandia & Zeelandia neminem esse, qui ullius delicti gratiam cuiquam facere possit. Et ideo videntur errare Magistratus, qui, cum juris duntaxat habeant exercitionem, imprudenter quandoque se in Principem erigunt. Huc pertinet, quod de Magistratu quodam relatum est (3), eum poenam mortis, antea decretam, mutasse, & reum duntaxat ad triremes damnasse, nam qui poenam mitiorem statuit, quam Leges imperant, delicti gratiam facit, idque solius Principis est. Huc quoque refero, quod Magistratus Groninganus anno 1662. proposito Amnestiae Edicto, seditionis quibusdam poenam remiserit, nam Amnestia non recte proficiscitur nisi a Summa Potestate, & ideo etiam Groningae & Omlandiae Ordinum delegati Judices illam Amnestiam, utpote a non Principe profectam, anno 1663. insuper habuerunt (4).

Sed an dicemus, Magistratum quoque potestatem excedere, si ad detegendos forte facinorosos impunitatem promittant consciis & sociis delicti? non excedere tam extra, quam intra Hollandiam scribi video (5). Et postquam Jcti auctoritate sua sic praeiverunt, facile sequuntur Judices, majores minoresque, hanc potestatem sibi promiscue adrogantes. Curia fane Hollandiae, cum Enchusae adversus Rempublicam ingens concitata esset seditio, 22. Oct. 1653. edixit (6), si quis ex seditionis detegeret illos & illos, haberet praemium 2000. florinorum, & insuper impunitatem delicti, si ejus fuisset parti-

(3) *Confil. Holl. III. Amsterd. Append. p. 10.*

(4) Aitzema *Hijstor. L. XLIII. p. 714.*

(5) Valdaura *Observ. V. C. I. §. 6. n. 187. & Bort Tractaat Crimineel T. XII. I. n. 28.*

(6) *Hollandsche Mercurius 1653. p. 99. & 91.*

particeps. Rursus cum quidam criminis reus, ope quo-
rundam, ex carcere evasisset, eadem Curia 19. Mart.
1660. edixit (7), tantum esset ejus, qui reum detege-
ret, praemium pecuniarium, &c., si delicti esset socius,
impunitas. Etiam mea memoria, in causa libelli famosi,
eadem Curia mense Novembri 1695. consciis & sociis
delicti, praeter alia nonnulla, impunitatem quoque pro-
misit. Sexcenta forte Curiae in hanc sententiam Edicta
exstant. Quin ipsi Urbium Magistratus haec exempla
sequuntur; atque ita Magistratus Amsterdammensis E-
dicto 16. Aug. 1650. proposito (8), praemium pecu-
niarium statuit, si quis detegeret auctorem vel im-
pressorem libelli famosi, in Amsterdammenses compositi,
promissa etiam impressori impunitate, si auctorem intra
octiduum indicaret. Ipse Magistratus Haganus Edicto
contra quosdam sicarios edito 21. Oct. 1699. impuni-
tatem quoque videtur inseruisse; *videtur*, inquam, pro-
misit enim nomen delatoris, et si criminis socii, celatum
iri, nomen certe ejus, qui in exemplum punitur, cela-
ri nequit. Alia ejusmodi exempla publicae Ephemerides
quotidie suggerunt.

Dubito tamen, an haec ullo jure ullave ratione defen-
di possint. Ego sane didici, omnem delicti gratiam,
ex quacunque demum causa fiat, proficisci oportere a
solo Principe, is & is solus est, qui gratiam facere po-
test, sive ex aliqua causa, sive ex nulla. Magistratus
gratiam facere non potest, ne quidem si is, de quo agi-
tur, patriam servarit. Judicis potestas non consistit nisi
in jure dicundo, atque ita absolvitur solo exercitio Le-
gum,

(7) Hollandsche Mercurius 1660. p. 31.

(8) Ibidem 1650. p. 40. & 41.

gum, in quas juravit. Unde & Ordines Hollandiae 27. Sept. 1668. decaeverunt (9), ne qui Judices in posterum sententiis suis infererent, *praefererende gratie voor rigeur van justicie*; cui simile quid in Francia esse observatum refert, & simul damnat Mornacius ad l. 11. ff. de *Jurisdict.* Non me latet, auctorem *Authenticae*, *Hodie C. de JUDIC.* de observatione Legum nescio quam differentiam statuere inter maiores minoresque Judices, sed illam *Authenticam*, sine ulla auctoritate, esse confitam, dudum ab aliis est animadversum. Apud nos utique omnes omnino Judices, etiam utriusque Curiae Senatores, ex formula jurisjurandi, in hanc rem praestiti, Legibus obligantur. Et secundum haec, cum quaestio incidisset de Senatu Supremo & Curia Hollandiae, Hugo Grotius recte dixit (10), non posse nisi absolvere & condemnare, Ordines autem, ex majore Potestate, posse uti aliis quibuscunque remediis, quae tranquillitati publicae magis conducunt. Qui impunitatem promittit & praestat, abrogat Leges, quae facinorosos punire jubent, ex causa enim privilegium largitur; quod si Judici liceat ex causa detecti facinoris, cur non & ex alia licebit? Poterit Judex indicii praemium promittere, sed pecuniarium, aliudve, quod ejus potestatem non excedit. Crimina autem remittere solus potest Princeps ex quaunque, quae eum movet, causa, sed ex nulla Magistratus, nisi praevia Principis auctoritate, quam, si sapit, implorabit, &, ad indicandos facinorosos, haud difficulter impetrabit.

Si qua vero Lex sit, quae ipsa, ob difficultatem indicii,

(9) *Plac. III. 1. 2. 44.*

(10) *Consil. Holl. T. III. Conf. 226. n. 98.*

dicii , consciis & sociis criminum impunitatem pollicetur , ne quidem praevia auctoritate Principis Magistratus indigebit , neque enim tunc intercedo , quominus publice hoc impunitatis praemio invitet & excitet quoscumque delatores , quibus forte ea Lex non innotuit . In causa furti crimen remittitur furi , si furem detegat ex § 6. Edicti Ordinum Hollandiae 12. Mart. 1614. facile igitur patior , ut Magistratus hanc impunitatem , quae ex Lege est , publice edicat , & pecuniaria quoque indicii praemia addat . In binis Decretis Ordinum Hollandiae , 28. Nov. 1733. & 1. Jul. 1735. factis contra varios libros famosos (11) , quibus non tantum privati , sed cum maxime Proceres praecipuae dignationis acerbe traducebantur , praemium pecuniarum , primo Decreto 2000. altero 4000. florenorum promittitur iis , qui autores vel impressores eorum librorum indicaturi essent , & simul additur indemnitas , si , qui indicarent , eodem crimen se polluissent . Nescio , cur Ordines , haec decretisse contenti , non etiam publice edixerint , hoc scio , secundum haec Magistratus potuisse publice promittere , quod privatim decretum erat : nam sine promulgatione quemadmodum haec praemia innotescerent Populo ? Edicta tamen in hanc rem a Magistratibus facta vel proposita esse non comperi , Curia sane Hollandiae nihil quicquam edixit , forte quod Ordines curam exequutionis mandaverint Advocate Fisci aliisque in Hollandia Accusatoribus publicis , quorum non est publice quid edicere , sed solius Curiae & Magistatuum , quibus tamen ea cura d . Decretis mandata non erat .

Si non praecedat vel sequatur Principis auctoritas ,
quae

(11) Appellabantur *Keur-Digten*.

quae indemnitati robur addat, vel indemnitas ex ipsa lege non descendat, puto nullas esse impunitates, vel ab utraque Curia, vel a Magistratibus Urbium promissas. Quam in rem observari velim hoc exemplum: Cum Amsterdami enorme & in hisce Regionibus inauditum facinus esset perpetratum, Magistratus Amsterdammensis, sine praevia auctoritate Ordinum, proposito Edicto, praemium pecuniarium promiserat, si quis ejus facinoris autores indicasset, promiserat & impunitatem, si, qui indicasset, flagitii esset particeps. Sed quia metuebat Magistratus, ne valeret impunitas, a non Principe promissa, mox adiit Ordines Hollandiae, petiitque, Ordines eam promissionem ex Summa Potestate confirmare vellent. Ordines autem facto Decreto 3. Mart. 1661. (12) jure Principis illam habuerunt ratam, quoniam, inquiunt, periculum fuerat in mora, neque tempore Edicti propositi Ordines erant congregati, satis eo ipso significantes, quicquid est ejus juris, ad se solos pertinere. Et memini Magistratum Amsterdammensem mensē Februario anni 1696. Edictum promulgare, quo 6000. florinorum praemium constituerunt ei, qui auctorem seditionis, proxime Amsterdami agitatae, detulisset, hoc addito, operam datum iri, si & delator inter eos autores fuisset, id ei impune foret. Vides, quae Amsterdammensium fuerit sententia annis 1661. & 1696. alia & forte melior, quam quae fuerat anno 1650. & de qua supra dixi. Sed noli dubitare, cum ipsi Ordines postiorem sententiam probaverint d. Decreto 3. Mart. 1661.

Resipuerunt deinde & alii nonnulli Magistratus. Haganus certe, multum mutatus ab eo, qui fuerat d. an-

no

(12) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit p. 517. & 518.*

no 1699. cum multis personis grassantibus exemplo opus essent, anno 1724. ab Ordinibus Hollandiae petiit, ut praeter indicii praemium pecuniarium, sibi quoque liceret impunitatem promittere consciis & sociis eorum maleficiarum, quae tunc frequentabantur. Quibus precibus annuerunt Ordines Decreto suo 15. Mart. 1724. (13) cui & insertum, ut eandem indemnitatem etiam Curia Hollandiae, ex auctoritate Ordinum, promitteret, ne forte putas, utramque Curiam id jure suo facere posse. Admiralitas quoque Amsterdammensis anno sequenti 1725. ab iisdem Ordinibus petiit, liceret Magistratui Amsterdammensi impunitatem promittere quod ad eos, qui incendium Operum publicorum ibi moliti erant, si focios ejus criminis deferrent; quod & ipsum concessum est Decreto 28. Jan. 1725. (14) Et quum Consiliarii Ordinum Hollandiae, Ordinibus non coactis, Ballivio Kennemerlandiae permisissent, impunitatem liceret promittere iis, qui publicanis quibusdam mortem erant minitati, si conscius & participes delicti detulissent, Ordines Decreto suo 14. Maj. 1727. (15) eam indemnitatis promissionem jusserunt esse ratam. Ad haec ipsi illi Ordines 22. Jul. 1729. (16) Rotterdammensibus & Ballivio Schielandiae indemnitatis promittendae potestatem dederunt, si quis, criminis socius, detulisset fures & effractores aedium & hortorum in Schielandia, & simul decreverunt, consuleretur Curia Hollandiae, an non expediret, in similibus delictis eandem potestatem dare omnibus Magistratibus quod ad agrum, sibi subjectum.

Curia

(13) Exstat inter Acta Ordinum Hollandiae.

(14) Ibidem.

(15) Ibidem.

(16) Decretum in hanc rem exstat ibidem.

Curia consulta respondit 12. Aug. 1729. Sed quid responderit, & an quicquam ejus rei sequutum sit, ex Actis Ordinum non potui animadvertere. Satis autem haec exempla declarant, quam prolixe errent Magistratus, qui proprio Marte promittunt impunitatem, quam praestare non possunt.

C A P U T XVII.

Judices extra territorium suum non recte existimare, nisi ex privilegio Principis.

Non tantum promissione indemnitatis Judices saepe egrediuntur notissimos Jurisdictionis suae terminos, ut modo probabam, sed multo etiam frequentius inductione exilii, ut nunc probabo. Optandum sane esset, ut omnes exilii inductiones ubique Gentium cessarent, nam, si verum amamus, quae eas defendat, nulla ratio est. Ut quis certo loco interdicatur, ubi forte metus est, ne ob potentiam, per consanguineos vel amicos, quos ibi habet, res novas moliantur, rationem habet, sic enim praestat eum alibi, quam ibi, commorari, sed nullam habet, ut quosque facinorosos ex Imperio vel territorio meo expellam, ne ibi in posterum delinquent, & tamen patiar eos delinquere in alieno vel Imperio vel territorio. Ego hominem nequam ejicio ex mea Ditione, qui sic abit in Ditionem vicini Principis vel Judicis, nam alicubi morandum est, dum vivit, & civis mundi est, & rursus vicinus Princeps vel Judex hominem nequam ejicit ex sua Ditione, qui sic secedit in meam, ubi degat. Ita uterque hominem nequam expulit, sed & uterque alium recepit. Quin fortasse unum ejicio, &

ex vicino Imperio vel territorio, quod meo longe majus est, tres recipio. Quod utique inutile est, & contra cognitionem, quam inter omnes Gentes ipsa natura constituit, si nempe, quod in una Civitate delictum est, delictum quoque sit in altera. Praestaret ejusmodi facinorosos ergafulis includere, quam, quia ab his mihi metus est, aliis obtrudere.

Sed quia hoc jure utimur, quaesitum est, an Judex ex suo duntaxat territorio, an & ex toto Principis sui Imperio exilium statuere possit? & posse ex toto, multis, qui JCti nomen ferunt, visum est, eaque sententia, quamvis ratione & auctoritate Juris destituatur, plerisque (1) tamen Hollandis placere potuit. Illustrē sane exemplum auris Batavae! Nec JCti tantum, sed & Judices ita sapiunt. Judices certe Hagani 24. Jun. 1679. quemdam, per contumaciam absentem, qui alium, ut inde moreretur, vulneraverat, ex tota Hollandia relegarunt, revertenti capitis suppicio statuto (2). Et sic quoque Judices fori Academicī, quod Leidae est, anno 1679. Studiosum quemdam inter alia damnarunt, non tantum ex Universitate exularet, sed & ex tota Hollandia (3). Sed, ut omnis jurisdictio, sic & omnis interdictio, extra territorium exercita, nullius plane momenti est. Tu putas, tibi paritum iri, si extra territorium jus dicas? non putat Paulus in *I. ult. ff. de Jurisdict.* Sed forte putabis, si non Magistratus alieni territorii, ex quo relegasti, tibi pareat, paritum certe ipsum facio-

(1) Van Leeuwen ad §. 3. *Consuetud. Rynland.* &c ad §. 3. *Edit. de Crimin. anni 1570.* Cabeljaauw in *Bello Jurid.* Casu 25. Consil. 2. Van Zuuk Cod. Batav. Verbo, Ballingen, in not. ad §. 2.

(2) Sententia exstat in *Bello Jurid.* d. Casu 25. in fin.

(3) *Hollandsche Mercurius* 1679. p. 278. & 279.

cinorosum. Falleris, Magistratus alieni territorii te contemnet, & ipse facinorosus ridebit albis dentibus, uterque, quod potestatem tuam porrigas, ubi omnino nulla est. Sed quid ex ratione disputamus, ubi ipsa juris auctoritas praesto est? ecce enim Juris Romani regula est, Rescripto D. Fratrum probata in l. 7. §. 10. ff. de Interd. & releg. *Interdicere quis ea Provincia potest, quam regit, alia non potest, nisi, ut ibi additur, & mox plenius dicam, aliud Principi placuerit.* Id ipsum & in Belgio obtinere, palam significat Philippus II. Hispan. Rex, in §. 63. Edicti de Criminibus 5. Jul.

1570.

Hollandi, qui dissentunt, suaviter philosophantur. Adjunt nempe, quemque Judicem, qui reum in exilium damnat, nomine & auctoritate Ordinum sententiam dicere, & cum horum in universam Hollandiam sit Potestas, etiam recte ex universa Hollandia relegare. Digna ipsorum acumine subtilitas! Omnes Judices ab Ordinibus jus dicunt; optime, sed si alter in alterius territorio jus dicat, repulsam latus est procul omni dubio. Competit jurisdictione ab Ordinibus, sed singulis Judicibus in eo territorio, quod iis adsignatum est, ultra non competit. Quod cum in ceteris rebus sit certissimum, de solo exilio cur nugas agunt? probent, si possint, in causa exili Judicibus in Hollandia majus imperium esse tributum, quam in aliis quibuscumque causis. Apud Mediolanenses quidam relegatus ex una Civitate censetur quoque relegatus ex toto Ducatu, quemadmodum testatur Julius Clarus L. V. §. Final. Quaest. 71. n. 11. sed in Hollandia id verum esse probabunt nunquam. Provocant quidem ad nonnullas Leges, sed eas mox ipse recensebo, ut ostendam, quae ibi statuuntur, non pro regula, at

310 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
pro exceptionibus esse habenda.

Nempe ut apud Romanos quibusdam permittebatur etiam extra territorium suum relegare, ut Praesidibus Syriacum & Daciarum l. 7. §. 14. ff. de Interd. & releg. sic & olim, & hodie Magistratibus nonnullis indulsum est, sive generaliter in omnibus omnino caulis, sive specialiter in atrocioribus & magis frequentatis, ut etiam ultra quam jus dicunt, relegare vel deportare liceat; sed haec esse ex privilegio ipsius Principis, exempla sequentia satis superque persuadebunt. Philippus Burgundus diplomate suo 14. Sept. 1447. Judicibus Hornanis permisit (4), die rebellen, die daar toen waren, die werf om deser sake wille, drie jaar te bannen uyt Holland en Vriesland. Et Carolus Audax-privilegio, quod 2. Sept. 1462. Enchusanis (5), & eodem die Hornanis (6), & Grootebroekanis (7) dedit, iisdem largitus est, ut quosdam, ibi commemoratos, in exilium dare possent, niet alleen uyt die Steden en baar vrydom, maar ook uyt het Ooster-balliuschap van West-vriesland. Sed haec quidem sunt privilegia temporalia, quaeque unice pertinent ad noxios, de quibus ibi agitur, alia autem exstant privilegia generalia & perpetua, quibus Magistratibus nonnullis datum est, ut etiam extra fines territorii sui quoscunque noxios possint proscribere. De Leidenibus memoratur (8) Alberti Bavari privilegium, quo iis anno 1343. concessisse dicitur, ut, quibus ipsi Urbe sua interdixissent, vel in perpetuum, vel ad tempus, universo Comitis

(4) Handvesten van Hoorn p. 91. & 92.

(5) Handvesten van Enchusen p. 33. & 34.

(6) Handvesten van Hoorn p. 95. & 96.

(7) Handvesten van Grootebroek p. 24. & 25.

(8) Apud Matthaeum de Criminibus L. XLVIII. T. 20. C. 3. n. 7.

mitis Imperio interdictum esset. Quod si sit, inutile videtur Philippi Burgundi privilegium, quo 14. Jul. 1434. iisdem permisit (9), ut non duntaxat ex suo territorio, sed & ex tota Rynlandia & territorio Hagano exilium possent statuere. Quod posterius privilegium confirmavit Carolus V. 19. Jul. 1541. (10) Utile est privilegia augere & extendere, sed restringere non licet, nisi in modum poenae. De re ipsa interim constat. De Amsterdammensibus haec observavi. Quum eorum territorium olim valde esset angustum, Albertus Bavarus anno 1387. iis concessit (11), ut illud porrigeret liceret ad usque centum perticas. Deinde Maximilianus & Philippus 6. Febr. 1488. Amsterdammensibus privilegium dederunt (12), *voor sonderlinge gratie* (sic enim habent verba) ut facinorosos in exilium dare possent ultra perticas mille & centum extra Urbem suam, mille perticis sic additis priori privilegio. Tandem Amsterdammenses ab Imperatore Carolo V. petierunt, ut sibi liceret facinorosos in exilium damnare ad usque tria millaria, sed non obtinuerunt nisi ad unum milliare, idque ex speciali gratia, ut rursus habet Caroli privilegium 6. Febr. 1544. (13) An quae similia aliarum in Hollandia Urbium privilegia existent, nec scio, nec scire multum interest.

Moneo autem, ne in animum tuum inducas, ut non nulli (14) induxere in suum, illa Urbium privilegia duntaxat esse intelligenda de iis, quos proprie *interdictos* appell-

(9) Exstat id privilegium apud van Leeuwen ad §. 3. *Consuet. Rynland.*

(10) *Repertor. Curiae Holl.* p. 41. A. & B.

(11) *Handvesten van Amsterdam* 1663. p. 6.

(12) *Ibidem* p. 42.

(13) *Ibidem* p. 62.

(14) Van Leeuwen & alii, quos dixi n. 1.

appellamus, & quidem ejusmodi interdictos, quibus, ne forte turbas excitent, non Judices, sed Consules vel Magistratus Urbium imperant, ut, salva existimatione, ex Hollandia, aut quo alio territorio, abesse velint, omnino enim loquuntur illa privilegia de facinorosis, in quos sola Judicum, non Consulum vel Magistratum est potestas. Deinde, quaecunque privilegia ipse vide, concepta sunt de exilio, proprie sic dicto, *van bannen, ballingen en bannissementen*, quae utique ab interdictione differunt. Interdictio illa Consulum vel Magistratum potius est coercitio, ut ita dicam, civilis, ob metum vel suspicionem delicti, quam poena criminalis, ob ipsum delictum. Excute illa Urbium privilegia, & miraberis, homunciones, male consultos, tantum ineptire potuisse, ut sententiae suae, alioquin labanti, succurrant, id est, ut Judicibus maneat integra ex universa Hollandia deportandi facultas.

Regula igitur est, neminem extra territorium suum cuiquam noxio exilium indicere posse, eamque regulam tam in Provinciali, quam inferiori Judice probavit Philippus II. in d. §. 63. Edict. de Crimin. Habuimus jam aliquot exceptiones ex speciali privilegio, alias suggerunt aliae Leges, maxime in atrocioribus & magis frequentatis delictis. Atque ita in Majestate laesa & haeresi quibuscumque Judicibus, quorum ea de re jurisdicatio est, si rei per contumaciam absentes essent, ex toto, quod Rex Hispaniarum habebat, Belgio deportandi facultatem dedit ipse ille Philippus II. in d. §. 63. & addit, siquidem exilii poenam ex toto Belgio alicui delicto Lex statuerit, omnes Judices, qui merum imperium habent, ex toto Belgio deportare posse. Et recte, quoniam illud exilium non tam ex potestate Judicis, quam ex genera-

nerali Legis imperio valet. Perpetuo quoque usi receptione est, ut Judicis potestas, in decernendo exilio, comitetur potestatem Legis in adsignandis exilii finibus; plane ut Judex recte impunitatem criminis promittit, si haec ex ipsa Lege descendat, quemadmodum id exsequuntus sum *Capite praeced.*

Quae hactenus dixi, ad tempora Gravionum pertinent. Ex quo autem Summum Imperium in Hollandia penes solos Ordines fuit, etiam hi Magistratibus & Judicibus in nonnullis causis potestatem dederunt, vel, ob turbas, interdicendi tota Hollandia, vel, ob crimina, extra eam deportandi. Exstat Ordinum Hollandiae Edictum, factum 17. Apr. 1585. (15) & saepissime deinceps repetitum (16), quo, qui qui a Magistratu Urbe sua erant interdicti, etiam in universa Hollandia morari vetabantur. Sed id non aliter intelligo, quam si interdictio fieret ex causa, quae ad universam Hollandiam pertinebat; qualis istic temporibus erat metus Hispanorum, qui non unam duntaxat Urbem, sed totum Belgium afflaverat. In primis vero in hanc rem notanda sunt Ordinum Hollandiae Edicta, contra fures, vagabundos & validos mendicantes composita & edita 16. Dec. 1595. (17) & 19. Mart. 1614. & 4. Mart. 1630. & 12. Maj. 1649. (18) in quorum §§. 17. 8. & 18. omnibus Judicibus, qui merum imperium habent, specialiter conceditur, ejusmodi fures, vagabundas & validos

men-

(15) Bort *Tractaat Crimineel* Tit XI. Part. 9. n. 19. & *Plac. Holl.* Part. I. p. 513. Exstat & Decreum ejusdem dicti in eandem sententiam *ibidem* p. 512. quod tamen ab edicto nonnihil diversum est.

(16) Etiam 24. Jun. 1598. *Plac. Holl.* Part. I. p. 515. & 516. Adde & Grotii *Apolog.* C. 12.

(17) *Plac. I.* 1. 20. 1. n. 5.

(18) Exstant *ibidem* n. 6. & 7.

mendicantes deportare possent ex universa Hollandia. Duxi *specialiter*, ne forte credas, quod argumento eorum §§. male sanis quibusdam in mentem venit, id ipsum in Hollandia esse jus generale de quibuslibet delictis, refutat enim eos clausula finalis, omnibus illis §§. nominatim addita, *daar toe wy de zelve* (Regters) *by dejen specialyk autoriseren, sonder dat 't zelve getrokken zal worden in consequentie*, ut nempe discamus, de exceptione sermonem esse, non de regula. Quia autem Ordines Zelandiae eandem clausulam inseruerunt Edictis, quae & ipsi composuerunt contra fures, vagabundos & validos mendicantes 19. Jul. 1607. & 16. & 17. Sept. 1614. (19) satis intelligimus, in Zelandia idem jus esse, quod in Hollandia obtinet in deportatione, extra territorium non porrigena, nisi ex speciali auctoritate ipsorum Ordinum. Tandem Ordines Hollandiae in Edicto, contra Venerem masculam facta 31. Jul. 1730. (20) omnibus omnino Judicibus, quorum de criminibus jurisdictio est, potestatem dedere, tota Hollandia interdicendi iis, qui ob suspicionem Veneris masculae abessent, nec ad judicium vocati absentiam suam purgarent. Non addunt quidem, id speciale esse in eo crimen, & in ea, quam dixi, specie, sed res ipsa id satis superque arguit.

Pro exceptione quoque habendum, quod continetur.
 §. 3. *Confuetud. Rynland.* Ballivum nempe Rynlandia^s esse in *antiqua possessione* homicidas ceterosque delinquentes in exilium damnandi extra fines totius Hollandiae. Quod an ex aliquo privilegio sit, nondum comprei;

(19) *Ibidem Plac. Zeland. n. 1. 2. & 3.*

(20) *Exstat separatum & inter Acta Ordinum.*

peri; nisi forte ea illius §. 3. mens sit, solere Judices Rynlandicos ejusmodi exilia extra universam Hollandiam sententiarum suarum formulis inferere, absque ulla definitione, jure id fiat, an injuria. Quod autem ajunt §§. 10. & 17. Tit. IV. *Consuetud. Middelburg.* Judices Middelburgenses quoscunque reos in exilium dare posse non tantum ex tota Zelandia, sed & Hollandia & Frisia, omnino petitum est ex privilegio Wilelmi Bavari ult. Maj. 1355. quod & ab aliis (21) observatum est. Ubi cessant illa privilegia, auctoritas Principis est imploranda, si placeat exilium extra fines territorii porrigeret. Atque ita Judices Utrechtani 12. Maj. 1682. quemdam ex tota Ditione Utrechtana deportarunt, sed postquam iis, ut id facere liceret, speciale potestatem dererant Ordines Utrechtani 15. Apr. 1682. (22) An & quo jure Curia Hollandiae ex Ditione Utrechtana, & rursus Curia Utrechtana ex Hollandia deportet, latius intelliges ex iis, quae dicam C. XXV. §. 2.

(21) *Versluys in Not. ad d. §. 10. T. IV. Consuetud. Middelburg.*(22) *Bello Jurid. Casu 84.*

C A P U T X V I I I .

*An jus Religionis, ut olim fuit, ita nunc
quoque sit penes singulas Provincias?*

Quia Jus publicum etiam in Sacris consistit, ut admonet Ulpianus in l. 1. §. 2. ff. *de Just. & jur.* inde recte efficitur, Sacrorum quoque curam ad eum pertinere, ad quem pertinet summa totius Reipublicae

potestas. Scio , de eo argumento integris Libris esse disputatum in utramque partem , alios pro Principe , alios pro Ecclesia suffragium dedisse , quin & esse , qui inter Jovem & Caesarem imperium diviserint , sed quicquid illi dixerunt , dixerunt de Religione jam constituta , de constituenda autem & verum est , & utile , eum , qui rerum Civilium imperio potitur , etiam Sacrorum esse potentem.

Quum inter Ordines Foederati Belgii de constituenda Republica ageretur , & in causa Religionis non una omnium esset sententia , non visum est sufficere , si invicem conveniret , ut convenit §. 1. Foederis Utrechtani 29. Jan. 1579. nulli Provinciae jus fas esse , rebus alterius Provinciae se immiscere , nisi nominatim adderetur §. 13. ejusdem Foederis , singulas Provincias , in causa Religionis , sui juris esse , atque adeo , ut sibi videretur , de ea posse decernere: expressum enim est d. §. 13. Hollandi Zelandique tervarent , quod inter eos de Religione placuerat (respicit id ad pactionem ,⁽¹⁾ qua 25. Apr. 1576. inter eos jam convenerat de servanda Religione , quam vocant , *Euangelica*) reliquae vero Provinciae de causa Religionis prorsus statuerent ex animi sui sententia. Et tanquam ne sic quidem singulis Provinciis satis prospectum esset de libertate Religionis , mox 1 Febr. 1579. (²) accessit Ordinum interpretatio ad d. §. 13. qua palam cautum est , dat de meaning niet is , dat d'eeene Provincie of Stadhem 't fait van de andere in 't point van de Religie zal onderwinden. Unde apparet , quam caecutiat ille , qui scripsit

(1) *Unie en Verbond tusschen de Staten en Steden van Holland en Zeeland*
Parte II. §. 15.

(2) *Plac I. 1. 1. 2. p. 17.*

scripsit (3), ex Foedere Utrechtano etiam de Religione non statuere singulas Provincias, sed omnes Foederatas simul paribus suffragiis.

Hanc libertatem Religionis penes singulas Provincias ad usque annum 1618. & 1619. stetisse integrum & il-libatam ex publicis monumentis adeo solide probatum ivit Grotius *Apolog. C. 2.* ut fere nescias, qua fronte Ju-dices delegati Ordinum Generalium anno 1619. ausi fuerint sententiis suis, quibus Barneveldium, eundem Grotium & alios ad mortem vel perpetuos carceres dam-narunt, hanc principem damnandi causam inferere, quod existimaverint, & publice professii sint id ipsum, quod tam rotunde ait illa interpretatio 1. Febr. 1579. & quod ipsi Ordines Hollandiae proxime antea, nempe 5. Aug. 1617. palam testati sunt (4), quodque usu perpetuo ad ea usque tempora fuerat observatum. Invenio equidem in §. 11. eorum, de quibus inter Provincias ageretur 21. Maj. 1587. fuisse suggestum, deliberarent Foederati Or-dines, num, quia jam omnes Provinciae Religionem Eu-angelicam receperant, placeret constitui, ne ea, nisi unani-mi Foederatorum consensu, mutaretur, & etiam Ordinibus Hollandiae 14. Jun. 1583. placuisse, constitueretur, ut sola, quae tunc palam exercebatur, Euangelica Religio defen-deretur, neque ulla alia publice admitteretur in Provinciis, quae tunc erant in Foedere (5). Sed generalem ea de re le-gem vel conventionem inter omnes Provincias esse factam,

nec

(3) Matthaeus *de Criminibus ad L. XLVIII. FF. T. 2. C. 5. n. 1.*

(4) Declaratio Ordinum in hanc rem exstat in de *Handvesten van de Graven van Holland* n. 39.

(5) Propositio illa, & Decretum Ordinum Hollandiae, post sequutum, exstant *Plac. II. Append. p. 2157.* & seqq. ubi & utrius temporis numeri scribuntur, ut exhibui, sed vitium esse in numeris res ipsa loquitur.

nec ipse reperi, nec reperit quoque Grotius *d. Cap. 2.* Et, quum facta non sit, recte etiam inde efficit Grotius, neque ipsos Hollandos obligare d. Decretum 14. Jun. 1583. cum scilicet aliarum Provinciarum consensus defecerit. Puto tamen, id ipsum esse Decretum ex quo finxit rerum nostrarum peregrinus Scriptor (6), anno 1585. unanimi Provinciarum consensu placuisse, ne qua alia Religio, quam Euangelica, in Foederato Belgio publice doceretur. Quamvis autem exstaret ejusmodi lex aut conventio generalis, ea profecto unice pertineret ad defendendam Religionem Euangelicam, & arcendam Romanam, neque adeo quicquam prodeisset iis, qui anno 1619. subverso Arminianismo, tot eminentia papaverum capita decussere, aequre enim Arminianismum, atque Calvinianismum, ad Religionem Euangelicam pertinere, & utrumque aequre in Hollandia tunc temporis fuisse receptum & Grotius adstruxit *Apolog. C. 3.* & ipsi Ordines Hollandiae significarunt in d. Decreto 5. Aug. 1617.

Plus scire attinet, an & quatenus singulæ Provinciae recesserint a jure Summae Potestatis circa Sacra, Foedera Utrechtano tam solemniter sibi reservatae? Ab Ecclesiasticis saepe quidem tentatem est, ut non nisi una Religio, & solus quidem Calvinianismus, in omnibus Provinciis doceretur & admitteretur, sed ante annum 1651. legem aut pactiōnem ea de re generalem inter Ordines Foederati Belgii intercessisse, non potui animadvertere. Postquam usū invaluisse Calvinianismus, continuo quidem Pontificiorum leges Ecclesiasticae sunt abrogatae, nec major fuit veterum Conciliorum auctoritas, sed eorum omnium loco nihil quicquam successit, quod publica aucto-

(6) W. Temple *Aanmerkingen over de Nederl. Provincien* C. 5.

auctoritate valebat. Apud Calvinianos, jam superiores, protinus cessare debebant jura veteris Ecclesiae, quum Romanam Religionem, Doctrinae antiquitate & universae Ecclesiae Decretis subnixam, hoc fere solo oppugnarint, nullam plane esse eorum, quae homines constituerunt, auctoritatem. Unde & §. 7. *Confessionis Belgicae*, ubi agitur de antiquissimis Ecclesiae moribus & Conciliis, haec leguntur: *omnes homines esse mendaces ex se ipsis, ipsaque vanitate vaniores.* Sed cum ventum est ad verum, facile etiam Calviniani intellexerunt, eam esse Religionis conditionem, ut absque Decretis hominum consistere nullo modo possit. Laboratum igitur est de Legibus & Canonibus Ecclesiasticis. Prodiit *Confessio illa Belgica*, prodiit & *Catechesis Palatina*, sed neque hae publica omnium Provinciarum auctoritate probatae, nisi post annum 1651. Prodierunt Synodorum Canones quam plurimi, prodierunt & in Hollandia Leges Ecclesiasticae, partim a Secularibus, partim ab Ecclesiasticis compositae, sed quid refert ea omnia recensere? de eorum auctoritate & olim fuit, & nunc est prolixa disputatio. Sufficit in rem nostram, ab omnibus omnium Provinciarum Ordinibus nihil eorum publice esse receptum & habitum pro norma fidei, quam subditi sequerentur.

Tandem post duas Synodos Dordrechtnas, alteram anni 1574. alteram anni 1578. succedit & tertia, habita 1618. & 1619. quae probavit illam, quam dixi, *Confessionem Belgicam*, & *Catechesin Palatinam*, &, damnato Arminianismo, pura puta constituit Religionis Calviniana dogmata. Sed nec hujus Synodi omnia Decreta ab omnibus Provinciis statim arrepta ac probata sunt, quinimo Frisiae Leges Ecclesiasticas, ibi conditas, non tan-

320 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tantum rejecerunt, sed & 10. Jul. 1622. decreverunt (⁷), qui eas obtrudere vellent, habendos esse pro perturbatoribus quietis publicae. Tandem vero molliora Calvinianis affulgere tempora anno 1651. Certe relatum est in §. 2. Libelli, qui dicitur *de nadere Unie*, inter Foederatos Ordines tunc placuisse, quaeque Provincia defenderet Calvinianismum, ut ejus capita anno 1619. Dordrechti constituta erant. Sed illud posterius Foedus, quod Hagae Batavorum initum esset 21. Aug. 1651. quodque ibi publice editum est annis 1651. & 1652. nullam omnino habet auctoritatem juris, est enim, si me audias, farago quaedam, conscripta ab homine, nescio quo, & composita ex sententiis, a singulis Provinciis tunc dictis in extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis. Miror fane Editoris impudentiam, qui in causa, adeo recenti, lectori sicutum facere voluit. Complectetur illud Foedus, ut auctor fingit, §§. 33. sed nullum ejusmodi Foedus exstat inter Acta Ordinum Generalium, certe a me & ab aliis, qui invedire debebant, frustra quae situm est. Comperi autem, omnes illos §§. 33. partim bene, partim male esse descriptos ex illis, quas dixi, singularum Provinciarum sententiis, etiam his, de quibus inter omnes non convenerat. Dubiam ejus libelli fidem etiam alius olfecit (⁸), & tamen dudum est, ex quo ille stellio homines, etiam rerum publicarum peritos, ludificatus est.

Sed apage illum libellum. Ex ipsis nihilominus fontibus operae pretium erit audire ipsorum Ordinum sententias, & inde discere, quid tandem placuerit in re tam

gra-

(7) Decretum exstat post Praefationem Grotii *Apolog.*

(8) Auctor van het Publicq Gebed Parte III. Scđt. 7.

gravi, qua singularum Provinciarum potestas in causa Religionis primum, ut opinor, imminuta est. Ordines Hollandiae in Epistula, qua anno 1650. singularum Provinciarum Ordines ad Comitia extraordinaria vocarunt, & in propositione eorum, quae agenda erant, palam significarunt, se defensuros Religionem *Reformatam*, quam vocant, ut Dordrechti stabilita erat⁽⁹⁾. Gelri §. 23. eorum, quae ipsi in Comitiis 20. Juanuar. 1651. proposuerunt, ajunt, sibi placere, Religio Reformata, ut recepta & Dordrechti anno 1619. elucidata est, in omnibus Foederatis Provinciis & locis subditis, & apud Socios (*geäffsocieerde Landen*) servaretur, & potestate publica (*met magt van 't Land*) defenderetur⁽¹⁰⁾. Idemque Zelandi testati sunt 22. Januar. 1651.⁽¹¹⁾ & Utrechtani sine die & Consule⁽¹²⁾, & Frisia 27. Januar. 1651.⁽¹³⁾ & Groningani eodem 27. Januar. 1651.⁽¹⁴⁾ & ita praeëuntibus Hollandis, in Comitiis illis extraordinariis Ordinum Generalium decretum est d. 27. Januar. 1651.⁽¹⁵⁾ Additum vero, iisdem fere verbis, quibus id proposuerant Utrechtani, ut ea defensio fieret in quaque Provincia ab ejus Provinciae Ordinibus, *elks in den baren*, & in Ordinum Generalium Imperio ab Ordinibus Generalibus. Cur additum sit, *elk in den baren*, forte intelliges, si memineris, eo tempore adhuc superfluisse, quos nondum ceperat oblivio annorum 1618. & 1619.

Di-

(9) Aitzema *Herstelde Leeuw* p. 102. & 130.

(10) Idem *ibidem* p. 137. & seqq.

(11) Idem *ibidem* p. 144.

(12) Idem *ibidem* p. 169.

(13) Idem *ibidem* p. 158. & seqq.

(14) Idem *ibidem* p. 163.

(15) Idem *ibidem* p. 156. & 157.

Diceres, sic tandem definitam esse causam Religio-
nis, sed est, qui putat (16), Ordines illo 27. Januar.
1651. duntaxat *declarasse* non etiam *promisisse*, se Cal-
vinianismum esse defensuros, at vero haec mera cavillatio
est; ei tamen causam praebuit aliud quid, quod ipse ille
narrat, sed hic omitto, quia in Actis Ordinum de eo
nihil comperi. Quicquid autem ejus rei sit, persuasissi-
mum mihi est, &, ni fallor, aliis quoque erit, non
aliam Ordinum Foederatorum fuisse mentem, quam id
Decretum 27. Januar. 1651. habere pro mutua promis-
sione, invicem facta de defendendo Calvinianismo,
absque eo enim nihil quicquam actum esset.

Ceterum alia questio est, quamvis Ordines Foederati
sibi invicem promiserunt, Calvinianismum se esse tuituros,
an tamen aliis, in causa aliorum, jus fas sit aestimare &
judicare, si qua Provincia recte tueatur Calvinianismum,
nec ne, &, si non tueatur, an reliquae Provinciae vi &
vi armata uti possint, quo fides promissionis praestet-
tur? Et adhuc puto dicendum, ejus rei arbitrium penes
singulas Provincias esse, non autem penes ceteros Foe-
deratos, atque ita id Decretum non esse habendum nisi
pro lege, quae dicitur, *imperfecta*, sive pro sponsione
inter amicos, cuius fides ex viri boni officio praestanda,
non autem jure exigenda est. Quin ipsi Ordines, cum
ajunt, *elks in de baren*, manifeste significant, Ordinum
Generalium alteriusve Provinciae potestatem in
Religione defendenda neutiquam placere. Neque est,
ut dicas, in eo Decreto gradum quemdam esse, quos-
que nempe Ordines in sua Provincia Religionem esse
defensuros, eosque aliarum Provinciarum Ordinibus
prae-

(16) Auctor van het Publicq Gebed Part. III. Sect. 7.

praeserendos, sed iis id negligentibus, vel Calvinianismum, ut aliis videtur, non defendantibus, aliarum Provinciarum Ordinibus locum fieri : nam eam non fuisse Ordinum sententiam, inde apparet, quod Frisi, Transilani, Groningani & Zutphanienenses (17), & separatim deinde Transilani 7 Febr. 1651. testati sint (18), sibi videri, id Decretum 27. Januar. 1651. non sufficere, sed sanctiones esse constituendas, quibus obviam iretur Provinciis, quae fidem ejus Decreti non servarent, non enim sufficere, quod Ordines promittant, se id Decretum esse observaturos, nisi & coercitio accedat, si pacto non stetur ; verum ea de re nihil quicquam constitutum invenio, & inutiliter quoque constitueretur, quum nulli Provinciae, quin nec pluribus simul, in aliam aliasve competit imperium, & diligenter singulae curaturee sint, ne in vim, sibi faciendam, consentiant. Latissimus etiam turbarum pateret campus, si de modo defensionis invicem dissidentirent.

Sic igitur habeamus : defensionem Calvinianismi esse promissam illo 27. Januar. 1651. sed fini poena, si promissis non pareatur, hanc promissionem esse praestandam, cum inter bonos bene agier oporteat, sed, ut praestetur, vim adhibendam non esse, de modo defensionis nihil definitum, at eum cujusque Provinciae arbitrio esse relictum. Quapropter non ausim dicere, ut nonnemo dixit (19), singulas Provincias etiam post id Decretum, in causa Religionis mansisse sui juris, plane ut erant antea, dixerim potius, mansisse, quatenus eo Decreto, quod septem capita continet, a jure suo non re-

(17) Aitzema Herstelde Leeuw p. 255.

(18) Idem ibidem p. 228. & 229.

(19) Auctor van het Publicq Gebed d. Part. III. Sect. 7.

324 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

recefferint. Nec mihi liquet, alio pacto postea recefsum, vel quicquam inter Foederatos esse constitutum, quod singularum Provinciarum jus ultra minuerit. Proposuerunt quidem Groningani 9. Oct. 1663. (20) quo causa Calvinianismi magis tuta esset, placeretne decerni, omnes, qui in Ordinum Generalium Collegium mittuntur, jurarent, se Calvinianismum esse tuituros, sed nihil decretum est. Ordinum quidem Hollandiae in illud Collegium Delegati jurant (21), se Calvinianismum, ut nunc est, esse tuituros, sed quod ad Ditionem Ordinum Generalium, nominatim enim jurijurando additur, se non permissuros, quod ad singulas Provincias, ut quicquam in iis de Religione statuant Ordines Generales, *sonder my*, ait jurans, eenigsints ontrent het stuk van de Religie, over of in de stemmende Provincien eenige de minste dispositie aan te matigen, of ook te gedoogen, dat by of op de naam van baar Hoog Mog. zulks in enige Provincie, of eenig Lid van de zelve ondernomen werde. Non reperi etiam, ab omnibus Provinciis ullam Ordinibus Generalibus potestatem esse datam in causa Religionis, quamvis repererim, eos saepissime fuisse aditos ab Ecclesiasticis, si nempe his minus placerent suae Provinciae Ordines; sed ne id Synodorum in Hollandia Deputati facere vellent, Ordines Hollandiae decreverunt 25. Sept. 1670. (22) Verum equidem est, aliquando Ordines Generales nonnulla constituisse, quae ad Religionem in Belgio Foederato pertinent, sed non minus verum, quod ajunt Ordines Hollandiae in §§. 132. 133.

134.

(20) Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit p. 765.

(21) Id jurandum exstat post §. 19. eorum Formae 23. Jul. 1669. Plac. III. I. 3. 2.

(22) Plac. III. I. 1. 38.

134. & 135. Deductionis de jure Militiae 17. Mart. 1657. (23) ea non esse constituta nisi unanimi omnium Provinciarum consensu, nec valere in ea Provincia, cuius Ordines in haec non consensissent.

(23) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 319.

C A P U T X I X.

Optimo jure Ordines Hollandiae 13. Mart. 1663.

Ecclesiastis praescripsisse novam orandi formulam cum pro se, tum pro aliis Magistratibus.

Ex iis, quae Capite praecedenti dicta & disputata sunt, facili, imo nullo negotio explicari & definiri potest quaestio, quae ante aliquot annos non tantum Ecclesiam, sed & Rempublicam, ultra quam exspectas-
ses, turbavit & concussit. Quum apud Ordines Hollandiae 9. Dec. 1662. proposita esset nova formula, secun-
dum quam Ecclesiastae ad Deum preces funderent pri-
mum pro Ordinibus Hollandiae, qua Summa in Hollan-
dia Potestate, deinde pro reliquis Foederati Belgii Or-
dinibus, mox pro Ordinibus Generalibus & eorum Con-
filiariis, tandem pro Confiliariis Ordinum Hollandiae,
& Magistratibus majoribus minoribusque, hanc formu-
lam Ordines Decreto 13. Mart. 1663. (1) probarunt,
servarique jusserunt Epistula, ad Magistratus Hollandiae
scripta 21. Mart. 1663. (2) &, quum satis ab Ecclesiastis

(1) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 658.

(2) *Ibidem* p. 660.

326 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

tis obtemperatum non esset, rursus alia ad eosdem Magistratus data 27. Apr. 1663. (3) Si quaeras, an Ordinibus Hollandiae licuerit ejusmodi formulam condere & Ecclesiastis praescribere, non dubitabis, si & tu putes, ut ego puto, singularum Provinciarum Ordines in causis Ecclesiasticis mansisse sui juris, quemadmodum erant ex Foedere Utrechtano, salvo tamen, quod modo exposui, Decreto de servando Calvinianismo, atque adeo falsis Decretis Synopi Dordrechtanae, modo memineris, iis Decretis nuspiciam esse definitum, qua forma quoque ordine pro Ordinibus & Magistratibus orandum sit.

Ut plus dicamus, res ipsa non postulat, efficit tamen quorundam contumacia vel ignorantia, ut plus dicendum sit. Quae ipsi Ordines Hollandiae, eorumve Confiliarii pro causa sua dixerunt, ego non repetam, nec etiam ea, quae Anonymus quidam (4) integro & spisso fatis Libro pro Ordinibus scripsit, contentus monere, uno illo, quod modo dicebam, argumento, omnem controversiam absolvit & definiri posse, cetera vel nihil ad rem pertinere, vel, si quid pertineant, aliis quoque rationibus refutari posse, quam hactenus refutata sunt.

Simulac autem nata est nova illa formula, plures adversarios est experta. Ecclesiastici in Hollandia fere clam, exteri vero palam sese ei opposuere: ecce enim Synodus Snelcana 16. Jun. 1663. (5) decrevit, mandaretur Emissariis suis (*Correspondenten* appellant) ad Synodus Zuyd-Hollandiae & Noort-Hollandiae, omni modo id agerent in iisdem Synodis, ut studiose novae huic formulae iretur obviam. Scin, quare? quia, inquit Synodus

(3) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 662.

(4) *Auctor van het Publicq Gebed.*

(5) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 676. & 677.

nodus Snecana , alia formula olim usu recepta erat , & quia aliam illam formulam Synodus Dordrechtana probavit. Si quid valeat prima ratio , metuo Pontificios , quorum sacra , quamvis usu olim recepta , rejecimus. Secunda autem ratio aperte falsa est , cum , ut dixi , nullam pro Magistratibus orandi formulam illa Synodus definiverit , ut nihil quoque ea res pertinebat ad causam Calvinianismi. Unde & Ordines Hollandiae , intellecto Patrum Sncanorum Decreto & ipsi decreverunt 17. Jul. 1663. (6) Emissarius Frisiae ad Hollandiae Synodos ne admitteretur , nisi ante fuisset testatus , se ea de re nihil esse propositurum.

Sed & ipsi Frisiae Ordines illam Hollandorum formulam oppugnarunt , facto in hanc rem Decreto 23. Maj. 1663. (7) Eo autem Decreto complexi sunt & easdem rationes , quas deinde Synodus Snecana suas fecit , & alias nonnullas adjecerunt , sed has transeo , quia omnibus illis 27. Jun. 1663. (8) amplissime responderunt Ordinum Hollandiae Consiliarii , eorumdemque Ordinum Delegati apud Ordines Generales. Illud transire non possum , Frisios in suo Decreto non tantum provocare ad antiquam orandi formulam , qualis tamen formula nunquam ulla auctoritate , vel Seculari vel Ecclesiastica , probata fuit , sed & , quod mireris , hanc derivare ex Foedere Utrechtano , cum tamen id Foedus , ut *Capite proximo* dicebam , omnem causam Religionis soli singularum Provinciarum arbitrio reliquerit.

Quod Frisii caufantur in suo Decreto , ex nova formula

(6) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 676-679.

(7) *Ibidem* p. 679. & 680.

(8) *Ibidem* p. 680-696.

mula primum orari pro Ordinibus Hollandiae, qua Summa Hollandiae Potestate, deinde pro Ordinibus Generalibus, cum tamen hi illos praecedant, & vicem quoque Principis obtineant, vellem, ne Frisiis excidisset. Atque si nempe in suo territorio quisquam sit major vel prior ipso Principe, id est, singulis cuiusque Provinciae Ordinibus. Praecedunt Ordines Generales in rebus, quae ex Foedere ad commune bonum Foederati Belgii pertinent, ut si cum externis Principibus, eorumve Legatis agatur, sed cedunt Ordinibus singularum Provinciarum in iis, quae ad singulas Provincias pertinent, ut pertinet cura, qua forma, & qua praerogativa ordinis pro Magistratibus sit orandum. Sed non solis Frisiis, verum & aliis Foederatis, ut mox audies, id excidit; si olim excidisset, forte concoquere posset, qui non difficilis est stomachi, nam fuit aliquando tempus, quo non nullis placuit, Ordines Generales in omnibus Provinciis uno Jove esse minores, fuit tempus, quo illi, qui Ordinum Hollandiae Majestatem defendebant, hoc ipso laefae Majestatis damnati sunt, ac si Ordinum Generalium Majestatem laesissent, sed haec quidem anno 1619. acciderunt, concussa per factiones Republica. At vero omnes quarumque Provinciarum Ordines, ne dicam omnes homines deinde resipuerunt, & resipuerant jam anno 1663. satis gnari, mandatarios mandantibus suis non esse majores, & Ordines Generales, quicquid agunt, paucis exceptis, agere ex solo mandato Ordinum, quos representant. Imprudenter igitur plerique Foederati eo anno 1663. quo jam omnes cordatores veternum excusserant, ad antiquas fabulas reversi sunt. Si Ordines Generales, itemque Ordines Hollandiae exterio Principi ad-

adventum in Hollandiam gratulentur, utros praecedere oporteat, disputabo hoc Libro C. 25. §. 8.

Ceterum de nova illa precum publicarum formula inter Hollandos & Zelandos quoque actum fuit, sed an haec justo certamine illos commiserit, non potui intelligere ex Decretis Ordinum Hollandiae 3. Aug. & 20. Sept. 1663. (9) Arma tamen utrimque fuisse induita, plena fide comperi ex Actis Ordinum Zelandiae 22. Sept. 3. & 13. Nov. 1663. didicique ex iisdem Actis, Zelandos cum maxime turbasse, ut turbavit Frisios, quod in nova formula prior locus non fuerit datus Ordinibus Generalibus, sed Ordinibus Hollandiae. Atque ea ipsa ratione novae huic formulae contradixerunt Gelri, Utrechtani, Transisulani & Groningani, ad quos, ut & ad Frisios exstat Ordinum Hollandiae grandis Epistula, scripta 4. Oct. 1663. (10) qua omnem omnium Foederatorum impetum videntur fregisse.

Sed Ecclesiastici, tam subditi, quam exteri quiescere nondum potuerunt. Subditi quidam, male feriati, cavigillabantur, novam illam precum publicarum formulam esse praeludium mutandorum quandoque eorum, quae in Synodo Dordrechtana decreta erant. Quamvis autem per nullas consequentias id inde efficere potuerint, cum de nulla plane formula in ea Synodo actum sit, Ordines tamen Hollandiae Decreto 18. Sept. 1663. (11) & illa, quam dixi, Epistula 4. Oct. 1663. (12) contestati sunt, de mutandis Sacris se nihil unquam animo suo voluisse, quin paratos esse, Potestate publica defendere

Re-

(9) *Resolutien van Conferderatie ten tyde van de Wit p. 707. & 712.*

(10) *Ibidem p. 718-733.*

(11) *Ibidem p. 711. & 712.*

(12) *Ibidem p. 728.*

330 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Religionem Calvinianam , ut in Synodo Dordrechtana erat constituta , & porro usu recepta. Quoniam vero illa Ordinum contestatio nondum videbatur sufficere ad inhibendas turbas , quae nihilominus metuebantur tam ab exteris , quam subditis , successit aliud Ordinum Hollandiae Decretum 14. Mart. 1664. (13) quo Inspectoribus (*Commissarissen Politicq*) qui Ordinum nomine delegati essent ad Synodos Zuyd - Hollandiae & Noord-Hollandiae , mandatum est , diligenter inquirent , si qui essent , sive ex Hollandis sive ex Emissariis , qui quid contra illam formulam , vel contra quodlibet aliud Hollandiae Ordinum Decretum proposituri essent , & ejus rei suspectos ut a Synodis arcerent , nisi se nihil ejusmodi proposituros spopondissent , & generaliter illi Inspectoribus curarent , ne quidquam in Synodis proponeretur contra illam formulam , ullumve aliud Ordinum Hollandiae Decretum.

Sed ne sic quidem res erat in vado. Ringebantur quam plurimi , in nova illa formula mentionem non esse factam Wilemi Orangii , quamvis tunc adhuc pueri , & in Hollandia privati , sed quia nullo jure ringebantur , ut ab aliis (14) abunde est probatum , mussitabant tantum , non ausi palam prodire. Certe in Decretis & Actis publicis , sive ea ediderint Politici sive Ecclesiastici , haec ratio expressa non est. Ut autem , quae magis tecta sunt , solent majores radices agere , sic manebat alta mente repostum illud Ordinum silentium , spretaeque injuria Gentis Orangiae , apud Ecclesiasticos praeferimus , quorum plerique tunc Orangio longe plus favebant , quam ipsi
Or.

(13) *Resolutien van confederatie ten tyde van de Wit* p. 772. & 773.(14) Vide Au^torem van het Publicq Gebed Parte I. a C. V. ad C. IX.

Ordines. Quamvis enim, ut recte observant Ordines Hollandiae in Decreto 17. Jul. 1663. (15) Ecclesiastorum sit, secundum ipsos Canones Synodi Dordrechtae, subditis inculcare reverentiam & obedientiam, Magistratibus suis debitam, & hac ipsa re aliis praecire, ea tamen quorundam pertinacia fuit, ut, pacatis dum Politicis, ipsi Ordinibus Hollandiae per integrum adhuc triennium fuerint reluctati. Apparet id ex Decreto eorundem Ordinum 7. Oct. 1666. (16) quo placuit, Ecclesiastae, qui eam formulam non sequeretur, nomen Magistratus loci, de quo agebatur, transcriberet ad Ordines, ut ejus stipendium Ecclesiasticum cessaret, quamdiu Ordinibus fuisset visum. Et sic tandem Ecclesiastici, crumenae suae non minus studiosi, quam reliqui Mortales, & pecuniae non minus, quam alii, indigentes, ad bonam frugem redierunt omnes. Haud multo post Wilelmo Orangio, ejus nominis tertio, rerum rursus potito, haec formula, usu nonnihil quidem mutata est, sed post ejus mortem revixit, & ea ipsa adhuc placide in Hollandia utuntur Ecclesiastae. Dolo utique malo, quod sciam, non solent omittere; cum tamen, spatiis exclusi inquis, aut alias per negligentiam saepe eam transmitterent in precibus, post orationem sacram ad Deum fusis, idque animadvertisserent Consiliarii Ordinum Hollandiae, ipse, tunc Presbyter Ecclesiae Haganæ, ab eorum Scriba in hanc rem aditus & rogatus, Ecclesiastas Haganos officii sui amice admonui; testati autem tunc sunt prolixæ, dolum malum a se abesse abfuturumque esse, scire se, solam absequi gloriam sibi esse

re-

(15) Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit p. 678.

(16) Ibidem p. 791. & 792.

333 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI
relictam, & operam datus, ne in posterum hujus for-
mulae obliviscantur, ut fere nunc obliisci non solent.

C A P U T X X.

*Interpretatio §. 4. Pacis Monasteriensis 30.
Januar. 1648.*

Longum esset exponere, quae Pontificiorum fuerit conditio in Belgio Foederato ab initio Reipublicae ad haec usque tempora. Ne quidem animus est commemorare, quae in Imperio Ordinum Generalium, & quae in singulis Provinciis contra solos Ecclesiasticos, qui Pontifici Romano adsurgunt, constituta & decreta sunt. In rem nostram sufficit scire, ut Laicis Pontificiis in Belgio Foederato libere morari semper licuit, ita Clericis, etiam ante pacem Monasteriem, non licuisse. Jesuitis quidem, qui in Belgio Foederato invenirentur, 600. florenorum multam Ordines Generales constituerunt in Edictis 26. Febr. 1622. 8. Sept. 1629. & 30. Aug. 1641. (1) ceteris omnibus Ecclesiasticis Belgio Foederato simpliciter interdicto, exceptis duntaxat iis, qui ante annum 1622. hic habitassent, dummodo intra dies octo nomina sua ad Magistratum loci, ubi degunt, deferrent, & secundum leges Ordinum viverent.

Recte se habebant ea Edicta tempore belli Hispanici, quo facta sunt, sed quaero, an recte se habeat Edictum, quod Ordines Generales post pacem Monasteriem promulgarunt 14. Apr. 1649. (2) quo priora illa Edic-

ta,

(1) *Plac. I. 3. 4. 1. Plac. Ordin. General. 3.*

(2) *Ibidem eodem loco.*

ta, quorum sententiam retuli, repetita & servari jussa sunt? vel potius quaero, an non saeviora illa Edicta restringi & temperari debeant quod ad Ecclesiasticos, qui ex Imperio Regis Hispaniarum, Belgio forte tunc Hispanico, nunc Austriaco, hic adsunt? Quaestionem facit §. 4. Pacis Monasteriensis 30. Jan. 1648. quo inter Regem Hispaniarum & Ordines Generales convenit, ut olim quoque convenerat §. 4. Induciarum 9. Apr. 1609. alterius subditis & incolis, absque ullo personarum discrimine, in alterius Imperium recte licere advenire, ibi manere & agere, & commercia sua exercere. Verba Belgice sic hahent: *de Ondersafaten en inwoonderen van de Landschappen van de voorschrijvende Heeren Koning en Staten . . . zullen ook mogen komen en blyven in de Landschappen de een van de andere, en daar doen bare trafique en commercie in alle versekertheid, zoo ter Zee, andere Wateren, als te Lande.*

Sane plerique Belgae Foederati videntur credidisse, salva ea pace, duriora illa Edicta explicari non posse, atque ita Ecclesiasticis Pontificiis omnino prodesse d. §. 4. Gelri (3) quidem, & Hollandi (4), & Frisi (5), & Groningani (6) in extraordinariis Ordinum Generallium Comitiis, proxime post illam pacem habitis anno 1650. & 1651. proposuerunt, exercearentur Ordinum Edicta contra effrenem Ecclesiasticorum in has Regiones veniendi licentiam, sed hoc nominatim addito, *quatenus salva pace fieri posset*, cuius nomine non aliam, quam illam Monasterensem, intelligo, & ita quoque,

ad-

(3) Aitzema Herstelde Leeuw p. 137.

(4) Ibidem p. 156. & 157.

(5) Ibidem p. 160.

(6) Ibidem p. 164.

334 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

addita hac ipsa clausula, Ordines Generales decreverunt
 27. Jan. 1651. (7) Quia autem illa clausula parum cer-
 titudinis habebat, idcirco in iisdem Comitiis mense
 Aprili 1651. propositum est, habita ratione eorum, quae
 tempore induciarum acta gesta erant, certa ei rei forma
 daretur, sed traditum invenio, (8) eam non esse con-
 stitutam, verum ad ordinarium Ordinum Generalium
 Collegiam rejectam ejus rei curam, atque adeo tacite
 substitutum esse in illo Decreto 27. Jan. 1651. nihil enim
 quicquam postea definitum est.

Nondum igitur extricata res erat. Zelandi, ut extri-
 carent, 22. Jan. 1651. (9) in iisdem extraordinariis
 Comitiis alia rem adgressi sunt via. Existimarent illi,
 non obstante eo §. 4. omnes Ecclesiasticos, qui Pontifi-
 cia Sacra sequuntur, expelli, nec ullos alias admitti pos-
 se, quod nempe illi Ecclesiastici, utut ex Imperio Hispani-
 co advenientes, non essent Regis Hispaniarum subditi,
 sed Papae Romani. Addebat, id ipsum Regis Legatos
 eo tempore, quo pax illa pangebatur, fuisse testatos,
 quin etiam Ordines in deliberationibus, quae pacem prae-
 cesserunt, decrevisse, nihilominus Edicta, contra Eccle-
 siasticos Pontificios facta, effectum esse habitura. Quas
 rationes Synodorum Legati (10) per libellum, iisdem
 Comitiis porrectum, deinde suas fecerunt. At prima
 ratio apud me parum valet, Ecclesiastici utique etiam
 sunt subditi, & pro subditis habentur in omnibus Impe-
 riis Pontificiis. Si tamen, qua sunt Ecclesiastici, subdi-
 tos Regis esse neges propter jurisdictionem Ecclesiasti-
 cam,

(7) Aitzema Herstelde Leeuw p. 217.

(8) Ibidem p. 380. & 381.

(9) Ibidem p. 145.

(10) Ibidem p. 152.

cam, non negabis certe, qui ex Imperio Hispanico ad nos advenere, Regis Hispaniarum esse incolas, *inwoonderen*, pax autem loquitur de subditis & incolis, *onder-saten en inwoonderen*. Legatos Regis aliud fuisse testatos, & Ordines in praeviis deliberationibus modo decrevisse, etiam post pacem factam tuenda esse saeviora illa Edicta, non comperi, et si diligenter quae siverim, neque adeo de duabus illis rationibus, quae facti sunt, quicquam habeo, quod dicam, nec etiam de his quicquam dixerunt Gelri, Hollandi, Frisii & Groningani, nec postea etiam Transisulani (¹¹), quamvis in Pontificios adhuc magis acerbi. Et tamen illae rationes, in causa adeo recenti, omnes illos latere non potuerunt. Hoc unum comperi, Ordines, priusquam Legatos suos ad pacem pangendam mitterent, simpliciter decrevisse (¹²), se tuituros puriora Sacra, publice recepta, sed aliud est Sacra illa tueri, aliud duriora illa Edicta exsequi. Neque etiam animadverto, quid prodeisset, si Legati Regis ante pacem pactam vel tale quid garrivissent, vel ipsi Ordines decrevissent. Quid in ipsa pace convenierit, unice quaerendum, & ex ejus legibus, si quid inter Principes incidat, definiendum est.

Fuit, cum putarem, d. §. 4. duntaxat esse intelligendum de ejusmodi subditis & incolis, qui commercia exercerent, ajunt enim verba finalia, quae exhibui, *en daar doen bare trafique en commercie*. Sed bona fides illam interpretationem respuit, nam, quod de mercatura additur, non aliam causam habet, quam quod eo plerumque fine alterius subditi alterius Principis Imperium frequen-

(11) Aitzema Herstelde Leeuw p. 228. & 229.

(12) Idem Histor. L. XXV. p. 92. & 93.

quentent, non quod interdicatur alterius subditis in alterius Imperium advenire, & ibi forte otiali, philosophari, & procul negotiis securum agere aevum. Hac igitur sententia nunc non utor, maxime quum alia, &, ni fallor, verior succurrat. Nempe Clericatus Pontificius, postquam emendatior Religio publice recepta fuit, in hisce Regionibus criminis speciem quamdam habebat, neque enim cuiquam hic impune Clerico esse licebat, quibusdam Clericis polita mulcta, & omnibus, ut dixi, advenis Belgio Foederato interdicto, quin & indigenis sub certo modo. Sic leges moresque ferebant, etiam ante pacem Monasteriensem; criminosis autem, ex mente d. §. 4. quamvis in alterius Imperio habitarent, in alterius Imperium, ubi criminosi sunt, advenire nequaquam licet. Factus est d. §. 4. belli finiendi ergo inter Regem & Ordines, ut sic, quemadmodum ibi palam expressum est, inter utriusque subditos casset, quicquid antea hostile fuit, sed non ut cessaret persequutio criminum, quae, etiam extra causam belli, leges publicae vindicabant. Quare d. §. 4. prodesse nequit Ecclesiasticis, quamquam Hispaniarum Regis subditis, quia & ante illam pacem proscribebantur, & proscribebantur non tanquam Regis Hispaniarum subditi, sed tanquam Ecclesiastici, omnium enim Principum Ecclesiasticos Pontificios, etiam eorum, quibuscum pax erat, eadem lex arcebatur. Unde manifestum est, antequam Ecclesiastici, ut Regis Hispaniarum subditi, etiam hic admitterentur, nova opus fuisse pacatione, ex qua, quos citra belli causam lex repellebat, hic adesse liceret, cuiusmodi pactio nunquam intercessit. An tu putas, qui non propter bellum, sed propter crimen aliquod, ex Belgio Foederato relegati deportative in Ditionem Regis Hispaniarum concesserant, & ibi, qua

qua subditi vel incolae , aliquamdiu egerant , an , inquam , tu putas , iis , si animum revertendi haberent , per d. §. 4. in Belgio Foederato esse licere : ego non puto. Exemplo res fiet clarior. Omnes Judaeos impia pietate , & in manifestam Imperii sui perniciem Hispani proscripterunt , & in aliis etiam Imperiis inclementius habentur , sed aliter Hollandi , mercator Populus , sentiunt , apud hos enim Judaei , Gens ad Rempublicam commerciis frequentandam utilissima , adeo benigne recepti sunt , ut utantur iisdem Legibus & Privilegiis , quibus utuntur ceteri Hollandia subditi & incolae. Quaero igitur , an Judaeus ex Hollandiae , Judaeorum nutricula , post d. §. 4. in Hispaniam commeare , ibique libere morari possit ? Si me audias , non poterit , nam , qua Judaeus , diu ante d. §. 4. proscriptus est , nec proscriptis favet ille §. 4.

Quamvis autem illa , quam dedi , interpretatio d. §. 4. videatur verissima , dubito tamen , an Ordines Hollandiae ea uti possint. Quum enim Judaeos quosdam Hollandos male accepissent Hispani , & Judaei ea de re essent questi apud Ordines Hollandiae , hi 12. Jul. 1657. decreverunt (12), Judaeos illos , male acceptos , habendos esse pro subditis & incolis Foederati Belgii , ideoque & gaudere oportere eodem jure & privilegiis , quae ex Pace , cum Hispanis pacta , aut ex Pacto marino , vel ex quibusque aliis Conventionibus , cum aliis Regibus , Rebuspublicis , Principibus , Ordinibus , Urbibus ve factis , hujus Reipublicae subditis & incolis competent , addito insuper mandato , sui in Ordinum Generallium Collegium Delegati & in hac , & in aliis omnibus

cau-

(12) Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit p. 372. & 373.

338 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

causis curarent, Judaei secundum id Decretum omnino defenderentur. Si credas, illud Decretum duntaxat pertinere ad bona, non etiam ad personas Judaeorum, falteris, nam quod ad bona nullus ab Hispanis metus: ecce enim septennio ante id Decretum, anno nempe 1650. Hispaniarum Regis Legatus apud Ordines Generales jam erat testatus (¹⁴), Judaeis, qui in Belgio Foederato essent, in Hispania liceret res suas agere per homines suos, & eorum bona non aliter haberentur, quam reliquorum subditorum Foederati Belgii, modo ne ipsi in Hispaniam venirent.

Igitur amplius deliberandum est de justitia ejus Decreti 12. Jul. 1657. sed, dum deliberamus, tenendum est, reliquos Ordines Foederati Belgii nunquam simile quid decrevisse, per eos igitur recte subsistere illam interpretationem d. §. 4. &c, hac admissa, satis intelligimus, duriora illa Edicta contra immedoratam Ecclesiasticorum Pontificiorum multitudinem, in has Regiones irruentem, repeti potuisse illo 14. Apr. 1649. & postea etiam optimo jure saepius fuisse repetita. Novissimum Ordinum Hollandiae Edictum ea de re promulgatum est 21. Sept. 1730. (¹⁵) Sed hoc & alia ejusdem argumenti praetereo, contentus probasse, nulla ratione d. §. 4. plerosque Ordines Foederati Belgii habuisse sollicitos, atque si nempe obstaret interdictioni Clericorum, huc advenientium ex Imperio Hispanico.

(14) Aitzema Histor. L. XXX. p. 178.

(15) Exstat separatim & inter *Acta Ordinum*.

C A P U T X X I.

Quando & quorum navibus praestanda sit reverentia? & an damnum, quod ob reverentiam non praestitam accipitur, commune sit, ut in jactu?

Ut belli occasio evitetur, tractandum quoque, quando & quorum navibus praestanda sit reverentia? Res tota fere pendet a quaestione de dominio maris, nam si quod mare sit in dominio & Imperio alicujus Principis, ejus est ibi leges dare, & aliorum, quia ibi subditi sunt, leges accipere. Quare si jusserit Princeps in mari suo navibus vel arcibus suis reverentiam exhibere, exhibenda erit, sed si simile quid jusserit in mari non suo, impune ei non parebitur. De dominio maris quid mihi videatur, exposui singulari *Dissertatione de Dominio maris*, edita anno 1703. nec adhuc muto sententiam, Adversarii enim, quos postea nactus sum, respondi repetita ejus libelli editione inter *Opera mea minora*, quae Lugduni Batavorum prodierunt anno 1730. Distinxii in eo Opusculo inter mare terrae proximum & mare exterum, mare terrae proximum appellavi, quo usque potestas e continenti, tormentis forte explosis, porrigitur, mare exterum, in quod Princeps e terra dominari nequit. Mare proximum subjici dominio Principis, qui in terra imperat, mare exterum eximi omni dominio, nisi domini animo occupatum possessumque sit, nam, remissa possessione, existimabam, remitti quoque dominium, & inde efficiebam, nullum mare exterum nunc

340 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

esse in cujusquam Principis dominio, cum nullum a quoquam Principe possideatur. Si vera sint, quae ibi disputavi, praesertim C. II. III. & IV. his omnino consequens est, qui imperat mari proximo, recte etiam imperare, ut & quemadmodum ibi salutetur.

Secundum haec Ordines Hollandiae 16. Maj. 1670. (1) optimo jure decreverunt, in Freto maris Baltici Regis Daniae Arcem *Cronenburg* esse salutandam, ut Rex Daniae voluisse, nec minus recte Ordines Generales 3. Januar. 1671. (2) decreverunt, navium suarum Praefecti in mari proximo, quoisque tormenta exploduntur, *binnen of onder 't canon van de Forten*, salutarent, ut Principi ejus orae videretur, an autem resalutare vellet, ipsius arbitrio relinquendum, hac addita ratione, quemque enim esse dominum in suo Imperio, & quemque advenam ibi subditum. Quod si sit, ut revera est, non recte Philippus II. Hispaniarum Rex, in §. 23. T. I. Legum Nauticarum ult. Oct. 1563. (3) etiam in portu alterius Principis vetuit, salutandi causa, submittere primum aplustre, in quo Regis Hispaniarum insignia depicta & expressa sunt. Neque etiam probandum est, quod triremis Gallica, anno 1671. Arcem quamdam Genuensium praetervecta, eam salutare noluerit. (4) Haec de mari proximo.

Sed quod ad mare exterum, quod in nullius Principis dominio est, nullius quoque est reverentiam aliis imperare, & salutem, navibus suis praestandam, exigere & cum de mari extero quoque loquatur d. §. 23. T. I.

LL.

(1) *Plac. III. 1. 2. 4.*

(2) *Ibidem III. 1. 2. 5.*

(3) *Ibidem I. 2. 7. 1. 2.*

(4) *Hollandsche Almanach 1671. p. 114.*

LL. Nautic. haec tenus, ni fallor, bene se habet. Sunt quaedam, quae, tametsi honeste praestentur, inhoneste tamen petuntur. Inter ea referto, si quis minor dignitate majorem, in publico sibi obviam factum, salutet vel non salutet, & si quae minorum Principum naves in mari extero navibus majorum Principum, quaqua etiam dignitate sint, salutem dicat vel neget. Et ideo Superior Judex in Gallia, rescissa Inferioris Judicis sententia, recte absolvit & dimisit navem Hamburgensem, quae in mari Hispanico navi Gallicae Regiae vela non submiserat (5).

Attamen per plurimas Principum injurias id semper obtinere non licet. Sane qui qui maris alicujus imperium & dominium sibi adrogant, ut Franci maris Mediterranei, Angli maris Britannici, Veneti maris Adriatici, Genuenses maris Ligustici, in iis maribus Majestatem suam comiter observari volunt, & ob reverentiam non praefitam vi & vi armata agunt. Exempla non adferro, quia ipsa eorum copia laboramus. Sin autem illis, quas dixi, Gentibus, prae aliis quibuscunque, nihil quicquam juris sit in illa, quae sibi adrogant, maria, ut sa-
tis mihi videor probasse *C. V. & VI. d. Dissertat.* nihil etiam causae est, ut ab aliis aliorum Principum navibus exigant reverentiam, sibi in illis maribus praestandam. Pactis effici potest, ut, quod jure non competit, aliorum concedat metus vel ignavia, & sic ex Pactis Gens Genti dedebit, quod alioquin non debebat, quod & circa velorum demissionem recte observavit Zentgravius de *Orig. Verit. & Oblig. Jur. Gent. Art. 7. §. 10.* Atque ita in §. 13. Pacis inter Respublicas Angliae & Foe-
derati

(5) Apud Zouchcum de *Jure Faciali Part. II. Sect. 8. Q. 14.*

derati Belgii 28. Apr. 1654. (6) convenit, ut ex antiqua, ut ibi dicitur, consuetudine, quaecunque naves Foederatorum Belgarum navi Bellicae Regiae in mari Britannico submitterent sumnum aplustre & supparum. Verba, nam de verbis mox disputandum erit, sic se habent: *Dat de Schepen en Vaartuigen der Vereenigde Provincien, zoo wel van Oorloge, als andre, dewelke eenig schip van Oorloge van dese Republieq in de Britannijsche Zeen zullen komen te ontmoeten, de vlagge van de top van de mast zullen stryken, en het mars-zeil laten vallen, invoegen als oyt in vorige tyden gebruykelyk is geweest.* Quae ipsa verba etiam descripta & repetita sunt in §. 10. Pacis inter Regem Angliae & Ordines Generales 14. Sept. 1662. (7) & in §. 19. Pacis inter Eosdem 31. Jul. 1667. (8).

Quod ad illam conventionem quae situm est, an etiam tota Classis Ordinum eam reverentiam teneretur exhibere vel uni navi Regis Anglii, quaecumque illa fuerit? Magnis animis ea de re actum & pugnatum est annis 1671. & 1672. Cum Classis Ordinum mense Augusto anni 1671. prope terram Belgicam staret, Carolus II. Rex Angliae in eam immisit navem quamdam lusoria, een *Jacht*, tormentis tamen munitam, ut illae naves lusoriae muniri solent. Mox navicula illa Regia ab Archithalasso Ordinum exegit reverentiam secundum ea pacta; quam cum non praestaret Archithalassus, ejus navem tormentis petuit Anglici (9). Carolus, Ordinibus jam infensus, ea occasione arrepta, iis bel-

(6) *Plac. II. 4. 28. 2. 2.*

(7) *Ibidem Append. p. 2873.*

(8) *Ibidem III. 1. 13. 28.*

(9) *Sylvius Vervolg van Aitzema L. III. p. 180. & 181.*

bellum indixit mense Martio anni 1672. eam enim postissimum editae inductionis causam memorat, reliqua sane frigidissima sunt. Ordines, prolixo Decreto (10), integrum illam inductionem refutarunt, & ad d. §§. 13. 10. & 19. responderunt, eos pertinere non videri ad totas Ordinum Clases. Subsistit. An non pertinerent, quod naves Ordinum fuerint plures, sed una tantum Regia? At vero illi §§. loquuntur de navibus Foederatorum Belgarum, numero plurium, & mox de una tantum Regia. Nihil quoque refert, naves nostrae fuerint bellicae, an aliae, ut expresse cautum est d. §§. Unde effeceris, nec numerum, nec conditionem navium excusasse a praestanda reverentia.

Sed velim animadvertis, naves illas bellicas constituisse integrum Clensem, & integras navium Clases posse comparari, ut & vulgo comparantur, Praesidiis, Arcibus & Portibus, quibus omnes advenae primum solent & debent exhibere reverentiam. Addo, Clensem, quae stat in anchoris, eam maris partem, cui incubat, vide ri occupasse, eatenus nempe, quatenus & quamdiu incubat. Si occupaverit, transit in imperium & dominium occupantis, secundum ea, quae disputavi C. III. & IV. de Dominio maris; dominio autem in suo ipsius territorio primus ubique terrarum datur honor. Deinde memoratur tunc Ordinum Clasis stetisse onder 't Land, prope Zelandiam, neque adeo in mari Britannico, si qua fides epistulae (11), quam Syndicus Ordinum Hollandiae 22. Sept. 1671. de eo facto scripsit ad Legatum Ordinum Generalium, qui tunc in Anglia erat. Si non

in

(10) Tam indicio, quam refutatio extant apud Sylvium *tervolg van*
Aitzema L. III. p. 193. & seqq.

(11) Eam separatim penes me servo.

344 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

in mari Britannico , cessat conventio. Quod si prope terram steterit Classis , dici poterit, recte Archithalassum aplustre & supparum non submississe, quia communis Populorum usu , quem latius probavi *C. II. de Domin. mar.* marium pars , terrae proxima , ejusdem imperii censetur , cuius & terra , in terra autem , hoc est , in ipsa Zelandia nullum jus aut Rex Angliae vindicavit unquam , aut concessit quisquam. Scio , mea memoria , navem Anglicam , juxta portum Vlissingensem , hostiliiter excepisse navem Zelandicam , quod se non salutaverat , sed , cum Zelandica ibi , hoc est , in Imperio Ordinum Zelandiae , in anchoris steterit , satis manifestum est , id fuisse iniquissimum. His omnibus , quae dixi , accedit , quod in *d. §§. 13. 10. & 19.* nihil aliud convenierit , quam vel unam *navem bellicam* Regis Angliae a nostris navibus in mari Britannico esse salutandam , navem autem illam lusoriam pro *bellica* esse habendam , non satis adhuc mihi constat , certe earum navium , quas *Jachten* vocamus , ullum in praeliis navalibus esse usum , nec legere , nec audire me memini.

Quomodounque autem illa Pacta interpreteris , ea , quam dixi , causa bellum indicere sic satis est iniquum , praesertim quum Ordines id Classis suae factum non tantum non probaverint , verum & Legato Regis , ad se eam ob rem misso , significaverint (12) , in posterum , si ita Regi videretur , totas Ordinum Clases vel uni navi Regiae vela & insignia sua esse submissuras : invitissimos quippe Ordines in id bellum traxit Rex , ipsis Anglis , qui cordatiiores erant , causam belli ridentibus. Ceterum composito eo bello , omnis disputandi causa in posterum

prae-

(12) *Sylvius Vervolg van Aitzema L. III. p. 202.*

praecisa est, nam in §. 4. Pacis inter Carolum II. Angliae Regem & Ordines Generales 19. Febr. 1674. (13) convenit, quotquot Ordinum sive separatae sive conjunctae naves, bellicae aliaeve, Regis Anglorum vel uni navi, quae Regium velum (*jack*) aut aplustre haberet, ob viam factae essent, supparum (*Top-zeil*) & summum aplustre (*Top-wimpel van de grote mast*) submitterent & demerent, idque omni in mari, quod Septemtriones (*t midden van 't punt, gesegt, het Staten land in Noorwegen*) & Promontorium, quod dicitur *Finis Terrae*, interjacet. Atque id jus Regi competere Ordines in d. §. 4. testantur se agnoscere. Usu scilicet maris & fructu contenti Ordines, aliorum ambitioni, sibi non damnosae, haud difficulter cedunt.

Hac occasione quaero, si qua navis, ob reverentiam aliae non praestitam, hostiliter excepta, patiatur damnum, an id damnum sit commune, atque si jactus esset factus? Et refert Weitsen de *Avariis* §. voorts zoo heb ik 29. sic obtinuisse anno 1545. cum navis Bellica Regis Franciae navi Zelandicae, quod aplustre suum non submiserat, ingens damnum dedisset, & sic obtinuisse, quia id damnum censebatur acceptum pro salute navis & oneris; quod, inquit Weitsen, deinde ita cautum est §. 28. Legum Nauticarum Caroli V. 19. Jul. 1551. (14) Sed ego ea sententia non utor, neque enim damnum commune est, nisi quod accipitur pro salute communi, & quod accipitur, si necessitas urgeat, praesentissimo navis onerisque periculo. Si Francis aplustre suum submisisset navis Zelandica, non minus, opinor, imo magis navis bonaque salva fuissent, atque

(13) *Plac. III. I. 13. 29.*(14) *Ibidem I. 2. 7. I. I.*

atque si cum Francis pugnatum esset. Dices forte, pro dignitate Reipublicae Francis restitum fuisse, quin & sine culpa aplustre submitti non potuisse, cum id vergeret in opprobrium Reipublicae. Sed ea ratio valet, ut probes, eum, qui aliam navem aggressus est, non teneri de damno iis, qui & ipsi in oppugnatione damnum passi sunt, si, qui aggressus est, jure licito aggressus fit, non autem valet, ut probes, ad alterius damnum repandum etiam alios contribuere oportere, cum non propriis, sed pro dignitate Principis pugnatum est. Navarchus navis Bellicae recte exigit reverentiam Principi suo ex Pactis aut alia ratione debitam, &, nisi exigat, in dolo vel culpa est. Navarchus autem navis onerariae aut debet revertentiam, quam aliis exigit, aut non debet. Si debeat, & non praestet, utique ejus solius est damnum, quod accipitur, nec minus ejus solius esse putem, si malit pugnare, quam exhibere reverentiam, etiam non debitam. Ejus non est pro dignitate Principis sui pugnare, sed pro defensione navis onerisque. Praefstat aplustre submittere, quam navem onusque pugnae periculo exponere, quid enim ad navis onerisque dominos, quorum rebus praepositus est navarchus, reverentiam exhibeat, an neget? & quid ad eos damnum, ob solam contumaciam navarchi illatum?

Non igitur erit contributio communis, nisi lex sit aliqua, qua id constitutum, aut ob reverentiam praefstatim poena posita esset. Ut puta, ait §. 28. T. I. Legum Nauticarum Philippi II. ult. Oct. 1563. (15) si qui fecerint contra ea, quae in praecedentibus aliquod §§. ibi dicta erant, eorum naves capi & publicari posse. Si-
ejus-

ejusmodi quoque Sanctio exstaret, quae aplustria & vela ullis aliorum Principum navibus submittere prohiberet, si autem, naves, quae id fecissent, earumque onera publicarentur, jam defendi posset, ad reparationem danni, ob reverentiam negatam dati, ab omnibus esse contribuendum, quia sic pro salute navis bonorumque communis pugnatum esset. Quod autem Weitzen d. loc. addidit, id, quod ipse sentit, postea esse cautum d. §. 28. *LL. Nauticarum* Caroli V. verum non est. Non aliud ibi constituitur, quam damnum, quod ad defensionem navis contra piratas hostesque acceptum est, commune futurum, quod ipsum quoque repetitum est in §. 2. *T. IV. LL. Nauticarum* Philippi II. & insertum Legibus Frisicis *L. I. T. 24. §. 2.* Sed ejus rei longe alia ratio est, nam pugna cum hostibus & piratis semper fit pro salute communi navis onerisque.

C A P U T X X I I.

Varia de tributis, vectigalibus & publicanis.

Ad Reipublicae administrationem cum maxime pertinet causa tributorum & vectigalium, quia neque quies Gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt, ut res ipsa docet, etiam si non diceret Tacitus *L. IV. Histor. C. 74.* Quamvis autem tributorum & vectigalium fere indistincta sit significatio, distinguendi tamen ergo *tributa* dicimus, quae rerum, quas habemus vel acquirimus, & quae personarum nomine praestantur, *vectigalia* vero, quae invectionis evectionisque, & rerum fungibilium, quas

emimus, nomine indicuntur. Inter *tributa* & *portoria* seu *vectigalia* ea ipsa distinctio est apud Tacitum
L. XIII. Annal. C. 50.

Vegrandes in Belgio Foederato, & praesertim Hollandia, contributiones esse, vetus querela est. Sunt, qui id Rerumpublicarum, quae a pluribus administrantur, commune malum esse censem, hi enim, quo plures sunt, eo & ad eos, ut totidem, fere dixerim, Principes exhibendos, plus contribuendum esse sibi persuadent, sed an sub Imperio unius hac parte beatior subditorum conditio sit, nunc non dispergo. Id verissimum est, quicquid olim apud alias Gentes tributarium ac vectigale fuit, etiam apud nos esse, quinimo plus esse si quis largiatur, non erraverit. Romae, Reipublicae frequentandae causa, coelibatui tributum impositum, in Hollandia & Zelandia etiam nuptiis, sed ne mori quidem ibi licet impune. Alia etiam hic illic in ipsos mortuos exercetur rapacitas: templa enim, praeter quiae cadavera, alibi sepelienda, vehuntur, ab iis vectigal quoddam exigunt. Hunc morem, atque si nullo jure exerceretur, graviter increpuit Peckius de *Jure Sistendi C. V. §. 23.* apud Romanos tamen obtinuisse videri posset ex *I. 37. pr. ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi inter sumptus funeris referuntur, *si qua vectigalia sunt.* Sed magis est, ut sine alia auctoritate expressa, quae, quod sciam, alibi non exstat, benignius praesumamus de Romanorum in mortuos pietate, utque illa vectigalia potius intelligamus de iis, quae praestantur pro equis, navibus, hominibus, aliisque, quae cadaver, alibi sepeliendum, comitantur, ut haec scilicet non minus vectigalia sint, quam si alterius ejusque rei causa commeaverint. Lectio quoque in d.

d. l. 37. pr. non ubique est eadem; sed hoc jam non ago. Sane in Belgio Foederato ille mos utique improbandus est, neque enim ibi pro mortuis in Ecclesia, quam cadaver praetervehitur, preces funduntur, aut ex lege Religionis Calvinianae fundi possunt, quae tamen sola ejus exactio origo videtur, ut ab aliis jam est observatum. Sed dudum est, ex quo Calviniani, operarum negligentes, eadem tamen emolumenta sectati sunt, quae ex operis habent Pontificii (¹). Hanc autem rapinam & ego circumscriberem argumento
 §. 39. Legum, ut vocant, Politicarum, quas Ordines Hollandiae ediderunt i Apr. 1580. nam ad instar jurisdictionis haberri potest illud qualemque jus, quod Ecclesiae exercent. Idque magis probandum est ob facilitatem exactiois, neque enim quisquam patietur, propter vectigal non solutum, mortuum suum in itinere detineri. Haec rapina fere convenit rapinae plebis Polentinae apud Suetonium in *Tiberio C.* 37.

In censu ineundo bonorum descriptionem fieri, Jure Romano constat l. 4. pr. §. 1. & seqq. ff. de Censib. sed id, cum alibi, tum in Hollandia improbatum est. Exstat Decretum Ordinum Hollandiae 22 Jan. 1675, (²). quo, ob difficillima tunc tempora, continetur, etiam eorum nomine, quae hic non possidentur, ducentesimam esse solvendam, & quo ipso tamen prohibetur bonorum descriptio, quemadmodum & Curia Hollandiae Mandato cum clausula poenali hanc inhibuit 21 Oct. 1677. (³). cum quidam bona sua per-

pe-

(¹) Exemplum est in *Decis. mixt.* 176.(²) *Formul. II.* 26. p. m. 384. & 385.(³) *Ibidem II.* 26. p. m. 382. & 383.

350 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

peram professus argueretur. Ajunt Ordines in illo Decreto 22. Jan. 1675. secundum harum Regionem conditionem nefas esse bonorum descriptionem fieri, ideoque totam rem committi jurjurando ejus, a quo census exigitur, jubentur tamen Urbium Consules & Ordinum Consiliarii eam, quam commode possunt, habere bonorum cujusque notitiam, & curare, ut, qui perperam professi sunt, nomine publico accusentur. Quod jurjurando ea res committatur, non absimile est antiquae Germanorum consuetudini, quam ut singulare verae probitatis exemplum laudat Machiavel *L. I. Disput. de Republ. C. 55.* Germanos nempe, tributi loco, solvere bonorum suorum centesimam, unam duasve, eosque, praestito ante jurejurando, tantum se se soluturos, quod debent, revera etiam tantum solvere, absque ulla alia probatione vel exactione. Sed & longe gloriosius est, quod saepe in Hollandia liberae Reipublicae temporibus accidisse audio, quam plurimos nempe subditos, quum census qualiter qualiter iniretur, cum indignatione fuisse quiritatos, a se minus exigi, quam oportebat, atque adeo plus obtulisse & publico soluisse. Utque in Germanis id, quod dixi, studio libertatis adscribit Machiavel, sic in Belgis Foederatis verissimum est, quo quique libertatis studiosiores sunt, eo promptius & lubentius tolerare tributa, etiam gravissima, satis gnari, libertatem neminem bonum nisi cum anima amittere, parum igitur esse, si ei tuendae partem bonorum impendant.

Loca publica a tributis immunia sunt, &, cum olim Monetae Ordinum Hollandiae (*de Munthuyzen*) tributa quoque praestitissent, iidem Ordines decreverunt 25.

Febr.

Febr. 1667. (4) Monetae, quia ad se pertinebant, a tributis essent immunes. Sed quae situm est, an & loca publica, quae ad Ordines Generales pertinent, a tributis singularum Provinciarum sint immunia? Et quum Admiralitas Rotterdammensis armamentarium exstruxisset te *Hellevoetsluis*, & 19. Mart. 1658. ab Ordinibus Hollandiae petisset, id a tributis Hollandiae immune & esse, & in posterum manere sinerent, iidem Ordines contra decreverunt 1 Apr. 1658. (5) Decreto enim ejusdem diei complexi sunt, omnia Ordinum Generallium armamentaria tributis subjecta & esse & in posterum mansura. Quod vix convenit eorundem Ordinum Decreto 5. Aug. 1667. (6) nam cum Ordines Hollandiae tributum imposuerint carrucis pensilibus, navibus lusoriis (*Jachten*) aliisque similibus, & conductor ejus tributi id quoque Rotterdami exigere constituerint earum navium lusoriarum nomine, quae ad Ordines Generales eorumve Collegia pertinebant, Ordinum Generalium Consiliarii Epistula 21. Jul. 1667. ad Ordines Hollandiae data, petierunt, curare vellent Ordines, ne id fieret, *aangesien die Jachten en andere Vaartuygen, daar toe gehorende, niet waren toekomende eenige particuliere Ingesetenen van haar Edele Groot Mogende, maar absolutelyk aan den Staat behoorden, & secundum haec Ordines Hollandiae eo 5. Aug. 1667. decreverunt. Vis rationem? om dat, ajunt, de voorschrijf. Jachten geen Speeljachten syn, nogte ook eenige particuliere aankomen, maar ter contrarie alleenlyk ten dienste van den*

(4) *Resolutien van Consideratie ten tyde van de Wit* p. 795. & 796.

(5) *Ibidem* p. 428.

(6) *Ibidem* p. 802. & 803.

352 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

den gemeenen Staat gebruykt werden. Armamentaria igitur Ordinum Generalium, quae ex illo Decreto 1. Apr. 1658. tributum pendunt Ordinibus Hollandiae, sunt privatorum? & non sunt exstructa in usum communis Reipublicae? Vix est, ut ea Decreta simul subsistant. Si merum jus sequamur, defendi poterit d. Decretum 1. Apr. 1658. quia Princeps, quaecunque in suo Imperio sunt, recte tributis subjicit, sed animadverte, an satis amicum sit, res socii tui, quae ultra semissim ad te ipsum pertinent, & sine quibus societas salva esse nequit, in rem tuam tributis subjicere? in vectigalibus quod ad ea, quae ad commeatnm, & ad debellandos hostes evehuntur, haec quaestio potest habere usum longe frequentissimum.

Romæ non Principi duntaxat, verum & Civitatibus quibusdam tributa & vectigalia solvebantur; plurimis quidem Civitatibus vectigalia ademit Tiberius, ut narrat Suetonius in *ejus vita C. 49.* sed rursus *ad proprias fabricas* iis concessit Alexander Severus, ut est apud Lampridium in *ejus vita C. 21.* Quin & generaliter a Juliano Civitatibus restituta esset vectigalia memorat Ammianus Marcellinis *Histor. L. XXV. p. m. 530.* Apud Hollandos etiam non modo Ordinibus, sed & Civitatibus quibusdam vectigal solvit, ex Privilegiis scilicet, quae in hanc rem obtinuerunt, ut enim apud Romanos nemo vectigalia indicebat nisi Princeps *l. 10. pr. ff. de Public. & vectigal. ita & Carolus V. 6. Jul. 1515.* (7) & rursus 8. Sept. 1518. (8) edixit, ne qua Urbs vel Pagus in Hollandia vino, cerevisiae aliisque

(7) *Plac. II. Append. p. 2048.*(8) *Ibidem II. Append. p. 2052.*

que rebus nova tributa vel vectigalia imponeret , aut antiqua emendaret sine speciali Comitis privilegio. Quinimo posteriores Graviones adeo cuncta ad se traxere , ut neque Ordines , sine eorum privilegio , tributa vel vectigalia indixisse videantur , etiam tunc , cum ipsis Gravionibus essent solvenda. Ejusmodi sane sunt privilegia , quae Ordinibus Hollandiae concessit Carolus V. 5. Januar. & 16. Apr. 1543. (9).

Jcti disputant (10) , an Urbibus vel Pagis ad eas alienum dissolvendum , ad Opera publica exstruenda , vetera reficienda , aliasque impensas necessarias , tributa vel vectigalia Civibus aut Incolis suis imperare liceat ? Sed id ex cuiusque Reipublicae forma judicandum est. Antiquissimis quidem temporibus in Hollandia etiam minoris locorum Domini videntur ea imperasse ; unde totiens ab iis pacti Incolae , ut modus quidam iis poneretur. Variie id jus etiam hodie exercetur ; qui aggeribus exstruendis & conservandis praefunt , in hanc rem nunc quoque tributa quaedam indicunt , ceteri minoris Domini ex nulla fere causa indicunt : ex quo enim ambitio & potentia Gravionum crevere , non nisi ex eorum privilegio tributa vel vectigalia imponere licuit , utique non post illa , quae dixi , Caroli V. Edicta annorum 1515. & 1518. Secundum haec quum Dominus Brederodensis Coronationi Caroli V. Aquisgrani adfuissest , atque ob impensas , ibidem factas , tributum quoddam imposuisset nos in Bodegraven , hique contradicerent , contendentes , nemini in Hollandia jus esse tributum imponere sime

(9) *Repert. Curiae Holl.* p. 46. A.

(10) *Apud Peckium de Jure Sistendi* C. IV. n. 17. & *Consil. B. T. III.*
Consil. 78.

354 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

ne auctoritate Gravionis, apud Curiam Hollandiae 25. Febr. 1524. obtinuerunt (11). Cum olim multas exactiones, etiam tributi vectigalise nomine, sibi vindicarent Ballivii aliique, nullo jure, at solo usū se tuentes, & usum inde derivantes, quod cuique privato, de pecunia saepe non magna, litigare commodum non esset, Ordines Hollandiae his rapinis obviam iverunt §. 39. *Legum Politicarum* I. Apr. 1580. Sed nihilominus etiam hodie prolixe in hanc rem peccatur.

Sicuti Romae in ceterarum rerum conductionibus, obcasum inopinatum, promissae mercedis diminutio concedebatur l. 15. §. 1. & l. 25. §. 6. ff. *Locat. cond.* ita & in tributis & vectigalibus. Ulpianus certe in l. 4. §. 1. ff. *de Censib.* causas quasdam enumerat, ob quas census vel remittebatur, vel minuebatur, & Senatum Romanum, ob calamitatem, publicanis partem mercedis remisisse, lego apud Polybium *L. VI. Histor. C. 15.* Ea autem remissio vel diminutio tunc in primis rationem habet, si damnum, quod publicanis obvenit, ex ipsius locatoris parte obveniat, utputa si quosdam a vectigaliū, jam locatorum, praestatione exemerit, vel merces quasdam, vectigali obnoxias, invehere vel evehere prohibuerit, vel rerum quarundam, quae tributum pendebant, usu interdixerit. Quae ratio fuisse scribitur, quod anno 1694. Innocentius XII. Pontifex Maximus, leges de luxu coercendo non pertulerit, quoniam nempe Theologi & JCti damnum, ex ea re publicanis obventurum, a Pontifice resarcendum esse, consentiebant omnes.

Plus scire attinet, quid juris sit in Hollandia. Consilia-

liarii quidem Ordinum Hollandiae publicanis nihil quam poslunt remittere ex §. 11. eorum Formae 4. Oct. 1670. (12) non quod nullae in Hollandia remissiones obtineant, sed quod illi Consiliarii dare nequeant. In §. 16. Formae, quam Ordines Hollandiae 19. Febr. 1585. Collegio suo praescripserunt (13), contenetur, de remissionibus mercedum, quas publicani Ordinibus debent, solos Ordines esse cognituros, & inde satis appetet, etiam tunc remissionibus fuisse locum, si qua Ordinibus justa remittendi causa videretur. Nulla autem causa iustior, quam si, ut modo dicebam, post locationem ipsi Ordines sua facto iis, qui publica conduxerunt, damnum dedisse constet. Quare miror, ex §. 33. & 35. Formae Vectigalis publici (14) nullam in Hollandia publicanis remissionem dari, si vel exportatio mercium aliarumque rerum, quae vectigal debent, prohibeatur, aut nonnullis, quamvis post factam locationem, immunitas a vectigalibus concedatur. Una remittendi causa est ex d. §. 33. si loca quaedam, quorum redditus ad publicanos pertinebant, ab hostibus occupata sint, pro rata nempe temporis, quo occupata fuere. Ob eandem quoque causam annis 1640. & 1668. Ordinibus Generalibus placuit, singularum Provinciarum Ordinibus remitteretur damnum, quod in vectigalibus passi erant, dum loca quaedam eorum ab hostibus occupata aut vastata essent (15). Justa causa, & quis negaverit? Sed non minus justae duae aliae, quas sic commemoravi.

Tan-

(12) Plac. III. 1. 3. 3.

(13) Ibidem I. 1. 3. 1.

(14) Generale Ordonnantie op de gemeene Middelen, ibidem III. 7. 4. 11. & Bello Jurid. Casu 60.

(15) Sic refert Aitzema L. XLVI. p. 372. 381. 383. & 384. & L. XLVII. p. 179.

Tandem Ordines Hollandiae in §. 23. novissimae Formae Vectigalis publici 11. Mart. 1723. (16) alteram ex his duabus causis receperunt, si scilicet invectio quarundam mercium prohibeatur (cui par sit oportet causa evictionis) sed alteram, quae de concessa immunitate est, omiserunt, addiderunt autem tres novas remissionum causas, nempe inundationis, majoris incendii & pestis, reliquis omnibus plane exclusis. Unde refutandum est, quod quidam in Hollandia vectigalium conductores, quod ad remissionem, quarumcunque aliarum rerum conductoribus comparaverint (17). Ne quidem pestis antea in Belgio justa remittendi, sed duntaxat solutionis differendae causa fuit, ut est in *Disquisitionibus Politicis Casu XLIII.* Si Ordines novis Edictis publicanis noceant, damnum iis resarciri oportere, generaliter responsum est. *Consil. H. T. III.* *Consil. 105.* & 106. & *Consil. B. T. IV.* *Consil. 167. n. 1. 2.* & 3. optime, si quid judico. Praestaret in hoc argumento sequi Jus Romanum, quod in conductoribus publicis vel privatis nihil quicquam distinguit, quam sine ratione excludere causas, ibi expressas, & non admittere aequae graves vel graviores. Juri Romano fere convenient causae, enumeratae in §§. 15. 25. & 95. Formae, quam Ordines Hollandiae Rationalibus patrimonii sui dederunt 12. Mart. 1593. (18).

(16) Nieuwe generale Ordonnantie op de gemeene Middelen, quae exstat sed paratim, & inter Acta Ordinatum.

(17) Van Leeuwen R. H. R. L. IV. 40. 4,

(18) *Plac. III. 6. 1. 1.*

C A P U T XXIII.

*An Ordines Generales recte sese immisceant
controversiis singularum Provinciarum?*

Quum penes singulas Provincias jus sit summae Potestatis, quicquid ad summam Potestatem pertinet, ipsae quoque exercent, nisi renunciarint juri suo, ut renunciarunt in quibusdam causis, sine quibus Foedus Utrechtanum 23. Jan. 1579. explicari non poterat. An & quatenus renunciarint in jure belli gerendi, excussi supra L. I. C. 23. an & quatenus in jure Repressaliorum d. L. I. C. 24. an & quatenus in jure Legatos mittendi vel accipiendo *hoc Libro C. 4.* an & quatenus in jure Religionis *hoc ipso Libro C. 18.* Sed quid si inter Provincias invicem controversiae incident de juribus & privilegiis, sibi propriis? & quid si de iisdem controversiae incident inter Magistratus, Urbes, aliave membra unius ejusdemque Provinciae? Et palam cautum est in §. 1. d. Foeder. Utrecht. omnes illas controversias esse definiendas vel ordinario judicio, vel apud arbitros, vel amica transactione, hoc nominatim addito, *sonder dat de andere Landen of Provincien, Steden of Leden van dien (zoo lange zig beide Partyen 't regt submitteren) ben des zullen hebben te bemoeyen, ten ware ben geliefde te intercederen tot accord.* In nonnullis causis, quae, ut modo dicebam, ad explicandum Foedus pertinebant, & sine quibus Respublica salva esse videbatur non posse, alia componendi dissidii ratio praescribitur in §§. 9. 16. & 23. d. Foeder. Utrecht. sed de his omnibus §§. latius sum dicturus Cap. seq. Interea apparet, in causis ordinaria-

riis regulam esse, Ordines Generales non recte sese immiscere controversiis singularum Provinciarum, addita hac una exceptione, nisi Partes se judicio non submittant. Quae exceptio magnam rationem habet: si enim partes judicium subterfugiant, quid supereft, quam ut in mutuam perniciem armentur, & Foederi defendendo sic reddantur inutiles. Quod, ne fieret, omni ope erat cavendum.

Sic est in Foedere Utrechtano; sed & ante id Foedus placuit, ne Ordines Generales judicare vellent de rebus, quae ad singulas Provincias pertinebant. Unde & §. 23. Pactorum inter Amsterdammenses & Dynastam Orangium 5. Febr. 1578. (1) continetur, Amsterdammenses quidem promisisse, se de Civitatis suae administracione accusatoribus suis apud Ordines Generales, eorumve Consiliarios esse responsuros, sed Ordines Hollandiae censuisse, earum rerum, quae in Hollandia acta gesta sunt, hominumque ibi degentium accusations extra Provinciam peragi non oportere, adversari enim id Privelegiis & ipsi Foederi Gandavensi, placuisse igitur Orangio & Ordinibus Hollandiae, omnes eas accusations esse suspendendas, donec Ordines Generales de jurisdicione Senatus Mechliniensis constituisserent.

Ille autem §. 1. Foeder. Utrecht. ad controversias inter Groninganos & Ommelandenses nunc non pertinet, quamvis tunc pertinuerit. Ommelandenses subscripserunt Foederi, &, quamvis non subscripserint Groningani, in Foedere tamen fuisse, videor recte probasse L. I. C. 16. Groningani quidem, Groningam habentibus His-

(1) Satisfactie aan die van Amsterdam, exstat in de Handvesten van Amsterdam 1663. p. 141.

Hispanis, Foedere exciderunt, sed recuperata ab Oran-
gio Groninga, ad id redierunt ex §. 2. Legum, quibus
dedita est Groninga 23. Jul. 1594. (2), Sed non redie-
runt aequo foedere, ut observabam quoque d. C. 16. ec-
ce enim §. 5. earuñdem Legum ita expressum est: *dat
bet different tuſſchen de Stad Groningen en de Omlan-
den (3) geresen, ende zoo nog soude mogen rysen, zal
staan tot determinatie en dispositie van de Heeren Staten
Generaal, of bare gecommitteerde.* Groningani in his-
ce controversiis se submiserunt arbitrio Ordinum Gene-
ralium, sive ex Legibus deditioñis, sive ex compromis-
so, Ommelandenses ex solo compromisso, ne cum du-
riore adversario sibi perpetuo esset conflictandum. Se-
cundum haec certe inter Groninganos & Ommelanden-
ses saepe judicarunt vel ipsi Ordines Generales, vel alii,
ab his delegati, quemadmodum 21. Januar. 1597. 8.
Mart. 1599. & 10. Apr. 1600. (4) & rursus 18. Aug.
& 4. Dec. 1610. & 3. Jul. 1615. (5). Dixerunt quidem
Groningani 3. Mart. 1677. d. §. 5. tantum pertinere ad
controversias, quas tunc, anno nempe 1594. invicem
habebant, sed contradixerunt Ommelandenses, & se-
cundum hos decreverunt Ordines Generales 3. Aug.
1677. (6). Recte: nam & de controversiis, in poste-
rum oriundis, diserte cautum est in d. §. 5. Ceterum in
eo §. 5. duntaxat sermo est de quaestionibus, inter Gro-
ningam & Ommelandiam ortis vel oriundis, & inde
appa-

(2) Plac. I. l. I. 4.

(3) Haec verba, en de Omländen, perperam omessa sunt d. n. 4. Sed ali-
bi leguntur, & omnino legi debent.(4) Exstant illae sententiae separatis, & memorantur quoque *Reperi-
tio
Ordin. Gener. p. 16. A.*(5) *Ibidem p. 21. A. & p. 23. A.*(6) *Hollandsche Mercurius 1677. p. 113. & p. 149.*

360 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

apparet, ultra eas quaestiones porrigidum non esse. Si igitur ipsi Groningani inter se, vel ipsi Ommelandenses inter se dissentiant, nullae plane partes erunt Ordinum Generalium, nisi forte ex novo compromisso, de illis controversiis tunc interposito. Cum Ommelandenses saepissime invicem sint tumultuati, & adhuc tumultuentur, ex eorum praecedenti compromisso saepissime etiam jus dixerunt Ordines Generales, sed si nullum sit compromissum, quod in singulis causis diligenter observandum est, cessabit omnis eorum jurisdictio, & locus erit regulae, quod ad omnes Provincias praescriptae in *d. §. I.* Foed. Utrecht.

Quid autem est, quod Ordines Generales eorumve Delegati aliquando etiam contra Utrechtanos nonnullos judicarunt? de illo judicio exstat epistula 17. Mart. 1610. (7) & eo quoque videntur referenda Edicta, tam a Consiliariis Ordinum Generalium ult. Maj. 1610. quam ab ipsis Ordinibus Generalibus promulgata 15. Aug. 1612. (8). Perperam, inquies, judicarunt, nam ex *d. §. I.* singularum Provinciarum, earumve partium quaestioneeris, nisi de iis transigatur, aut ad ordinarium judicem, aut ad arbitros deferendae sunt. Imo non perperam, non quod in ea specie locus fuerit exceptioni, quam habet *d. §. I.* excludi scilicet Ordines Generales, nisi partes nolint se judicio submittere, nescio enim, an id tunc obtainuerit, sed quod ex auctoritate Ordinum Utrechtanorum censendum sit illud judicium. Ne igitur ea causa aliis praejudicio sit, sciendum est illas sententias, quas Delegati Ordinum Generalium anno 1611.

contra

(7) Repertor. *Ordinum Generalium* p. 20. B.

(8) *Plac. I. I. 17. Edicta Ordd. Gener. n. 6. & 7.*

contra seditiosos quosdam Utrechtanos dixerunt, esse dictas op *authorisatie van de Heeren Staten's Lands van Utrecht, en den Gerechte der Stad Utrecht*, ut didici ex Praefatione d. Edicti 15. Aug. 1612. Atque ita recte judicarunt, qui alioquin judicare non poterant.

Quum 8. Apr. 1654. magni motus inter Ordines Transisulaniae essent excitati, qui totam illam Provinciam concusserunt, Ordines Hollandiae 18. Sept. 1654. decreverunt (9), ageretur apud Ordines Generales, quo mandarent militibus, qui erant in Transisulania, ne cui partium parerent, dummodo id paterentur Transisulani, ad Comitia Ordinum Generalium delegati. Qui si id nollent, se id suis militibus, qui erant in Transisulania, mandaturos, usque dum cessarent illae secessiones, ac tunc rursus milites parerent, ut juraverant se parituros, Ordinibus Transisulaniae. Sed cum ea apud Ordines Generales proponerentur, contradixerunt Transisulani Delegati, atque ita nihil quicquam decreverunt Ordines Generales. Tandem de iis quaestionibus, tentatis frustra transactionibus, Ordines Transisulaniae compromiserunt in Arbitros quosdam, qui eas sententia sua definirent Ordinum Hollandiae nomine; quae sententia etiam sequuta est 20. Aug. 1657. quemadmodum haec omnia uberrime exstant in Ordinum Hollandiae Decreto 21. Sept. 1657. (10) cuius alia occasione etiam supra memini hoc Libro C. 3.

Exceptis igitur controversiis inter Groninganos & Ommelandenes, de aliis, in aliis Provinciis exortis, Ordines Generales, quod sciam, nunquam judicarunt, nisi

(9) *Resolutien van Confederatie ten tyde van de Wit p. 216. & seqq.*

(10) *Ibidem p. 381-421.*

nisi qua Arbitri ex compromisso partium , vel ex delegatione , atque adeo ex auctoritate ipsorum Ordinum. Saepe quidem , missis etiam Delegatis suis , conati sunt fluctus , hic illic motos , componere , sed , si transactio non successit , a judicando plane abstinuerunt. Quum anno 1668. inter Proceres Frisiae magnis animis disputaretur de quibusdam , quae ibi inciderant , & forte adessent Ordinum Generalium Delegati , alia occasione missi , pars inferior apud eos prolixe questa est de injuria , sibi facta. Delegati has querelas ad Ordines Generales transcripterunt 24. & 25. Feb. 1668.
 (11). Quo intellecto Deputati Ordinum Frisiae & ipsi literas dederunt ad Ordines Generales 29. Febr. 1668.
 (12) enixe rogantes , ne illi Ordines sese immiscere vellent rei , ad se non pertinenti , se jam de controversiis , apud se exortis , judicasse , & sibi solis de his judicandi jus esse. Qua Epistula moti Ordines Generales nihil quicquam sibi adrogarunt (13)

Quamvis autem mihi non succurrat exemplum rei apud Ordines Generales , sine compromisso vel delegatione , judicatae inter dissentientes unius ejusdemque Provinciae partes , judicare tamen possunt , si partes judicio se subtrahant , ut saepe se subtraxerunt. Existant in Annalibus exempla , & mea quoque memoria extiterunt , eo usque saepe in nonnullis Provinciis esset turbatum , ut partes non tantum ad arma , sed & ad caedem & sanguinem venerint , utque ad perfectam

amag-

(11) Hollandsche Mercurius 1668. p. 43-46. & Aitzema L. XLVIII. p. 211. & seqq.

(12) Ibidem d. p. 46. & Aitzema d. L. XLVIII. p. 222.

(13) Ibidem d. anno 1668. p. 49. & Aitzema d. L. XLVIII. p. 220. & p. 273. & 274.

anaḡias nihil fere fuerit reliquum. Ut antiquiora tempora praeterem, anno 1702. & aliquot sequentibus, post mortem Wilelmi III. Gelria & Zelandia adeo in contrarias factiones fuerunt scissae, ut in his filuerint leges & judicia. Simulac pars inferior judicem, qui neutrarum partium erat, adiret, mox superior auctoritate sua intercessit, & curavit, ut judicium vel suspenderetur vel aboleretur. Et ne sic quidem Ordines Generales vel singularum Provinciarum partes suas interposuerunt nisi per modum transactionis, minime vero per modum judicii. Scin', quid impediverit? folius, ni fallor, metus, ne, quo jure in aliis Provinciis usi fuissent Ordines Generales, in posterum in suis quoque uterentur; quod ne fieret, singularum Provinciarum aequa intererat.

Sed, ajes, nunquamne Ordines usi sunt eo jure, quod ipsis dedit exceptio in *d. §. 1. Foed. Utrecht.*? ministinē annorum 1618. & 1619. quibus Ordinum Generalium delegati Judices sententiam dixerunt de capite & bonis eorum, qui tunc sedebant ad clavum Reipublicae Hollandicae? Probe memini; sed cave puites, eam causam incidisse in exceptionem *d. §. 1. Exceptio* ait, *nisi partes se judicio non submittant*, tantum autem abest, ut, qui tunc judicati sunt, Judici suo se subtraxerint, ut potius, simulac obtorto collo ad Judices delegatos rapti essent, magno convitio ad Judicem suum provocaverint, ejusque sententiam nec subterfugerint, nec reformidaverint. Si quaeras, quo igitur jure Ordinum Generalium delegati Judices in ea causa judicaverint, peritiores consule, nam non est, ut ego tibi dicam.

C A P U T XXIV.

De modis conciliandi dissentientes Provincias.

Si quae controversiae incident inter ipsas Provincias, quae foederatae sunt, quemadmodum conciliandæ sint, meretur despici. Intricatissima sane est haec quaestio, sed tamen utilissima, ne Respublica, quae sola fere concordia crevit, discordia aliquando dilabatur. Dicam autem de modis conciliandi dissentientes Provincias, primum ex Foedere Utrechtano, deinde ex iis, quae post id Foedus sequuta sunt, & his consultis judicandum, an rei, adeo necessariae, satis prospectum fit. Quod continetur §. 1. d. Foederis, etiam ad dissentientes Provincias videbatur porrigidum, nam ait, *dat de quaestien, die EENIGE VAN DE VOORSCHR: PROVINCIELEN, Leden ofte Steden van de Unie wesende, met den anderen hebben, ofte namaals zouden mogen krygen, nopendehaar lieder particuliere en speciale privilegien, vryheden, exemptien, regten, statuten, loffelyke en wel bergebrachte Costuimen, usantien en andere haar lieder gerechtigheden, dat de zelve by ordinaris Justitie, Arbiters of mimelyk accord beslist zullen werden.* Et tamen verum est, inter dissentientes Provincias, quarum singulae sui juris sunt, nullum esse judicem competentem, nedum Judicem ordinarium, atque ita, quantum ad has attinet, tentata ante transactione, statim recurrentum videri ad Arbitros, nec, ut sequitur, ulla Ordinum Generalium esse partes, si Provinciae, quae dissentunt, in Arbitros

com-

compromittere paratae sint. Sed haec quidem ibi generaliter, at in §. 9. d. Foeder. postquam placuerat, in causis Induciarum, Pacis, Belli & Contributionum non nisi omnium Provinciarum unanimi consensu decerni posse, specialiter cavetur, si in his, quae dixi, causis Provinciae dissentiant, dat 't geschil zal gerefereert en gesubmitteert werden by provisie aan de Heeren Stadhouders van de voorschreve geunieerde Provincien, nu ter tyd wesende, die 't voorschreve geschil tusschen partyen zullen vergelyken, of daar van uytspreken, zulks zy luiden bevinden zullen in der billikheid te behooren. Quod si & ipsi Gubernatores dissentiant, ex eodem §. 9. Arbitri adsciscuntur. Rursus in §. 16. d. Foed. si qua contentio oriatur, quae ad unam duntaxat Provinciam pertinet, ejus arbitrium fore penes omnes reliquas, sin autem ad omnes Provincias pertineat, Gubernatores de ea esse arbitraturos secundum d. §. 9. Tandem in §. 21. d. Foeder. si quid dubiae quaestionis nascatur ex ipso Foedere, omnes Foederatos paribus suffragiis Foedus esse interpretaturos, sed, si dissentiant, Gubernatorum, ut ante dictum erat, partes succedere.

Vides, quam varie? & quis haec componat? Diceres ex d. §. 1. de omnibus controversiis inter dissentientes Provincias ad Arbitros esse eundum, & ex d. §. 16. secundum distinctionem, ibi factam, vel judicant reliquae Provinciae vel Gubernatores, remotis plane Arbitris. An d. §. 1. referendus erit ad jus singulare quarumque Provinciarum, d. autem §. 16. ad jus commune Foederis? sed non distinguit d. §. 16. & si sic interpreteris, tantundem diceret, quod dicit d. §. 21. ibi namque agitur de iis, quae ad explicandum

366 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Foedus pertinent, & alia quoque ibi sanctio est, quam in d. §. 16. Iterum in d. §. 9. causae quaedam graviores relinquuntur arbitrio Gubernatorum, qui tunc erant, sed duntaxat *by provisie*. Quid autem si illi fato suo fuerint functi? quid si nulli sint? & quid si unus tantum? nihil definitum est. Fere idem quaeri potest quod ad d. §§. 16. & 24. ubi de Gubernatoribus sermo est. Arbitri etiam adsciscuntur ex d. §. 9. si inter Gubernatores non conveniat, sed an & quomodo eorum arbitrio standum sit, non exprimitur.

Sunt haec adeo obscura & tantum non pugnantia, ut anno 1651. inter Foederatos serio quæsitum sit de eorum omnium interpretatione, & simul laboratum de nova ratione conciliandi dissentientes Provincias. Quod dicitur in d. §. 9. de causis quibusdam arbitrio Gubernatorum, qui tunc erant, relinquendis, & quidem *by provisie*, Frisia de omnibus deinceps Gubernatoribus intellectum voluerunt in his, quae in Ordinum Generalium extraordinariis Comitiis proposuerunt 27. Januar. 1651. (1) verbis *by provisie* in d. §. 9. ita acceptis, dat haar *Uytspraak provisionele executie zoude obtinneren*, & verbis, *nu ter tyd wesende*, relatis ad τὰ γενιέρδε *Provincien*. Quae pessima interpretatio est, ab Hollandis recte refutata in his, quae & ipsi in iis Comitiis proposuerunt mense Februario 1651. (2). De mente ejus §. 9. si per se non constaret, liquido constare poterat ex Constitutione Joannis Nassavii, Georgii van Lalaing, ut & Gelrorum, Zutphaniensium, Hollandorum, Zelandorum, *Frisorum* quoque, itemque

(1) Aitzema *Herstelde Leeuw* p. 160. & 161.(2) Idein *ibidem* p. 226. & 227.

que Utrechtanorum & Ommelandensium, facta 13.
 Jul. 1579. (3) proxime post Foedus Utrechtanum,
 qua inter alia continetur, si quaestio incideret de exe-
 cutione tributorum, inchoata contra subditos alicujus
 Provinciae, dat die quaestie staan zal by provisie tot de-
 cisie van de Heeren Stadbouders van de Provincien, nit
 ter tyd zynde, in der forme, als van andere Differen-
 ten, die tusschen dese Provincien zullen mogen vallen,
 by nader Unie geseit is. Quae utique, quod ad arbit-
 rium Gubernatorum, id ipsum ajunt, quod ait d. §. 9.
 & tamen, ut Frisia interpretati sunt, illum §. 9. nullo
 modo accipi possunt. Quamvis autem ea parte mihi
 dubium non videatur Foedus, aliis tamen partibus esse
 dubium, quin & sibi contrarium, ex iis, quos dixi,
 §§. satis mihi videor probasse.

Summo igitur jure eo anno 1651. actum est de aliis
 modis conciliandi dissentientes Provincias, idque ma-
 gis necessarium esse coepit, ex quo Provinciae nonnul-
 lae carebant Gubernatoribus, quorum auctoritas de-
 fendebat Foedus, nec etiam impense desiderabant alios.
 Utinam de re tam utili, quam necessaria non tantum
 actum, sed & transactum esset! Et quamvis transac-
 tum non sit, magni tamen interest scire, quid de cau-
 sa tanti momenti censuerint singulae Provinciae. Indi-
 cabo autem loca, unde id scire liceat, nam singularum
 sententias describere nunc quidem mihi nec vacat, nec
 lubet. Gelri, quid sibi videatur, in extraordinariis
 Comitiis apud Ordines Generales proposuerunt 20. Ja-
 nuar. 1651. (4). Hollandi 26. Jul. 1651. (5) Zelandi-

22.

(3) Est in de *Resolutien van Consideratie seu tyde van de Wit* p. 67^o.
 & seqq.

(4) Aitzema *Hofstede Leeuw* p. 136. & 137.

(5) Idem *ibidem* 126 128.

368 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

22. Januar. 1651. (6) Utrechtani sine die & Consule (7). Frisi 20. Jul. 1651. (8) rursum iidem 22. Jul. 1651. (9) & iterum postea (10). Transisulani 7. Febr. 1651. (11) & Groningani 20. Jul. 1651. (12).

Hollandi autem suam conciliandi formam non aliter valere voluerunt, quam si de reliquis causis dissidenter Provinciae, non etiam de causa contributionum, *buyten materie van Consenten*. Gelri, Zelandi, Utrechtani & Transisulani hanc exceptionem rejecerunt, probata ceteroquin in omnibus Hollandorum forma 19. Aug. 1651. (13) sed neque tunc (14), neque antea (15) Hollandi, qitamvis enixe rogati, ab exceptione sua recesserunt. Attamen Ordines Hollandiae 2. Maj. 1663. decreverunt (16), apud Ordines Generales curaretur, ut sua forma reciparetur simpliciter, etiam cum de contribuendo agitur, sed ad sex annos duntaxat. Verum quum neque Frisi, neque Groningani eo anno 1651. in eam consenserint, neque Hollandorum limitatio ad sex annos reliquis Foederatis videatur placuisse, etiam d. anno 1663. nihil profectum est.

Sane Hollandi non absque ratione urgebant illam, quam dixi, exceptionem, satis enim intelligebant, liberum in tributa consensum fortissimum esse libertatis

pro-

(6) Aitzema *Herveldse Leeuw* p. 141-144.

(7) Idem *ibidem* p. 171. & 172.

(8) Idem *ibidem* p. 520. & 521.

(9) Idem *ibidem* p. 522. & 523.

(10) Idem *ibidem* p. 525-527.

(11) Idem *ibidem* p. 229. & 230.

(12) Idem *ibidem* p. 521. & 522.

(13) Idem *ibidem* p. 534. & seqq.

(14) Idem *ibidem* p. 536.

(15) Idem *ibidem* p. 531.

(16) *Resolutien van Consideratie sen tyde van de Wit* p. 669. & seqq.

propugnaculum , ab iis pendere & bellum & pacem ,
 & alia magni momenti capita , quin ipsos milites non
 solutis stipendiis , in perniciem Principis sui esse con-
 spiraturos. Atque hinc est , quod ipsi illi Ordines Hol-
 landiae in libello , quem contra Orangianos ediderunt
 anno 1651. cuius supra memini C. 4. prolixo defendant ,
 etiam Ducum Gravionumque temporibus quasque Pro-
 vincias libere de tributis consuluisse , eaque , si ita vide-
 retur , nulla redditia ratione , quotannis negare potuiss-
 se. Et quum Ordines Generales 18. Aug. 1650. decre-
 vissent , si qua de dimittendis militibus inter Provin-
 cias esset quaestio , ea Gubernatorum arbitrio submitte-
 retur , Hollandi , Zelandi , Utrechtani , Frisi , Transi-
 fulani & Groningani adnotarunt (¹⁷) , behoudens *de*
vryheid in 't stuk van de Consenten , satis gnari , frustra
 Gubernatores milites retinere , si Ordines ex tributis
 non suggerant stipendia. Etiam ea adnotatio satis sig-
 nificant , inter illas sex Provincias tunc convenisse ,
 mortuis , qui tempore Foederis Utrechtani erant , Pro-
 vinciarum Gubernatoribus , cessare §. 9. ejus Foederis ,
 nam ex eo tributorum quoque causa Gubernatorum ar-
 bitrio relicta erat : sic ut Frisi tunc aliter sapuerint , ac
 sapuerunt 27. Januar. 1651. De Groninganorum sen-
 tentia etiam aliunde constabat , hi quippe , sibi habentes
 persuassimum , nunc cessare arbitrium d. §. 9. in iis ,
 quae in extraordinariis Comitiis apud Ordines Genera-
 les proposuerunt 27. Januar. 1651. (¹⁸) ea ipsa ratione
 videntur petuisse , ut , quod ait d. §. 9. de Gubernato-
 ribus tunc vivis , in posterum decerneretur de omnibus
 aliis.

Etiam

(¹⁷) Aitzema *Herstelde Leeuw* p. 81-85.(¹⁸) Idem *ibidem* p. 165.

370 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Etiam Ordinum Generalium Delegati 21. Jul. 1651. formam conciliationis proposuerunt, quam Gelri, Zeelandi, Utrechtani & Transsilvani *op het welbehagen vanbare Principalen*, & Hollandi simpliciter & absolute probasse dicuntur (19). Sed quia in ea forma contributionum causa excepta non est, cui, ut dixi, mordicus inhaeserunt Hollandi usque ad annum 1663. Auctoris, qui ita scripsit, fide id esse jubeo. Et si vel eam formam probassent Hollandi, probassent soli, deficeret igitur omnium aliarum Provinciarum consensus, qui, quod sciam, etiam postea sequutus non est. Quare nec illa, nec ulla alia alicujus Provinciae forma unima consensu probata unquam recepti fuit.

Ceterum si qua forma exstaret, etiam omnibus numeris perfecta, & a cunctis Foederatis laudata, ea utique non pertineret nisi ad componendas controversias, quae ex communi Foedere proficiscuntur, cum nempe queritur, quid socium sociis dare vel praestare oporteat, & in ejusmodi tantum causis valere, nominatim §. I. suae formae inseruerunt Hollandi, & Frisi quodque ei formae, quam postremum ediderunt, quamvis reliquarum Provinciarum formae, vitio scripturae, fere latius pateant. Sed in causis, quae ad singulas Provincias pertinent, Ordinum cujusque Provinciae sola potestas est, nulla vero Ordinum Generalium, nisi membra Ordinum & Magistratus unius ejusdemque Provinciae invicem dissentiant, & judicio se nolint submittere. Quae una exceptio est, de qua Cap. *praeced.* plenius disputabam.

Caremus igitur adhuc formula conciliationis, paribus om-

(19) Aitzema Herstelde Leeuw p. 518. & 519,

omnium Foederatorum suffragiis probata & recepta.
 Praestaret sane qualem qualem habere, quam nullam.
 Hollandica p[re]caeteris placet, & si forte hic illic emen-
 daretur, non est, ut eam morosi rejiciamus. Necessita-
 tem novae formulae diligenter exposuerunt Ordinum
Generalium Consiliarii in tribus Epistulis, ad Ordines
Generales missis 14. Decemb. 1716. & 18. & 27. Ja-
 nuar. 1717. (20) quemadmodum & exstat nova ejus-
 modi formula, prioribus auctior & emendatior, ab
 utrorumque Delegatis composita 12. Apr. 1721. (21).
 Quamvis autem haec eodem die ad Ordines singula-
 rum Provinciarum transmissa sit, nihil tamen adhuc ef-
 fectum est, nec forte efficietur unquam. Quapropter,
 ut nunc est, relabimur ad Foedus Utrechtanum, sed
 & ita relabimur ad statum, longe deteriorem, quam
 erat tempore conditae Reipublicae, tunc enim, ad pla-
 canda dissidia, in rebus gravissimis variae erant Guber-
 natorum partes, nunc nullae sunt, etiamsi in plerisque
 Provinciis non sublata esset Gubernatorum potestas, ut
 revera est. Dum supererant Gubernatores, posteriorum
 sola auctoritas saepe efficit, quod priorum potestas, &
 sic quodammodo explicati sunt d. §§. 9. 16. & 21. Foe-
 der. Utrecht. Sed exstantis vel ad unum redactis Gu-
 bernatoribus, quomodo explicabuntur d. §. §.? Si desit
 potestas, & simul omnis auctoritas, quae invitos & dis-
 sentientes Socios in ordinem cogat, quid supereft,
 quam ut singulæ Provinciae, sicuti sunt sui juris in rebus
 Provinciae suae, ita etiam sint in rebus, ad commune
 Foedus pertinentibus. Quod quam sit inutile, & ad
 Rem-

(20) Exstant separatis & inter *Acta Ordinum.*(21) Separatis & inter *Acta Ordinum.*

372 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

Rempublicam perdendam vergat, nemo est, qui non intelligat. Apage Gubernatores, si absque iis Respublica salva esse possit, sed, ut possit, semel omnibus Foederatis placeat nova conciliandi formula, quae potestatem auctoritatemve Gubernatorum supplet. Si tu putas, hanc magis sperandam, quam exspectandam esse, ego putem, non semper adfuturum Θεον τόπον δι μηχανῆς, qui Rempublicam servet incolumem.

C A P U T X X V.

Variae Quæstiunculae.

I. **R**ecete dixi Grotius *de Jure B. & P. L. II. C. 9.* §. 3. jus Populi non deficere, nisi deficiat ipse Populus. Forma autem Regiminis mutata non mutatur ipse Populus. Eadem utique Respublica est, quamvis nunc hoc, nunc alio modo regatur: alioquin dices, Rempublicam in statu, quo nunc est, exfolutam videri pactis & debitis, in alio statu contractis. De debitis id dicere non licere, consentit Grotius *d. L. II. C. 9. §. 8. n. 3.* De pactis ut idem dicamus, eadem, quae in debitis obtinet, ratio persuaserit. Cum tamen inter Henricum VII. Angliae Regem, & Philippum, Archiducem Austriae §. 14. Pacis 24. Febr. 1495. (1) tam pro Anglis, quam Belgis convenisset, ut utriusque subditis liceret ubique ire, navigare, *PER MARE SECURE PISCARI* absque aliquo impedimento, licentia seu salvo Conductu, Angli deinde, liberam piscandi

(1) *Corps Diplomatique* Tom. III. Part. 2. n. 171.

di libertatem Belgis invidentes, huic Paci stare noluerunt, atque si facta esset cum alio Principe, cum Archiduce nempe Austriae, non vero cum Ordinibus Generalibus. Omnino perperam; & tamen saepius ita Angli adversus d. §. 14. cavillati sunt, mota identidem hominibus nostris de pescatione controversia (1). Cumque alias plurimi §§. ex ea Pace 1495, in sequentium temporum Paces, cum Angliae Regibus factas, fuerint transcripti, ille tamen §. 14. nunquam deinde repetitus fuit. Nihilominus Belga, ut par est, utuntur ea libertate pescandi, & utentur in posterum, quamdiu Foederibus sua constabit fides. Etiam Daniae Rex Ordinibus Generalibus servare noluit Pactum Spirens, cum Imperatore Carolo V. pro Belgis initum (3), eadem prorsus ratione, qua Angli stare nolebant d. §. 14. Quae ideo omni quoque colore veri destituebantur, quia ambo illa Pacta non erant inita nisi pro ipsis subditis: neque enim Philippus Austrius, pescatum enavigaturus, sibi libertatem pescandi pepigerat, aut Carolus V. per Fretum Balticum mercaturus, sibi prospexerat, ne nimis vectigalibus oneraretur. Illud tamen Pactum Spirens optineri deinde non potuit, sive ob hanc, sive ob alias ratiunculas, aequo perperam ei obmotas.

II. Quemadmodum utraque Curia Hollandiae facinorosos suos etiam deportat ex Ditione Utrechtana, sic & Curia Utrechtana deportat suos ex tota etiam Hollandia. Cum autem nemo ex alieno Imperio vel territorio possit deportare, quaelitum est, quo jure id utrimque

(1) Vide Aitzema *Histor.* L. I. p. 26. & 32. & L. XVI. p. 277. & 278.
& alibi.

(3) Apud eundem L. XXIV. p. 650-660

que fiat? Et video provocari (⁴) ad Legem Caroli V. qua 17. Apr. 1534. (⁵) Hollandiam cum Ditione Utrechtana unire, & sub uno Imperio conjungere constituerat, & sane hoc ibi totidem verbis sanctitur. Sed quum illa conjunctio non successerit, oportet etiam cesseret ejus conjunctionis effectus, ut cessant reliqua omnia, quae de illa coniunctione ibi sanctita sunt. Inde igitur arcessere illum morem, fatis tutum esse non videatur. Quid si potius id jus derivemus ex Lege Maximiliani Augusti, qua anno 1483. (⁶) Utrechtanis interdixit, ne eos, quos Curia Hollandiae in exilium damnasset, in Urbem suam reciperent? Sed fortasse ex ea Lege recte effeceris, Curiam Hollandiae etiam ex Ditione Utrechtana posse deportare, sed non recte effec-
teris, etiam Curiam Utrechtanam recte deportare ex Hollandia. In Foedere Romanorum cum Antiocho con-
venit, Romanos exiles Antiochus ne reciperet, ut est apud Polybium *Excerpt. Legat. C. XXXV. n. 4.* Sed cum ea pactio non esset mutua, Romani utique pote-
rant recipere exiles Antiochi. Nihil igitur adhuc suc-
currit, quo defendam Hollandorum & Utrechtanorum parem hac in re potestatem, quam solo usu.

III. Ut non omnium Imperiorum, sic nec omnium Principum justus est titulus. Unde quaelitum est, an valeant acta gesta ejus, qui forte Imperium invasit, de-
turbato legitimo Principe? Et forte, quod Jure Roma-
no placuit de servandis actis gestis Barbarii Philippi, ser-
vi fugitiivi, & tamen Praetoris, ob utilitatem publicam
in

(4) a. Mattheo de Criminibus L. XLVIII. T. 20. C. 3. n. 7. & van Zurk
Cord. Batav. verbo Ballingen §. 1.

(5) Plac. III. 1. 1. 17.

(6) Memorat eam Legem Matheus d. loco.

in ipsis Principibus quoque placere potest. Quin & ita forte intelligendum, quod exstat in fine l. 3. ff. de *Offic.* Praeter. *Quod jus multo magis in Imperatore observandum est.* Subditorum est etiam in iustis Principibus parere, & eorum iussa capessere. Recte ad Tiberium M. Terentius apud Tacitum *L. VI. Annal. C. 8.* *Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.* Similis est oratio, sed perfida, Husaei ad Absalonem *II. Samuel C. 16. §. 18.* se scilicet ejus esse, quem Deus & Populus elegerit. Publice igitur expedit, ut acta & pacta quorumcunque Principum habeantur rata, exceptis his, quae occupando vel defendendo impie Imperio causam praebuerunt. Secundum haec in plerisque Legibus sub *Titulo Cod. Theod. de infirmandis his, quae sub Tyrannis aut Barbaris gesta sunt,* non omnia in iustorum Principum acta rescinduntur, sed ea duntaxat, quae per solam injuriam constituta sunt. Sic est in *l. 2. 3. & 5. d. Tit.* nam quod omnia Heracliani rescindat *l. 13. Eod.* in Heracliano omnino singulare est. An Cromwelliani in Anglia apud Carolum II. ex forma nuperrimi tunc Imperii recte se defenderint, nec dispergo, nec definio; certe iis anno 1660. defensionem suam non profuisse testantur Annales (7).

IV. Peregrini, etiam Doctissimi, in rebus nostris aliquando plane caecutiunt: didici id non uno exemplo, & ecce aliud illustre. Jacobus Gothofredus *Diatriba de Jure Praecedentiae Part. I. C. 3. §. 24.* inter Populos Foederatos non semper Potentioribus honoratiorem locum tribuit, sed primis saepe libertatis auctoribus, & ideo, ut mox ibi addit in *Notis, in Belgicis Provinciis*

con-

(7) Aitzema *L. XL.* p. 396-900.

376 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

confoederatis Geldri primas tenent. Res ipsa vera est, ratio minus vera. Gelri jam ante abrogatos Comites primas tenuerunt inter Provincias, deinde Foederatas. Neque Gelri, sed Hollandi Zelandique prima libertatis signa extulerunt. Inter Ordines Generales non alia causa praecedunt Gelri, quam ex titulo Ducali, qui Comitatensi & Dominico semper est praelatus. Gelria a multis retro saeculis est Ducatus, reliquae Provinciae non nisi Comitatus, vel Dominia, vel Dioceses. Inter Utrechtanos & Frisios, etiam ab initio Reipublicae, de praerogativa ordinis fuisse turbatum memorant Ordines Generales in Decreto 20. Apr. 1674. (8) Sane in titulis Caroli V. & Philippi II. Frisiis praeponuntur, neque aliter proxime post recuperatam libertatem, nam & praeponuntur in Edicto, quo Comitibus Imperium abrogatum est 26. Jul. 1581. Utrechtani tamen praecesserunt in Comitiis Ordinum Generalium, forte ob honorem Regiminis Ecclesiastici. Sed post occupatam a Francis, & mox recuperatam a nostris Ditionem Utrechtanam, rursus Frisiis de praerogativa Ordinis Utrechtanis controversiam moverunt, ad quam finiendam in Gubernatores Hollandiae & Frisiae utrimque compromissum esse narrat d. Edictum 20. Apr. 1674. Sed uti possederunt Utrechtani, sic adhuc possident.

V. Quaerunt Politici, & quaerere dignum est, ecquid servare oporteat, si in unum locum convenire necesse sit, qui de jure praecedentiae disputant? Fac de rebus Publicis vel de rebus Ecclesiasticis simul deliberandum esse, &, qui contendunt, constituisse locum priorem pertinaciter tueri? De ea specie varias variorum sententias

(8) *Plac. III. 1. 1. 39.*

tentias recitat Auctor *Disquisitionum Politicarum Casu XII.* Nihil sane melius & aequius, quam quod inter Utrechtanos & Frisios convenit? cum, ut modo dicebam, anno 1674. invicem turbarent de praerogativa ordinis, ut nempe alternis vicibus praecederent, & utri primum, forte definiretur, sic enim inter eos placuisse, ait id ipsum Decretum 20. Apr. 1674. Nullum *euonyma* aequae commodum est, alia omnia laborant suis difficultatibus. Probandum utique non est, quod in Concilio Tridentino, post plurimas altercationes, de digniore loco, probarunt Galli Hispanique, illos scilicet praefatos, qui singulis vicibus priores digniorem locum occupassent, interposita totiens ab iis qui posteriores venissent, contestatione de non praejudicando. Id, inquam, probandum non est, quamvis probet ille Disquisitor Politicus d. *Casu XII.* inde enim metuendum, ut, si non sponte, per vim & vim armatam quisque primus occupet digniorem locum. Et quid ambo concurrant, horam, conventi praestitutam, exspectantes? & quid si ambo pugnare parati sit? non nisi caedem & sanguinem redolent haec *euonyma*.

VI. Quod generaliter scribit Zoucheus *de Jure Feudali inter Gentes Part. II. Sect. 2. Q. 17.* subdito non licere, Patria relicta, in alterius Principis Imperium se conferre, atque ita subditi conditionem mutare, generaliter verum non est. Probat id ille exemplo Angli cuiusdam, anno 1571. in Angliam, ex qua effugerat, abducti & ibi poena perduellum damnati. Sed si nulla lex sit, quae prohibeat, omnino licet subditi conditionem mutare, &, veteri exuta, novam induere, paucissimis Populis exceptis, quos indicavi supra L. I. C. 22. Inter hos sunt & Angli, nam & hi defendant, natum in An-

378 QUÆSTIONUM JURIS PUBLICI

glia, Majestatis Anglicæ manere obnoxium, etiam si in alterius Principis Imperio diu moratus sit. Secundum haec Parliamentum Anglicum anno 1644. quosdam Anglos, qui diu in Hollandia habitaverant, quasi & tunc sibi obnoxior, Majestatis damnarunt. Quæsitum quidem est de eo facto, primum apud Ordines Hollandiae, deinde apud Ordines Generales, sed nihil quicquam decretum, nisi ut in Leges moresque Angliae inquireretur (9). Et cum Ordines Generales, gliscente bello Anglo secundo, militibus, natione Scotis, si & tunc ipsis mereri nollent, abeundi potestatem fecissent, quidam remanserunt in Ordinum Generalium fide & stipendio, adversus quoscunque hostes, etiam Anglos, merituri. Hos autem Carolus II. Angliae Rex, publicato Edicto, tanquam rebelles, proscriptis; sed bello cum Anglis compagno, illa ab Ordinibus Generalibus petierunt, operam dare vellent apud Angliae Regem, ut id Edictum revocaretur, sibique liceret jure successionis, aliisque modis, in Anglia receptis, bona ibi acquirere. Annuerunt precibus Ordines Generales 24. Oct. 1668. sed ipsi satis dubii, an quicquam obtineri posset (10). Contra eam sententiam Anglorum, putantium, ut dixi, quoscunque, in Anglia natos, quocunque extra Regnum Anglicum abiverint, semper Imperio Regis Anglii manere subditos, prolixe sece opposuerunt Ordines Generales in Decreto suo 13. Mart. 1688. (11) Sed tamen verissima est illa sententia, si qua fides Camdeno, narranti (12), antiquis Angliae Legibus cautum esse, nemini subdito Reg-

(9) Aitzema L. XXIV. p. 714. & 715.

(10) Idem L. XLVIII. p. 548.

(11) In de Hollandsche Mercurius 1688. p. 186. & seqq.

(12) Annales Angl. in Elizabetta p. m. 47.

no exire, & apud Exteros morari jus fasque esse, nisi Magnati aut Mercatori, idque ex justa causa, & speciali Regis venia. Potest Princeps, si velit, hanc subditis suis legem dicere, sed, si non dixerit, impune licebit abire.

VII. Vellem, ne sic dixissem *impune* licere abire, quamvis enim generaliter liceat subditi conditionem mutare, mutato ex animi sententia domicilio, & in id consentiant tantum non omnes JCti, non tamen id semper licet impune. In §. 41. Pacis inter Regem Hisp. & Ordines Gener. 30. Januar. 1648, expressum est, cuique ex alterius Imperio in alterius Imperium secedere licere, soluto tamen, quod discedentibus impositum est, tributo, *mits beta-lende de regten, daar toe staande,* varia quippe sunt in Belgio & alibi Urbium privilegia, ex quibus illi, qui inde discedunt, aliquam bonorum suorum partem *voor exue of issue*, ut vulgo appellant, tenentur solvere. Quoniam vero aliquid hostile spirant ejusmodi exactiones, saepe Civitates inter se paciscuntur, ne ab utriusque Civibus, domicilium mutantibus, tale quid exigatur; saepe etiam Civitates non aliter eo jure utuntur, quam per modum talionis, ut nempe tantum ab iis, qui ex sua Civitate discedunt, exigant, quantum illi, ad quos proficiuntur, ab illis exigere solent, qui ipsorum Civitatem petunt. Quum autem in §. 19. Foederis inter Electorem Brandenburgicum & Ordines Generales 16. Febr. 1666. convenerit (13), dat van het regt van Issue of Decimatie, 't welk by vertrek van Familien, of verval van herediteiten komt te ontstaan, wederzyts onderda-nen vry en exempt zullen zyn en blyven, gedurende dese Alliantie; quum, inquam, ita convenerit, belle quaeri

pq-

(13) Hollandsche Mercurius 1666. p. 33.

poteſt, an ea ipſo cefſent omnia privilegia, a Gravioni-
bus variis Urbibus, ſive ex liberalitate data, ſive ab hiſ
ſuo aere empta, quibus obtinuerunt, ut a diſcedenti-
bus certum tributum exigere liceret? Difficile diſtu eſt,
ideo praefertim, quod id juſ non competat niſi ex pri-
legiis, quodque ea auferre non fit in potestate Ordinum
vel Generalium, vel etiam Singularium. Quid igitur di-
cemuſ, falvo Foedere, nam ejus fides omnino eſt fervan-
da? mihi quidem ita videretur: ſi Urbes ejusmodi Foe-
dera viderint & probaverint, priuquam inirentur, ta-
cite eas, quod ad hoc tributum, renunciasſe privilegiis
ſuis; ſi non viderint vel probaverint, ab abeuntibus qui-
dem exigi non poſſe, quia prohibet foedus, ſed Ordinum
eſſe, eas Urbes, quarum intereſt, hoc nomine praefare
indemnes.

VIII. Quum anno 1660. ageretur de Rege Angliae in
Hollandia publice excipiendo, vel ab Ordinibus Generali-
bus, vel ab Ordinibus Hollandiae, vel ab utrisque, Ordines
Hollandiae 24. Maj. 1660. Decreto ſuo (14) complexi ſunt,
Ordinibus Generalibus juſ non eſſe ſeſe in ſuo Imperio pree-
cedendi, ſed quia similia quaedam antea in preejudicium
Ordinum Hollandiae acta erant (15), nunc omnino agere-
tur, foli Ordinum Hollandiae Delegati Regem publice ex-
ciperent, in quam rem & Ordines Generales confenſiſſe
memorentur. Fortaffe tamen eſt, quod & pro Ordinibus
Generalibus dici poſſet, nimirum, quum agitur cum exte-
nis Principibus eorumve Legatis, quamvis agatur in Hol-
landia, ſemper tamen agi nomine totius Reipublicae, non
vero nomine alicujus partis, qualis eſt Hollandia. Scio, no-
væ:

(14) *Resolutien van Conſideretie ten tyde van de Wit p. 499. & 500.*

(15) Vide in hanc rem Aitzema L. XLIII. p. 629.

vae orandi formulae, 13. Mart 1663. constitutae, Ordines Hollandiae in Epistula, ad omnes Magistratus scripta 21. Mart. 1663. (¹⁶) hanc quoque rationem reddere, quod absurdum sit in antiqua formula, prius orari pro Ordinibus Generalibus, atque ita iis, non sibi, primas dari in suo Imperio. Optime, sed in precibus publicis agimus cum Deo ter O. M. & is in primis ipsi Principi est conciliandis, & subditos scire oportet, ecquis sit ille Princeps. Cum autem adventum gratulamur externo Principi, oportet, ut tota Respublica gratuletur, atque ita primae videntur dandae iis, qui totam Rempublicam repraesentant, sine respectu alicujus territorii. Forte melius Hollandi a gratulatione Regis abstinuissent, & eam permisissent solis Ordinibus Generalibus. Cum Legati externorum Principum Hagam Batavorum adveniunt, patiuntur Hollandi, ut in suo territorio a solis Ordinum Generalium Delegatis publice recipiantur, nec aliud mihi videtur esse observandum in ipsis Principibus. De nova illa orandi formula prolixè dixi hoc Libro C. 19. ubi & alia quaedam reperies, quae hic pertinent.

IX. An Nobilitas, ab externo Principe concessa, in nostra Civitate profit, JCti quaerunt (¹⁷). Exstat Joannis Bavari Edictum 27. Apr. 1722. (¹⁸) quo Nobilium immunitate uti vetantur, qui Nobilitatem a Rege Romanorum impetraverant, quia, inquit, *ille quidem Nobiles facere, Hollandiae autem Comiti, non consentienti, praejudicare non potest.* Ordines etiam Hollandiae 11. Dec. 1666. decreverunt (¹⁹), & eodem die edixerunt (²⁰),

(¹⁶) *Resolutien van Conferderatie ten tyde van de Wit p. 660.*

(¹⁷) Apud Zoucheum *de Jure Faciali Part. II. Sect. 2. Q. 10.*

(¹⁸) *Van det Hoeve Handwest. Chronyk L. I. C. 10. in fin.*

(¹⁹) *Resolutien van Conferderatie ten tyde van de Wit p. 792. & 793.*

382 QUAESTIONUM JURIS PUBLICI

(²⁰), ne Nobilitas, ab externis Principibus impetrata, quicquam in Hollandia prodesset, vel ad venationem, vel ad aliud quodcunque jus. Summam rationem habet, ut Nobiles Diplomatici, & sic appello, qui ex solo diplomate Nobiles sunt, sollicite distinguuntur a Nobilibus indigenis, & ne illi admittantur ad administrationem Reipublicae, ullasve alias dignitates, quae Nobilibus indigenis competitunt. Si admitterentur, non fumum emerent, ut nunc fere magna insania emunt, qui ab externis Principibus Diplomaticas Nobilitates obtinent, iisque saepe, magno suo dedecore, superbiunt. Non tamen probaverim, quod Elisabetha, Anglorum Regina, dignitatis titulum, quem duobus Anglis Rex Galliarum dederat, itemque alium, ab Imperatore Germanico alii Anglo ob virtutem, collatum, eos uti noluerit (²¹). Et quidni uterentur illis titulis, cum uti liceat citra ullum aliorum praejudicium? miror sane quod non eadem Regina crediderit, Doctorem alicuius Scientiae, in alio Regno creatum, in Anglia Doctorem esse non posse. In Hollandia quidem anno 1656. tentatum, ne quis ullum dignitatis titulum, ab externis Principibus sibi collatum, inconsultis Ordinibus accipere, eoque uti vellet, sed nihil quicquam decretum est (²²). Sane Comitum & Baronum tanta nunc apud nos seges est, ut ipsa copia obruamur, & tamen aequo animo ferimus haec lascivientis Fortunae Iudibria, & quid ad nos, etiam si terrae filii sint! Ceterum a diplomaticis illis Nobilibus longe differunt, qui alibi Nobiles nati in Hollandiam penates suos transtulerant. Hi cum Nobilibus indigenis nec semper eodem jure

(20) *Plac. III. 4. 4. 16.*

(21) *Apud Camdenum Annales Angl. in Elisabetha p. 630. & 679. & 1682.*

(22) *Aitzema L. XXXVI. p. 624.*

jure utuntur, nec semper diverso. Privilegium, quod de redemptione bonorum Nobilibus dederunt Ordines Hollandiae 9. Febr. 1593. (23) idem, quod de Nobilibus Hollandis, statuit, quoque de Nobilibus externis, qui in Hollandia bona Familiamque haberent.

X. Ad quaestionem, simpliciter propositam, utrum nempe damnum, quod Cives direptione aedium suarum passi sunt, a Magistratu sit resarcendum? simpliciter respondet Consultor quidam (24), resarcendum esse. Non intercedo, si qua lex sit, ut est apud Populos quosdam in Oriente, quae fanciat, damnum, rapina uni Civitatum, omnium commune fore. Prudentius alioquin respondent alii (25), tunc demum Magistratum teneri, si, cum direptionem prohibere posset, non prohibuerit. Sed an Magistratus possit prohibere, nec ne, facti quaestio est, quam definire non semper est in facili. Huic autem quaestioni locus non est in his, qui, dum Leges, dum Sententias exsequuntur, plebis odium incurserunt, atque ita direpti sunt, hi enim omni modo indemnes sunt servandi, sive Magistratus culpa intervenerit, sive non intervenerit. Ballivii Rotterdammensis aedes anno 1690. direptae sunt, an, quia officio suo fungebatur, an sua ipsius culpa, non definio; id ausim adfirmare, Magistratum Rotterdammensem omnem tunc lapidem movisse, ut quovis meliori modo motos fluctus componeret, sed frustra, Magistratus igitur dolum & omnem culpam absuisse (26). In ea tamen specie, atque si odium natum esset ex officio functo, Ballivio indemnitas est
praef-

(23) *Plac. II. 5. 2. 10.*

(24) *Confil. B. T. I. 181.*

(25) *Confil. H. T. V. 169.*

(26) *Europische Mercurius 1690. Mense Decembri p. 79. & seqq.*

praestita ex tributo quodam, a Magistratu Civibus indicta. Quum anno 1696. Amsterdami direptae essent aedes cuiusdam, qui Ordinibus Hollandiae suggesserat tributi genus, etiam alibi Gentium frequentatum, sed quod ipse novum jactitabat, direptus Magistratum Amsterdammensem, ut se indemnem praestaret, Amsterdami apud Scabinos convenit, sed ibi repulsus est, ex appellatione autem obtinuit apud Curiam Hollandiae. Cum rursus appellatim esset, apud Senatum Supremum rescissa est Curiae, & probata Amsterdammensium sententia 12. Januar. 1708. Ei judicio ipse Senator interfui, & scio, Senatum non movisse, quod post direptionem gloriose novae rei inventori praemium annum, donec vivaret, fuerit concessum, sed quod, in sedanda seditione, nulla plane Magistratus Amsterdammensis culpa argueretur, & sine culpa Magistratum non teneri etiam Grotius consentit *L. II. de Jure B. & P. C. 17. §. 20. n. 1.* Quin, ut modo dicebam, difficillimum est culpam Magistratus arguere, cum expeditum non sit dicere, ecquid factio opus sit, cum furit bellua multorum capitum. An statim milites armatos immittes in tumultuantem plebem? saepe expedit, sed & saepe integrum Civitatem exponis praesentiissimo periculo. Romanos, Mortalium prudentissimos, non semper vi & vi armata, sed dolo bono saepius fuisse usos ad sedandas seditiones persuadent exempla apud Machiavellum *L. I. Disputat. de Republ. C. 13.* & ab initio leniora quoque remedia praescribit Lipsius *L. VI. Politic. C. 4.* Prudentiae uniuscujusque Magistratus ea res est relinquenda, nam ipsius est pro re nata constituere, ut quam minimum detrimen-
tum capiat Civitas, fidei suae commissa.

FINIS LIBRI SECUNDI.

IN-

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

Accusatorum partibus qui
hodie funguntur, juris-
dictione sua aliis cedere ne-
queunt. pag. 269

Achaei habebant morem pecu-
liarem indicendi belli. 8

— locum pugnae solebant
constituere. ibid.

Achaeorum Respub. in multis
fuit similis Reipub. Foede-
rati Belgii. 208

Acta Principum, etiam qui
imperium invaserunt, sunt
servanda. 374

Acte van Seclusie 4 May 1654.
explicatur. 210

Actio Negotiorum gestorum
hodie etiam porrigitur ad
mercedem. 42

Actiones & Credita hostium,
quae apud nos inveniuntur,
exerto bello recte publican-
tur. 51 seq

— varia hujus rei exempla.
53. seq.

— non recte publicantur,
si convenerit, ut commercia
utrumque sint licita. 56

— recte publicantur, si
Tom. V.

Princeps a subditis exegerit,
quod illi hostibus debebant.

— si non exegerit Princeps,
pace facta reviviscit
jus pristinum Creditoris.
ibid.

Admiraalschappen.

Admiralitatis jurisdictio an ad
piraticam pertineat. 126

Aedificia suburbana an licet
exstruere. 297

— si Lege aliqua sit ve-
titum, subvertere ea licet,
etiam non refuso pretio. ibid.
seq.

Algerienses, Tripolitani, Tu-
netani, & Zaleenses non sunt
piratae. 124

— sunt Civitates, quae cer-
tam sedem, & imperium ha-
bent, & quibuscum nunc
pax est, nunc bellum. ibid.

— ab Hispanis forte pro
justis hostibus non habentur.
125

— qui ab illis capiuntur,
mutant statum & fiunt servi.
124

Alkmaria an, & quo jure ur-
bium jura exerceit. 286

Ccc Ami-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Amicos* hodie sese invicem vocant hostes. 17
Amnestia non recte proficiuntur nisi a summa potestate. 301
Angariatio. 179
Arces exstruere inconsulto Principe an liceat. 288
Arma hostibus subministrare in Subditis etiam hodie capitale est. 75
Affecurare res hostium an licet. 152. seq.
 —— non licet naves mercesque, quas jure belli recte occupamus & publicamus. 157
Qui affecuravit res hostiles, vel *op contrabande goederen*, non tenetur de damno. ibid.
Affecuratio veteribus & Jure Romano plane incognita. 153
 —— hodierna est interpositio fidei suae pro rerum alienarum securitate. ibid.
Affecurationis species est apud Suctionum. 153
Affecuratores, si navis ab hostibus derelicta, vel a domino redempta fuerit, non tenentur in solidum, sed tantum ad damnum datum. 180
Authentica Hodie C. de Judic. est conficta. 303

- B.
- B**arbari in Africa non sunt Piratae. 124.
Barneveldius, Hoogerbeetsius & Grotius quam ob rem sint damnati. 200. 317
 —— obtorto collo ad Judices Delegatos sunt rapti. 363
Belgae servos non habent, nisi in Asia, Africa & America. 20
Belgii Foederati Respub. in multis est similis Reipub. Achaeorum. 208
 —— singulae urbes suo aere olim sua bella gesserunt. 163
 —— pacem fecerunt. 183.
 —— singulis Provinciis an Jus sit belli gerendi. 163.
Bellum quid sit. 1. seq.
 —— recte incipit a vi mutua. 11
 —— ut sit legitimum, indicatio belli non est necessaria. 5. seq.
 —— Hispanorum contra Belgas usque ad annum 1648. gestum, coepit sine indicione. 10. 13
Belli status inter hostes. 17. seq.
 —— status inter non hostes. 67. seq.
Bellum gerere quid sit. 16
 Bello

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Bello subito oriente non solent denunciae Principes hostium subditis , ut res suas , alioquin publicandas , ave-
hant , nisi expresse aliter fuc-
rit pactum. 12. seq. 16
- In Bello omnis vis est justa. 3
— dolo uti licet. 4
— non necessaria est con-
dictio loci pugnae. 8
- Bella non nisi indicta gerunt magnanimi Principes , Po-
pulique. 7. seq.
- Bellorum sine inductione gesto-
rum exempla. 15. seq.
- Bergloon.* 43
- Bona fides tuetur pacta Princi-
pum. 251. 253
- Bona Amicorum , in hostium navibus reperta , an recte pu-
blicentur. 98. seq.
- Jure Francico publi-
cantur. 101. 102
- quid ea de re pactis va-
riarum Gentium fuerit con-
ventum. ibid.
- ex ratione non recte publicantur. ibid.
- Bona hostibus advehi vetita si in confiniis hostium depre-
hendantur , praesumuntur hostibus advehi. 88
- Brabantini illi , qui sub Rege Hispaniarum fuerant , sed deinde a Belgis sunt occupati , anno 1648. & postea frustra petierunt admitti in
- Foedus Utrechtanum. 113
- Bredani 15. Sept. 1579. in Foedus Utrechtanum sunt recepti. ibid.
- Brieven van Naturalisatie* quid praestent. 265
- C**
- Cadavera hostium hodie a victoribus sepeliuntur , vel victis ad sepulturam tra-
duntur. 22. seq.
- Capta quando fiant capientium.
— a Piratis omni modo prioribus dominis sunt restituenda. 113
- Captivi si non redimerentur , saepe sine lytro dimissi. 20
— in territorium Amici , qui simul non est Foederatus , delati , non fiunt liberi. 112
- Captura eorum , qui tempore belli orientis in alterius imperio inveniuntur , hodie raro exercetur. 21
- Castris obfessis nihil quicquam licet advehere , non obfessis licet advehere omnia , quae non sunt contrabanda. 86
- Catechesis Palatina publica om-
nium Foederati Belgii Pro-
vinciarum auctoritate non fuit probata , nisi post annum 1651. 319
- Ccc 2

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- In Censu ineundo descriptio bonorum in Hollandia est improbata. 349
 ——— jurjurando statur. 350
 ——— in Hollandia Subditi quamplurimi olim sunt questi, minus a se exigi quam oportebat. ibid.
 Classis, quae stat in anchoris, eam maris partem, cui incubat, videtur occupasse, quatenus & quamdiu incubat. 343
 Classes integræ navium comparantur praesidiis, arcibus & portibus. ibid.
 Clericis Pontificiis ante pacem Monasteriem libere in Belgio Foederato morari non licuit. 332
 ——— varia circa hanc rem Ordinum Gener. Edicta. ibid.
 ——— quominus Edicta illa exercitantur, non obstat §. 4. pacis Monasteriensis. 30. Jan. 1648. 335. seq.
 ——— quid hac de re actum fuerit in Comitiis Generalibus 1651. 333. seq.
 Comitum potestas in Belgio Foederato non cessavit, nisi post 26. Jul. 1581. 187. seq.
 ——— non abrogata est Foe dare Utrechtano, neque Gandalvensi. 190
 Commercia cessant inter hostes ex natura belli. 23
 ——— mutua in belli indicationibus plerumque prohibentur. ibid. & 24
 ——— aliquando ob utilitatem permittuntur vel in totum, vel quod ad certas merces. ibid.
 ——— si sint permissa, quod ad haec status belli suspenditur. ibid.
Commissievaarders. 131
 ex Consilio non fraudulentio nemo obligatur Reipub. 196
 ——— omne damnum, quod inde quis patitur, a Repub. ei est refaciendum. 197
Continentis imperium finitus, ubi finitur armorum potestas. 59
Contrabanda quaenam dicantur. 79. 85
 ——— ad hostes amicorum advehere non licet, & si deprehendantur, cadunt in commissum. 77
 ——— quae pro mercede transvectionis nautis sunt obligata, si in itinere deprehendantur, non recte a nautis petiuntur merces. 82
Contractum ipso jure nullum implere vel non implere pendet a mera voluntate contrahentium. 157
Crimina remittere solius est Princeps

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Principis. 299
Crimina remittere ex Edicto
Phil. II. de crim. 1570. tan-
tum licet Comiti, Guberna-
tori Generali, vel ei, cui id
specialiter est concessum. 300
— in Hollandia & Ze-
landia soli possunt Ordines. ibid.
— non possunt magistra-
tus. 301
Criminum remissiones olim in
Belgio frequentes. 300
Criminum impunitatem pro-
mittere solius est Principis. 302
— non potest Magistratus
vel Judex. 301. seq.
— potest, si accesserit
prævia Principis auctoritas. 303
— potest, si Lex ali
qua consciis criminum im-
punitatem pollicetur. ibid.
seq.
— si absque his simpli-
citer promiserit, impunita-
tes sunt nullae. 305
— varia hujus rei exem-
pla. ibid. seq.
Curia Hollandiae instituta a
Philippo Burgundo integro
fere seculo post annum 1338. 99
— quo jure deportet ex
ditione Utrechtana. 373

D.

- | | |
|--|-------|
| Damnum, quod Cives di-
reptione aedium suarum
lunt passi, an resarcire te-
neantur Magistratus. | 383 |
| Damni, quod oritur ex cala-
mitate belli, nulla fit resti-
tutio. | 299 |
| Delegati in aliquod Collegium,
tenebunt ibi praerogativam
suorum Delegantium. | 250 |
| Deferendae militiae autores
non minus puniuntur, quam
ipsi desertores. | 158 |
| Differentiae juris Romani inter
res mobiles jure gentium ob-
soleverunt. | 35 |
| qui Dobbela Zeebrieven utantur,
minus delinquunt, quam Pi-
ratae, sed tamen eorum na-
ves & merces publicantur. | |
| Dolus in bello est justus. | 123 |
| Dolo uti metuentis est. | 4 |
| Dominium eminens. | 5 |
| — redditus vocatur Imper-
rium eminens. | 290 |
| — eo sublatto Civitas fal-
va esse nequit. | ibid. |
| — prudentissime eo est
utendum. | 292 |
| — ex eo licet Principi
jus subdito quae situm in rem
sive mobilem sive immobi-
lem auferre. | 291 |

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Dominium ex causa necessitatis & utilitatis eo uti Principi licet. 292
- utilitatis appellatio quousque sit porrigenda. 293
- recte exercetur ad occupanda ea, sine quibus opera publica exstrui non possunt. ibid.
- non recte exercetur ex causa voluptatis vel amoenitatis publicae, vel etiam ex causa solius ornatus publici. 295
- si ex eo res vel actiones subditorum sint occupatae vel destructae, dominis pretium e publico est refaciendum. 296. seqq.
- si qua Lege vetitum sit prope urbem aedificare, aedificia recte destruuntur, etiamnon refuso pretio. 297
- si agri capiantur, ut ex iis fiant munitiones, pretium agrorum est refundendum. 299
- Dominium maris. 339
- Donum munus. v. Legatus.
- collatum in Delegatos, qui repraesentant Principem, an hi Delegati possint capere. 243. seq.
- Drenthani 11. Apr. 1580. in Foedus Utrechtum re-
- cepti, sed postea ab Hispanis occupati, cum hi recessissent, saepe frustra petierunt in foedus admitti. 117
- E.
- E dicto quod quisque juris &c. saepe utuntur Principes. 15
- Eventum nemo tenetur praestare. 196
- Exercitores nayis praedatoriae. v. Navis praedatoria. 307
- Exilii indictiones ubique Gentium cessare, foret utile. 307
- Exilium indicere non potest Judex extra suum territorium. 307. seqq. 373
- nisi Lex fines exilii designet. 312
- varia hac de re Ordinum Hollandiae & Zelandiae Edicta. 313. seq.
- nisi privilegio Principis id fuerit concessum, sive generaliter in omnibus delictis, sive specialiter in atrocioribus & maxime frequentatis. 310
- varia ejus rei exempla in urbibus Hollandiae. ibid. seq.
- Exul, cui reversuro statuta est poena, an possit puniri, si talis.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

tanquam Legatus mittatur ad eum, a quo exulat. 218

F.

Foedus Utrechtum non per omnia hodie observatur. 165

— explicatum. 116. seq. 163. seq. 183. 195. 279. 316. 357. seq. 364. seq.

Foedera inita a Consulibus, qui nullum habebant mandatum, rata habebat Senatus Populusque Romanus 233

— inita intercedente mandato ratihabitione apud Romanos non indigebant, ibid.

Foederatus, si duo communes ipsius Socii bellum gerant adversus exterios, utriusque debet praestare, quod ex foedere debet, si utriusque causa sit justa, si alterius tantum, ei tantum praestabit, cuius causa est justa. 71

— si duo communes ipsius Socii inter se bellum gerant, ei ex foedere satisfacere debet, qui justiorem habet causam. 72

— de justitia vel injustitia causae Socii solus jure Gentium hodierno est arbiter. 73

Frisii. v. Utrecthani.

G.

Gelri jam ante abrogatos Comites primas tenuerunt inter Provincias. 376
Gelria, Transisulania, & Utrechtum anno 1672. occupatae a Francis, jure postliminii redierunt ad Foedus Utrechtum, quo captae exciderant. 119

Gelria post discessum Francorum anno 1674. unum suffragium in Consilio Ordinum Generalium perdidit. ibid.

Groninga urbs cum ab Hispanis occupata Foedere Utrechtano excidisset, ab Orangio Dynasta rursus victa postliminio ad id rediit. 175. 358.

Groningani an subscripterint Foederi Utrechtano. 116

— fere sequuti partes Hispanorum, & post deditiōnem propensiōres aequo insuerunt. ibid.

Grotius v. Barneveldius.

— libros suos de Jure Belle & Pacis non tam scripti de jure Gentium universo, quam potius de moribus, apud plerasque gentes Europaeas receptis. 8

H.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

H.

Hengzels tot Degens recensentur inter contrabanda. 81

Hereditas non acquiritur hosti, et si ex testamento vel ab intestato ei debeatur. 52

Hermolaus Barbarus. 240

Hollandiae Curia quo jure facinorosos suos deportet ex ditione Utrechtana, & contra. 373

Hoogerbeetsius. v. Barneveldius.

Hostis non habet personam standi in Judicio, nisi commercii causa. 56

— si arceatur a judicio, neque adversus hostem, in imperio nostro forte degentem, recte experiemur.

— impetrata securitate per hosticum transeundi, in suo territorio recte capitur. 184

— in hosticum venturus, si securitatem impetravit, an a creditoribus conveniri & detineri possit. ibid.

Hostem aggredi vel perseguiri liceat in Amici territorio vel portu. 58

— in Amici portu, Amici non hostem, non li-

cet aggredi vel capere, & si quis capiat, amici est efficeri, ut capta restituantur vel sumtu suo, vel sumtu ejus, qui dampnum paclus est. 60. seq.

Hostem in mari apero deprehensem dum oppugnamus & caedimus, persequi licet usque ad Amici flumen, stationem, portum, modo parcatur Amici castellis, & hostibus ipsis, si amicorum portus jam subierint. 63.

— in territorio alterius recte persequimur ex recenti praelio fugientem. 65

Hostes hodie sese invicem vocant Amicos. 17

Hostium nomine an etiam Amici nostri intelligentur, qui victi apud hostes sunt, urbe eorum forte occupata. 25

— Actiones & Credita. v. Actiones.

— res mobiles & praefertim naves quando fiant capientium. 26

— in Hostium cadavera quid licet. 22

Hostibus bene precari & salutem dicere, adulatorium est. 17

ad Hostes Amicorum quasnam res non liceat advehere. 75

— an liceat advehere res promiscui usus tam in bello

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- bello quam extra bellum. 76.
 —————— 79
 —————— an ipsa materia rerum prohibitarum quoque sit prohibita. 79. 80
- J.
- J**acchis an debant haberi inter naves bellicas. 344
- Immobilia recuperata postliminio redeunt ad priores dominos, non mobilia. 35
 —————— hostium licet mero jure belli possint vendi, in omni tamen fere Europa eorum tantum fit annotatio, & fiscus fructus capit; finito vero bello pristinis dominis restituuntur. 52
- Immobilium possessio bello quaesita quoisque extendantur. 44 seq.
- Imperium & jurisdictio an possint mandari. 267. seq.
 —————— merum jure Roman. mandari non potuit, mixtum potuit. ibid.
- Imperia pleraque non ex libero Gentium suffragio, sed ex vi originem traxerunt. 206
- Impunitatis promissio. v. Crimina.
- Indictio belli. v. bellum.
 —————— pertinet ad solam humanitatem. 6
 —————— non pendet nisi a voluntate ejus, qui indicit. 7
 —————— apud Achacos & Rot. Tom. V.
- manos in usu. 8
 Indictio belli in usu hodie apud plerasque gentes Europeas. 9
 post Indictionem belli bona hostium vulgo recte capiuntur. 14
- Indictionibus belli solet fere constitui, ut bona hostium apud nos reperta, & bello capta, publicentur. 51
- Induciis pactis ut de deditione agatur, an liceat munitiones reficere. 181
- Instrumenta bellica quamvis advehere non liceat ad utrumque Amicum, recte tamen venduntur utriusque Amico, quamvis inter se hosti. 160
- Judei in Hollandia recepti. 337
- Judices minores in causis minoris momenti, quarum cognitio alioquin pertineret ad Scabinos, non sunt mandatarii Jurisdictionis. 272
- Judicia cessant inter Principes. 7
- Jurisdictio cur jure Rom. potuerit mandari. 267
 —————— moribus patriis mandari nequit. 268
- Jurisdictionem qui hodie exercent, exercent Jurisdictionem Principis, non propriam. 270
- in Jurisdictione delegata quidquid specialiter non est delegatum, pertinet ad Jurisdictionem.

D d d dic-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- | | | |
|--|---|--|
| dictionem ordinariam. 138
Jus generale privilegia anterio-
ra non abrogat. 265
Jus Gentium uno alterove
pacto, quod a consuetudine
recedit, non mutatur. 77
de Jure Gentium ex solis pac-
tis, non addita ratione, pro-
nunciare, saepe est incertum
& periculosum. 110
Jus Justinianaeum vulgo voca-
tur <i>Jus commune.</i> 172
Jus Metropolitanum nihil per-
tinet ad occupationem totius.
47. 49
Jus servitutis competit victori
in victimum. 19
Jus vitae & necis competit vic-
tori in victimum. 18
— in captivos quamvis
obsoleverit, an non tamen
eo uti liceat adversus eos,
qui se obstinatus defende-
rint. 22
Justus hostis quis. 124 | K.
Kapers. 131
Kruyffers. ibid.
L.
L auei poenam in captivos
exercere licet, sed, si
non liceret, ideo exercere,
quia non redimuntur, non | habet rationem. 19. seq.
Latrunculi. 131
Legatio ut pleno jure consistat,
status utrimque libet requi-
ritur. 204
Legatus est mandatarius Prin-
cipis sui. 228
— quod egit contra ar-
canum mandatum, an valeat.
ibid. seq.
— fines mandati egre-
diens non obligat Principem
mandantem. ibid.
— si mittatur ad res fe-
rias agendas, duplex habet
mandatum, publicum & se-
cretum. 229
— quod egit ex gene-
rali mandato, hodie vim
nullam habet, nisi accesserit
rati habitat. 232. seq.
— quae egit secundum
mandata, justi Principis est
probare. 234
— Hispanicus Francicum
praecedit apud Imperato-
rem Germanicum. 247
— superioris Principis,
sed absentis, an praecedat
inferiorem Principem, sed
praesentem. 248. seq.
Legati munere an possit fungi
mulier. 219. seq.
Legato major minorve honor
habetur pro dignitate mit-
tentis, & pro ipsius Legati
varia conditione. 206. 223 |
|--|---|--|
- Le-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Legati quinam recte mittantur. 217
 — non recte mittuntur
 Exules ad eum, a quo exulant, statuta in redeentes poena capitisi. ibid.
 — quare non sint obnoxii potestate ejus, ad quem mittuntur. 204
 — quid rerum olim egerint & nunc agant, cum publice audiuntur. 222
 — antequam publice audiuntur, Codicillos suos, *Credentialen*, edunt. 223
 — cum audiuntur publice, hodie nihil edunt eorum, quae sunt dicturi. 224
 — apud Achaeos non audiabantur, nisi id, de quo apud concilium erant acturi, scripto prius edidissent. ibid.
 — quoniam in loco audiuntur. 225
 — hodie promiscue audiuntur apud viros, mulieres, pueros, puellas, etiam apud infantes. 226
 — cum audiebantur apud Romanos, non intererant feminae. ibid.
 — cum audiebantur, Principes Romani interdum passi sunt, ut filii sui interessent auditorio. ibid.
 — ad Ordines Generales missi cum singulis Pro-
- vinciis, aut cum membris earum recte agunt de Repub. 213
 Legati ejusdem commatis, inter se servant eundem honorem, quem habent Principes. 244
 Legatorum causa non ex jure Civili, sed ex solo jure Gentium est aestimanda. 220
 — instrumentis an idem honor sit habendus, ac ipsis Legatis. 251
 Legatis an donum munus licet accipere. 235
 — advenientibus, comorantibus & abeuntibus olim munera data. ibid.
 — apud Romanos non videtur interdictum fuisse accipere munus. 236
 — non etiam apud Graecos, exceptis solis Corinthiis. ibid.
 — abeuntibus apud plerasque Gentes hodie dantur munera. 237
 — quid hac de re statuerint Ordines Generales Foederati Belgii. ibid. seq.
 — Comitibus aequae ac ipsis Legatis interdictum donum munus accipere. 239
 — ipsa munerum prohibitione etiam prohibitum accipere dignitates. 240
 — quod donatur an retineant

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- tineant sibi , an vertant in
rem Principis , qui eos mi-
fit. 242
- Legatos quinam mittere pos-
sint. 202
- mittere est ejus , qui
sumnum imperium habet.
ibid.
- neque interest , an im-
perium ex justo titulo , an
ex sola injuria originem trax-
erit. 205
- mittere omnes recte pos-
sunt ejus rei ergo , cuius
agenda potestatem habent.
206
- mittere non recte pos-
sunt rebelles ad suum Prin-
cipem. 203
- scissa in factiones Re-
pub. quaenam pars recte
mittat. 205
- mittere vel accipere an
possint singulae Provinciae
Foederati Belgii. v. Provin-
ciae.
- separatim mittere non
potuit aliqua Civitas Conci-
lli Achaici. 208
- exterorum Principum
Nobilibus vel Urbium Ma-
gistratibus in Hollandia pri-
vatim audire licet. 215
- Lege Gabinia cautum , ut ex
K. Febr. usque ad K. Mart.
Legatis Senatus quotidie da-
retur. 223
- Lege Rhodia iis , qui naufra-
gium servarunt , pro merce-
de datur pars naufragii. 43
- Leyes explicatae :
- L. 9. §. 4. ff. de Rer. div. &
qual. 284
- L. 3. ff. de Offic. Praet. 193.
375
- L. 49. §. 1. ff. ad L. Aquil. 296
- L. 37. ff. de Relig. & Sumt.
fun. 348
- L. 11. §. 2. ff. de Publ. & vec-
tig. 96. 104
- L. 3. §. 1. ff. de Acquir. vel
amitt. p. f. 47
- L. 18. §. 4. ff. eod. ibid.
- L. 4. ff. de Colleg. & Corp. 130.
seq.
- L. 5. §. 1. ff. de Captiv. & postr.
rev. 109. seq.
- L. 6. ff. eod. 131
- L. 19. §. 3. ff. eod. 110
- L. 2 pr. ff. de R. J. 219
- L. 14. C. de Oper. publ. 297
- L. 13. C. Theodore. de Infirm. his
quae sub Tyrann. aut Barbar.
gesta sunt. 375
- Leges Caesareae vulgo indigi-
tant Justinianaeas. 172
- Legibus ut pareamus jubet ip-
sa utilitas. 255
- Licitum an ob illicitum publi-
cetur. 92
- Licitae & illicitae merces si
ad eundem dominum perti-
neant , ob continentiam de-
licti recte publicantur , se-
ens

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- cus si ad diversos dominos.
 93. 96
 — quid hac de re Ordines Generales pacti sint & edixerint. ibid. seqq.
 Licitarum mercium Domini si sciverint simpliciter, ab aliis etiam illicitas in navem imponi, simplex scientia non facit locum publicationi. 97
Lieroort Arx. 178
 Loci pugnae conditio non est necessaria in bello. 8
- M.
- M**agister navis praedatoriæ. v. Navis praedatoria.
 Magistratus non ita ut Princeps singulorum bona potest obligare. 282
 Magistratus & Judices omnes hodie sunt quasi Mandatarii jurisdictionis. 269
 — omnes omnium Urbiuum ab Ordinibus habent potestatem creandorum Judicium. 272
 — an teneantur resarcire damnum, quod cives direptione aedium suarum sunt passi. 383
 — omnino indemnes servare debent eos, qui dum Leges vel Sententias
- exsequuntur, sunt direpti. ibid.
 Mandatum Principis an sit licitum vel illicitum, non est privati examinare. 200
 — Principis qui exequitur, non recte punitur. 196
 — Principis qui exequitur, servandus est indemnus. 198
 — generale non semper sufficit, ad omnia ex arbitri Mandatarii agenda. 231
 Mandata Legatorum, v. Legatus.
 Mandatarius Mandatori non imputat, si a Latronibus fuerit spoliatus. 149
 Marium pars terrae proxima ejusdem Imperii censetur, cuius & terra. 344
 Medii in bello. v. non hostes.
 Militare sub extero Principe amico licet. 159
 — hostibus non licet. ibid.
 Militem conducere an liceat in amicae Gentis populo. 158.
 seq.
 — licet, si nulla Lex prohibeat, ne subditi mutent Civitatem. 160
 — licet, nisi in pace convenierit, ne vel uni vel utriusque id facere liceat. 161
 — in Hollandia & reliquo Belgio Foederato non licet

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- licet sine consensu Ordinum. 161
 Milites si forte naves hostiles deprehendant, Judicium Militarium est jurisdictio. 138
 Mobilia postliminio non redent. 35
 — fine distinctione omnia hodie sunt in praeda. 36
 — intra hostium praesidia deducta, si postea deprehendantur, cedunt, recuperatori. ibid.
 — & immobilia jure belli recte occupantur. 26
 Mulieres an Legatorum munere possint fungi. 219
 Mulierum sunt quaedam virtutes propriae, quaedam cum viris communes. 220
 Munitiones an liceat reficere eo tempore, quo de dedicatione tractatur. 181
 Muros exstruere non licet sine Auctoritate Principis. 283
 — labantes reparare licet etiam sine consensu Principis. 284
 — ob rebellionem vel aliam quam causam dejectos reficere non licet sine consensu Principis. 285
- N.
- N**avarchi navibus praedatoriis ab Exercitoribus praepositi, & ad praedandum conducti, an cum aliis Navarchis possint pacisci ne societate praedae, quam separatim sunt capturi. 131. seq.
 Navis non ad praedandum emissa, si praedam tamen ceperit, ad quem ea pertineat. 146
 — quae vehit merces illicitas an recte publicetur. 95. seq.
 — vestigalis fraudandi causa adhibita ex omnium Principum Edictis publicatur. 105
 — amica vehens res hostiles an recte publicetur. 104. seqq. v. Bona.
 — si ob reverentiam aliae navi non praestitam patiatur damnum, ad quem illud pertineat. 345. seq.
 Navis hostilis praeda. v. Praeda.
 Navis praedatoriae Exercitores quoque teneantur de damno injuria dato. 139. seq.
 — Exercitores si Magistrum emiserint ad praedandum, & ille perperam praedetur, tenentur in solidum. 142
 — plane non tenentur, si Magistrum praedatoriae exerci-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- exercendae non praefecerint. praedam. 135
- 145 Navis praedatoriae Magister, si navem Amicorum occupaverit, tenetur de omni damno, quod injuria dedit. 141. seq.
- Navi ab hostibus derelicta vel redempta, pecuniae trajectiae Creditores & Assectatores non tenentur nisi ad damnum datum. 180
- Naves hostium quando fiant capientium. 26. 28. seq.
- Naves in portus hostiles deductae, & postea recuperatae, cedunt recuperatori. 34. 36. seq.
- in portus hostiles nondum deductae an fiant capientium. 37
- quid juris pristinis dominis & recuperatoribus in naves ante deductionem in portus recuperatas. 38. 41
- varia circa hanc rem Ordinum Gener. Edicta. 39. seq.
- Naves Mercatorum si pactum inierint mutuae defensionis, & una ex his hostilem navem ceperit, soli quae cepit, praeda cedit. 136
- Naves praedatoriae duae plures si navem hostilem persequantur & una cepерit, ea sola quae cepit, accipit 145 Navibus quando & quorum praestanda sit reverentia. 339. seq.
- in mari proximo, quod subest dominio alicuius Principis, est praestanda. 340
- in mari extero, quod in nullius Principis dominio est, ut praestetur reverentia, male exigitur. ibid. seq.
- nisi pactis id fuerit conventum. 341
- quid ea de re convenierit inter Anglos & Ordines Foederati Belgii. 342. seq.
- Nitrum an recensendum inter contrabanda. 81
- Nobilitas ab externo Principe concessa an in nostra Civitate prosit. 381
- Non hostescensentur, qui neutrarum partium sunt, nec ex foedere his illisve quicquam debent. 67
- quid facere vel non facere possint inter duos hostes. ibid.
- omni modo debent cavere, ne se bello interponant, neque uni parti aequiores sint vel iniquiores, quam alteri. 68. seq.
- ex causa aequiore huic

INDEX RERUM ET VERBORUM.

huic vel illi non debent plus
minusve tribuere vel negare.

69. seq.

Non hostes uni parti non debent
ope consilio adesse, nec mi-
lite auxiliari juvare. 69

— non debent advehere
alterutri ea, quae bello ge-
rendo sunt necessaria. 70

— frumentum advehere
possunt, excepta obsidionis
famisve causa. 74

Non hostes Foederati & Socii.
v. Foederati.

O.

Obsecsis urbibus, castris,
portubus an quicquam
liceat advehere. 83. seq.
Occupatio bellica quando mu-
tet dominium. 26. seq.

— an ad eam requiratur
spatium 24. horarum. 27

Opera publica sumtu publico
exstruere non licet sine auc-
toritate Principis. 283

— reficere licet etiam sine
consensu Principis. 284

Orandi nova formula 13. Mart
1663. ab Ordinibus Hollan-
diae Ecclesiasticis optimo
jure fuit praescripta. 325
seq.

— frustra a ceteris Pro-
vinciis & ab Ecclesiasticis
fuit oppugnata. 326. seq.

Orandi novam formulam in
Hollandia hodie sequuntur
omnes Ecclesiastae. 331

Ordines Generales Foederati
Belgii curant commune bo-
num totius Reipubl. 166

— non praecedunt Ordini-
nes singularum Provinciarum
in iis, quae ad singulas Pro-
vincias pertinent. 328

— praecedunt in iis, quae
ad commune bonum Foede-
rati Belgii pertinent, vel cum
agatur nomine totius Reipub.
ibid. 380

— paucis exceptis agunt
ex mandato Ordinum, quos
repraefentant. 328

— an recte se immisceant
controversiis singularum Pro-
vinciarum. 357. seq.

— quid ea de re fuerit sta-
tutum Fodere Utrechtano.
ibid. seq.

— exceptis controversiis
inter Groninganos & Om-
melandenses, de aliis in aliis
Provinciis non judicarunt,
nisi qua Arbitri ex compro-
missio partium, vel ex dele-
gatione. 361. seq.

— judicare tamen de iis
possunt, si partes judicio se
subtrahant. 362

Ordines Hollandiae tempore
Gravionum potuerunt Leges
ferre. 192

Or-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Ordinibus Hollandiae tam inter se, quam cum aliarum Provinciarum Ordinibus consulere & coire licuit ex Legibus Mariae Burgundae. 191
- idem ex privilegio Joannis Bavarii licuit, modo ne contra Gravionem consulerent. ibid.
- P.
- Pacis Monasteriensis §. 4. interpretatio. 338. seq
- ad Pacem Principem invitum cogere est iniquum. 185
- Pacta Principum tuetur bona fides. 251
- publica an semper & ubique sint servanda. 252
- sunt servanda, licet Reipub. sint damnosa. 255
- inita cum populo aliquo subsistunt, licet mutetur forma regiminis. 372
- Pactis publicis an insint tacitae exceptiones, & quae. 252
- Parte occupata in bello, etiam totum occupatur & possideretur, si is sit occupantis animus. 46. seq.
- nisi alias illius totius partem possideat. ibid. seq.
- Peregrini an sint arcendi ab administratione Reipublicae. 259
- quominus admoveantur Reipub. non prohibet Tom. V.
- ratio. 260
- ex ipsa ratione soli arcendi sunt ii, a quibus metus est, ne salus publica periclitetur. 261
- ne muneribus adhibentur, variis Comitum privilegiis impetrarunt Hollandi & Zelandi. ibid.
- a Dignitatibus possunt arceri, quaesita vero dignitas non recte iis adimitur. 263
- illi recte arcentur, qui inde oriundi sunt, ubi Nostrates lege vel more Civitatis arcentur. 264
- qui Hollandois non excludunt, neque in Hollandia ab honoribus excluduntur. ibid.
- Perfidia in bello est illicita. 4
- Philippus II. legitimus Comes Hollandiae fuit habitus usque ad annum 1581. 188
- post annum 1564. usque ad annum 1581. varias Leges edidit. 192. seq.
- quae gessit ad abdicationem usque, ut firma sint, exigit utilitas publica. 193. seq.
- Philippo II. imperium non est abrogatum nec Foedere Utrechtano, nec Gandavensi. 190
- Pignus si publicetur, Jus pigne noris E e

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- noris non extinguitur. 82
 — non liberat debitorum, nisi sufficerit. 145
 Pignoris jus salvum est Creditori Amico, si res pignorata capiatur. 179
 Piratae sunt qui nullius Principis auctoritate terra marive rapiunt. 122
 — sint, nec ne, inde pender, an mandatum praedandi habuerint, nec ne. 128
 — non sunt Algerienses. &c. v. Algerienses.
 — Dominium non mutant. 113
 Piratae exteri, si nostros sint depredati & capiantur, apud nostros recte accusari & puniri possunt. 127
 — qui exteros sunt depredati, an apud nos deprehensi a nobis judicari possint. 128
 Piratarum poena vulgaris est capitibus bonorumque supplicium. 129
 — more nonnulli puniuntur ob atrocitatem criminum, licet proprie Piratae non sint. 123
 a Piratis capta postliminio non egent. 121
 Piraticae judicium an fori communis sit, an vero ad Admiralitates pertineat. 126
 Pontifi cii. v. Clerici.
- Populus idem manet, licet mutetur forma regiminis. 372
 in Portu Amici an liceat capere vel aggredi hostem, Amici non hostem. v. Hostes.
 Portibus hostilibus, navibus cinctis & obseisis, nihil quicquam licet advehere. 87
 — quid hac de re decreverint Ordines Gener. 26. Jun. 1630. ibid. seq.
 Possessio immobilium. v. Immobilia.
 Postliminium etiam in integris populis locum habet. 115
 — eo non egent capita a Piratis. 121
 Praecedentiae jus inter Legatos. 244. seq.
 — inter Principes. 245
 — de eo saepe certatum inter Reges Franciae & Hispaniae. 246
 — de eo qui disputant, si in unum locum debeant convenire, quomodo hoc terminandum. 377
 Praeda navis hostilis, quam una pluresve naves ceperunt, aliis, cum caperetur, praesentibus, an sit communis. 134
 — capta a navi, non emissa ad praedandum, cui sit adjudicanda. 147. seq.
 — casu obvia & a privatis capta fit capientium. 152
 Prae-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Praedae maritima & terrestris judicium ad quos pertineat. 137
- Praedatoria privata. 130. seq.
— ad jus publicum pertinet. ibid.
— qui eam exercent, non sunt Piratae. 131
- Praedatoriam nemo recte exercet sine Codicillis Ordinum Generalium vel Praefecti Maris. 151
- ex Praepositione sola tabernae navisque Domini tenentur, si, quod actum est, ad causam praepositionis pertineat, non ad aliam, ab ea diversam. 143
- Princeps non ultra obligatur, quam in quantum facere potest. 257
- Principi imperium abrogare, & adversus Praesides ab ipso constitutos bellum gerere, multum inter se differunt. 189
- Principum, etiam qui imperium invaserunt, acta & pacta sunt servanda. 374
- Privilegia restringere non licet, nisi in modum poenae. 311
- Procurati olim apud Belgas dicebantur Mandata Legatorum. 228
- Provinciae cujusque Foederati Belgii Membra an recte Le-
- gatos accipient. 212. seq.
si Provincia aliqua cessum sit, omnibus ejus partibus ccessum videri. 51
- Provinciae singulae Foederati Belgii habent Jus summae potestatis. 166
- sunt sui juris, nisi quatenus ei renuntiarunt Foedere Utrechtano. 209
- an habeant Jus belli gerendi. 163. seq.
- quominus liceat, non obstat. §. 9. Foed. Utrecht. 168
- modo ne ipsae male agendo causam bello praebeuerint. 169
- an cogi possint ad suscipiendum bellum pro causa communi. 170
- an habeant jus repräsentiarum. 171. 176
- pro causa sua recte pacem & foedera pangunt. 183
- recte Legatos mittunt pro causa sua, non pro causa communi. 209
- ex Foedere Utrechtano in causa religionis sunt sui juris. v. Religio. 364
- Provinciae dissentientes quibus modis sint conciliandi. 364
- quid ea de re statutum fuerit Foedere Utrechtano. ibid. seq.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- Provinciae quid actum fuerit
hac de re in Comitiis ex-
traordinariis Ordinum Gen.
1651. habitis. 366. seq.
- nulla certa forma con-
ciliationis unanimi consensu
unquam fuit probata vel
recepta. 370. seq.
- R.**
- R**atio status. 186
Rebelles jure Legatorum
non utuntur. 204
- Redemptio & Detentio Capti-
vorum non inducit servitu-
tem. 19
- Redimendi captivos necessitas
interdum pactis exprimitur,
constituta certa pecunia. 20
- Regio una a viatore occupata,
nulla ab alio retenta, totius
imperii tribuit possessionem.
48
- Religio absque Decretis homi-
num consistere nullo modo
potest. 319
- Religionis libertas ex Foedere
Utrechtano fuit penes singu-
las Provincias Foederati Bel-
gii. 316
- ea duravit adhuc an-
no 1618. & 1619. 317
- ante annum 1651. nul-
la Lex aut Pactio interces-
sit inter Ordines Genera-
les, ut solus Calvinianis-
mus doceretur in Belgio Foe-
derato. 318
- Synodi Dordrechta-
nae, quae solum probavit
Calvinianismum, Decreta
omnia ab omnibus Provin-
ciis non statim fuerunt pro-
bata. 319
- Decreto 27. Jan. 1651.
Ordines Generales promise-
runt, singulos in sua Pro-
vincia religionem reforma-
tam defensuros. 321
- An una Provincia
recte tucatur Calvinianis-
mum, nec ne, non pendet
ab arbitrio ceterorum Foe-
deratorum. 322
- modus defendendi Cal-
vinianismi d. Decreto cui-
que Provinciae relictus. 323
- singulae Provinciae
salvo d. Decreto, in causis
Ecclesiasticis manserunt sui
juris. ibid. 326
- in Religionis causa nulla ab
omnibus Provinciis potestas
data est Ordinibus Genera-
libus. 324
- Remissio Criminum. v. Crimi-
na.
- Repetitio ejus, quod ademum
est, an sit necessaria ante
introitum belli. 9
- Represaliae Romanis incogni-
tae. 171
- non conceduntur ni-
si

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- | | |
|---|--|
| si palam denegata justitia. | Res an & quousque recuperantur cedant. |
| 172. seq. | 35 |
| Repressaliae locum non habent nisi in pace. | quas Res ad hostes advehere non liceat. v. Hostes. |
| Repressalias Pactis restringi est utile. | a Reipublicae administrationem arcendi sint peregrini. v. Peregrini. |
| — in totum tolli non patitur improbitas. | Retorsio adversus quem obtineat. |
| — concedere solius est Principis. | 32 |
| — in Belgio olim singulae urbes exercebant. | Reyd Arx in agro Juliensi. |
| — recte exercent singulae Provinciae Belgii Foederati in causa sua, non in causa communi. | 181 |
| 76. seq. | Romanorum Leges non tantum, sed & mores receperunt plerique populi Europaci. |
| Res hostiles in Amicorum navibus repertae recte publicantur. | 9 |
| Res ab hostibus captae, in non hostis imperium delatae, an postliminio revertantur. | S. |
| 109 | |
| — revertuntur delatae in imperium Amici, qui simul est socius & foederatus. | S acrorum cura pertinet ad eum, qui summae rerum praefest. |
| ibid. seq. | 315 |
| — non revertuntur, si tantum delatae sunt in imperium Amici, qui non est foederatus. | Salpeter an recensendum inter contrabanda. |
| 112 | 81 |
| Res hostium an liceat assecurare. v. Assecurare. | Salutem dicere hosti adulatorium est. |
| — an apud communes Amicos liceat vendere. | 17 |
| 114 | ad Seditiones sedandas non semper vi armata, sed dolo bono saepius usi fuerunt Romani. |
| Res mobiles, & praesertim naves hostium, quando fiant capientium. | 384 |
| 26. seq. | Senatoribus utriusque Curiae in Hollandia interdictum est donum munus accipere. |
| | 239 |
| | Servitutis definitio, a JCris tradita, continet & ipsam conditionem & statum servitutis. |
| | 3 |
| | in |

INDEX RERUM ET VERBORUM.

in Servitatem redigendi hostes
consuetudo moribus plera-
rumque gentium exolevit.

19. 20

Servituti successit captivorum,
qui ejusdem gradus & con-
ditionis sunt, permutatio,
vel detentio, donec rediman-
tur. 20

Servitute possumus uti adver-
sus eos, qui ea in nos utun-
tur. ibid

Societas privatorum ad prea-
dandum. 130

Sociorum quae sunt, hostibus
erepta postliminio redeunt.
120. seq.

Subditus Foederati & Socii
nostris, ad communem hostem
commeans, an a nobis puni-
ri, vel res ejus publicari pos-
sint. 83

Subditi conditionem exuere &
Civitatem mutare licet pro-
lubitu, nisi Lex specialis id
prohibeat. 158. 377.

— ex privilegiis multa-
rum urbium in Belgio & ali-
bi, discedentes tenentur sol-
vere certam bonorum suo-
rum partem. 379

Syndici & Scribae, quos Ma-
gistratus Urbium Comitiis
Hollandiae interesse volunt,
si origine sint peregrini, sem-
per arcentur. 263. 265

Synodi Dordrechtanae omnia

Decreta ab omnibus Provin-
ciis non statim fuerunt pro-
bata. 319

T.

Tabacum an habendum in-
ter Contrabanda. 81.
seq.

Territorium communis Amici
valet ad prohibendam vim,
quae ibi inchoatur, non va-
let ad inhibendam, quae ex-
tra territorium inchoata, in
ipso continuatur. 66

in Territorio Amici recte per-
sequimur hostem fugientem.
65

Thesaurus a Mercenario, dum
terrā fodiebat, inventus
ipſi acquiritur. 149

Toparchae nec judicant, nec
ipſi judicare possunt. 269

— variis olim in Belgio ex-
ercuerunt criminum remissio-
nem. 300

Transilania anno 1665. ab
Episcopo Monasteriensi vas-
tata, perperam Ordinum
Generalium Consiliarii cen-
suerunt, rationem esse haben-
dam exactiōnum ob redem-
ta incendia. 182

Tributa. 347. v. Vectigalia.
— ab iis in Hollandia
immunia sunt loca publica.

350
Tri-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Tributa an eodem jure utantur loca publica, quae ad Ordines Generales pertinent.

qui sub *Tuitione* sunt, Principem suum, quamvis nostrum hostem, possunt juvare, sed non armis virisque, quibus contra nos bellum gerat. 73.

74

V.

Vaginae an pro armis & instrumentis bellicis sint habendae. 80

Vectigal quod solvit templis, praeter quae Cadavera, alibi sepelienda vehuntur, est improbum. 348

Vectigalia & Tributa. 347
— immensa sunt in Belgio Foederato. ibid.

— Romae non Principi duntaxat, sed & Civitatibus nonnullis pendebantur. 352

— in Hollandia non modo Ordinibus, sed & Civitatibus quibusdam solvuntur, quibus id Privilegiis datum est. ibid.

— an Urbibus vel Pagis ad aes alienum dissolvendum, vel ad alias impensas necessarias, liceat imperare Civibus vel Incolis suis. 353

Vectigalium & Tributorum re-

missiones ob casum inopinatum concessae apud Romanos.

— id maxime locum habet, si damnum obveniat ex ipsius Locatoris parte. 354
ibid.

— quid juris sit in Hollandia. ibid. seq.

Vestes olim Legatis pro munieribus datae. 242

Victori in vietum omnia licent. 18. seq.

— competit jus vitae & necis. ibid.

— competit jus servitutis. ibid.

Vis omnis in bello est licita. 3

Universitas non tenetur ob delictum membra illius. 276
ob Universitatis debitum singula membra non possunt conveniri & condemnari.

— contrarium tamen saepe obtinuit, & ferri potest, si fiat ob salutem publicam. 275

— variis Privilegiis ei injuriae occursum. 278

— possunt conveniri & condemnari singula membra, si Princeps ex dominio eminenti, vel Magistratus ex privilegio Principis, vel adhibito omnium Membrorum consensu, Cives suos nominatim

INDEX RERUM ET VERBORUM.

- | | |
|--|--|
| <p>natum obligaverit. 279</p> <p>— — tale quid pactum
§. 23. Foed. Utrecht.
ibid.</p> <p>— — idem placuit Constitutione speciali 13. Jul. 1579. si Ordines tributa, in quae consensere, non suffrant. ibid.</p> <p>— — d. Constit. hodie non observatur. 280</p> <p>— — Magistratus non ita ut Princeps singulorum bona potest obligare. 282</p> <p>ad Universitatem non pertinet, quod debent singuli. 276</p> <p>Urbe ab hoste capta, an etiam ager captus sit censendus. 45</p> <p>— — varia circa hanc rem Ordinum Gener. Edicta. 49. 50</p> <p>Urbium & Oppidorum moenia extendere Magistratibus non licet sine consensu Principis. 286</p> <p>— — variis Hollandiae urbibus, impetratis Privilegiis, id fuit concessum. 287</p> <p>Urbibus obsessis nihil quicquam</p> | <p>licet advehere, sive contrabandum sit, sive non. 83. seq.</p> <p>— — quae advehuntur, ad minimum publicantur, & in eos qui subvehunt, poena capitii vel mitiori animadvertisit. 85. seq.</p> <p>Urbes, Arces, Ditiones alienas invadere vel reunere non licet. 179</p> <p>Urbes munire inconsulto & in vita Principe non licet. 288</p> <p>— — qui muniunt vel extendent, tenentur pretium solvere fundorum, quos occupaverunt, ex arbitrio boni viri. 289</p> <p>Vrybuiters. 131</p> <p><i>Uti possidetis, ita possideatis</i>, in causis publicis expedit. 206</p> <p>Utrechtani & Frisiæ saepe disputarunt de praerogativa Ordinis. 376</p> <p>Utrechtana Curia quo jure fascinorosos suos deportet ex tota Hollandia. 373</p> <p>Utrechtanum Foedus. v. Foedus.</p> |
|--|--|

INDEX EDICTORUM,

Quae allegantur & explicantur.

E DICTUM <i>Philippi II.</i>	20 <i>Jan.</i>	1570. 123.
<i>eiusd.</i>	9 <i>Mart.</i>	1580. <i>ibid.</i>
<i>Ordinum Holl.</i>	1 <i>Apr.</i>	1580. 190. <i>seq.</i>
<i>Gener.</i>	26 <i>Jul.</i>	1581. 187. 203. 376.
<i>Holl.</i>	27 <i>Jul.</i>	1584. 23. <i>seq.</i>
<i>Holl.</i>	17 <i>Apr.</i>	1585. 313.
<i>Comitis Leycestrani.</i>	4 <i>Apr.</i>	11. 23. 89. 137.
<i>eiusd.</i>	9 <i>Jul.</i>	{ 1586. 55.
<i>eiusd.</i>	18 <i>Jul.</i>	{ 11.
<i>eiusd.</i>	4 <i>Aug.</i>	{ <i>ibid.</i> 23. 89.
<i>Ordin. Holl.</i>	<i>ult. Mart.</i>	1583. 277.
<i>Gener.</i>	1 <i>Oct.</i>	1589. 18.
<i>Gener.</i>	26 <i>Sept.</i>	1590. 74.
<i>Holl.</i>	29 <i>Jan.</i>	1591. 54.
<i>Holl.</i>	16 <i>Dec.</i>	1595. 313.
<i>Gener.</i>	2 <i>Apr.</i>	1599. 52. 154.
<i>Holl.</i>	4 <i>Mart.</i>	1600. 10. 14. 38.
<i>Zeland.</i>	19 <i>Jul.</i>	1607. 314.
<i>Gener.</i>	9 <i>Apr.</i>	{ 1609. 49.
<i>Gener.</i>	20 <i>Aug.</i>	{ <i>ibid.</i>
<i>Gener.</i>	22 <i>Dec.</i>	1610. 51.
<i>Gener.</i>	25 <i>Aug.</i>	1611. 129.
<i>Gener.</i>	1 <i>Aug.</i>	{ 1612. 161.
<i>Gener.</i>	15 <i>Aug.</i>	{ 360.
<i>Holl.</i>	19 <i>Mart.</i>	{ 1614. 304. 313.
<i>Zeland.</i>	16 & 17 <i>Sept.</i>	{ 314.
<i>Gener.</i>	26 <i>Febr.</i>	332.
<i>Gener.</i>	1 <i>Apr.</i>	139. 154.
<i>Gener.</i>	13 <i>Maj.</i>	{ 1622. 155.
<i>Gener.</i>	4 <i>Jun.</i>	{ 136.
<i>Gener. Consil.</i>	9 <i>Aug.</i>	{ 86.
<i>Gener.</i>	16 <i>Dec.</i>	{ 162.
<i>Gener. Consil.</i>	2 <i>Sept.</i>	{ 1624. 86.
<i>Gener.</i>	4 & 22 <i>Jul.</i>	{ 1625. 39.
<i>Gener.</i>	3 <i>Mart.</i>	{ 1627. 162.
<i>Gener.</i>	24 <i>Jul.</i>	{ 122.
<i>Gener.</i>	8 <i>Sept.</i>	{ 1629. 332.

INDEX EDICTORUM.

EDICTUM Ordinum Gener.	30	<i>Jan.</i>	50.
<i>Holl.</i>	4	<i>Mart.</i>	
<i>Gener.</i>	3	<i>Aug.</i>	50.
<i>Gener.</i>	13	<i>Maj.</i>	
<i>Gener.</i>	23	<i>Maj.</i>	50.
<i>Gener.</i>	11	<i>Mart.</i>	
<i>Gener.</i>	8	<i>Mart.</i>	49.
<i>Gener.</i>	20	<i>Fun.</i>	
<i>Gener.</i>	2	<i>Febr.</i>	50.
<i>Gener. Consil.</i>	23	<i>Febr.</i>	
<i>Gener. Consil.</i>	21	<i>Mart.</i>	86.
<i>Gener.</i>	2	<i>Dec.</i>	
<i>Gener.</i>	3	<i>Mart.</i>	1640. 68.
<i>Gener. Consil.</i>	17	<i>Mart.</i>	73.
<i>Gener.</i>	30	<i>Aug.</i>	
<i>Gener.</i>	24	<i>Dec.</i>	1642. 50.
<i>Gener.</i>	1	<i>Sept.</i>	1643. 39.
<i>Gener.</i>	8	<i>Febr.</i>	ibid.
<i>Gener. Consil.</i>	14	<i>Aug.</i>	
<i>Gener.</i>	30	<i>Mart.</i>	162.
<i>Gener. Consil.</i>	18	<i>Jul.</i>	
<i>Gener.</i>	21	<i>Jul.</i>	1648. 162.
<i>Gener.</i>	14	<i>Apr.</i>	1649. 332. seq.
<i>Holl.</i>	12	<i>Maj.</i>	
<i>Gener.</i>	27	<i>Maj.</i>	1650. 162.
<i>Gener.</i>	10	<i>Aug.</i>	1651. 237.
<i>Gener.</i>	20	<i>Jan.</i>	162.
<i>Holl.</i>	27	<i>Mart.</i>	
<i>Gener.</i>	5	<i>Dec.</i>	75. 78. 80. 88.
<i>Gener.</i>	26	<i>Apr.</i>	
<i>Holl.</i>	16	<i>Mart.</i>	1653. 122.
<i>Holl.</i>	26	<i>Apr.</i>	1656. 162.
<i>Gener.</i>	31	<i>Dec.</i>	
<i>Gener.</i>	29	<i>Jan.</i>	15. 56.
<i>Gener.</i>	18	<i>Mart.</i>	
<i>Gener.</i>	9	<i>Aug.</i>	75. 80. 123. 156.
<i>Gener.</i>	7	<i>Nov.</i>	122.
<i>Gener.</i>	19	<i>Apr.</i>	
<i>Gener.</i>	17	<i>Jan.</i>	162.
<i>Gener.</i>	9	<i>Mart.</i>	
<i>Gener.</i>	19	<i>Mart.</i>	114.
<i>Gener.</i>	29	<i>Nov.</i>	
<i>Holl.</i>	23	<i>Maj.</i>	1659. 39.
			7.
			115.
			1665. 156.
			75. 78. 88. 94.
			1666. 33.
			1669. 258.

EDIC.

INDEX EDICTORUM.

EDICTUM Ordinum Gener.	14 Apr.	} 1672.	75. 78. 89.
Gener.	15 Dec.		74.
Gener.	11 Apr.	} 1673.	75. 78. 89.
Gener.	6 Jul.		53.
Gener.	4 Apr.	} 1674.	21.
Gener.	23 Jul.		159.
Gener.	4 Apr.	1676.	160.
Gener.	13 Apr.	1677.	40.
Holl.	22 Jul.	1677.	43.
Gener.	9 Mart.	1689.	80. 156.
Gener.	24 Febr.	1696.	19. 123.
Gener.	28 Jul.	1705.	78.
Holl.	31 Jul.	} 1730.	314.
Holl.	21 Sept.		338.

INDEX DECRETORUM,

Quae allegantur & explicantur.

D ECRETUM Ord. Hollandiae.	9 Apr.	1582. 193.
Holl.	14 Jun.	1583. 317. seq.
Holl.	17 Jul.	1584. 183.
Generalium.	2 Oct.	1590. 55. seq.
Holl.	29 Oct.	1590. ibid.
Holl.	5 Aug.	1617. 317. seq.
Frisiae.	10 Jul.	1622. 320.
Gener.	9 Aug.	1624. 140.
Gener.	22 Oct.	1627. ibid. 143.
Gener.	26 Jun.	1630. 29. 87. seq.
Gener.	28 Jan.	1631. 134. seq.
Holl.	19 Apr.	1631. 264.
Gener.	7 Oct.	1636. 242.
Gener.	21 & 30 Sept.	1639. 61.
Gener.	26 Nov.	1639. 225.
Gener.	9 Nov.	1640. 278.
Gener.	18 Aug.	1650. 369.
Gener.	27 Jan.	1651. 321. 334.
Gener.	2 Febr.	1651. 242.
Holl.	10 Aug.	1651. 232. 238. seq.
Gener.	10 Oct.	1652. 63.
Holl.	2 Aug.	1653. 212.
Holl.	4 Maj.	1654. 210.
Frisiae.	24 Jun.	1654. 211.
Holl.	18 Sept.	1654. 361.
Gener.	7 Febr.	1657. 225.
Gener.	6 Maj.	1657. 15.
Holl.	12 Jul.	1657. 337.
Holl.	16 Jul.	1657. 277.
Holl.	21 Sept.	1657. 361.
Holl.	1 Apr.	351.
Holl.	14 Mart.	{ 1658. 263.
Gener.	19 Aug.	223.
Zelandiae.	21 Mart.	{ 1659. 177.
Gener.	19 Apr.	{ 1659. 119.
Holl.	24 Maj.	{ 1660. 380.
Holl.	9 Oct.	{ 1660. 239. 241.
Holl.	3 Mart.	1661. 305.

De.

INDEX DECRETORUM.

DECRETUM Ordin.	Holl.	17 Jul.	270.
	Holl.	28 Sept.	1662. 215.
	Holl.	9 Dec.	201.
	Holl.	13 Mart.	325.
	Holl.	2 Maj.	280. 368.
	Gener.	12 Maj.	243.
	Frisiae.	23 Maj.	ibid.
	Holl.	17 Jul.	1663. 327. 331.
	Holl.	19 Jul.	197.
	Holl.	3 Aug.	ibid.
	Holl.	18 Sept.	329.
	Holl.	9 Oct.	165.
	Holl.	20 Dec.	202.
	Holl.	14 Mart.	1664. 330.
	Gener.	5 Febr.	119.
	Holl.	7 Oct.	1666. 331.
	Gener.	27 Nov.	28. seq.
	Holl.	11 Dec.	381.
	Holl.	25 Eebr.	1667. 350.
	Holl.	5 Aug.	351.
	Holl.	27 Sept.	1668. 303.
	Holl.	16 Maj.	1670. 340.
	Holl.	25 Sept.	324.
	Gener.	3 Jan.	1671. 340.
	Holl.	14 Apr.	1673. 138.
	Gener.	20 Apr.	1674. 119. 376.
	Holl.	22 Jan.	1675. 349.
	Gener.	29 Apr.	239.
	Gener.	23 Oct.	1676. 37. 120.
	Gener.	13 Mart.	1688. 378.
	Holl.	15 Mart.	1724. 306.
	Holl.	28 Jan.	1725. ibid.
	Holl.	14 Maj.	1727. ibid.
	Holl.	22 Jul.	1729. ibid.
	Holl.	28 Nov.	1733. 304.
	Gener.	18 Mart.	1735. 243.
	Holl.	1 Jul.	1735. 304.

INDEX PACTORUM,

Quae allegantur & explicantur.


- PACTUM inter Henricum VII. Angliae Regem, & Philippum Archid.
Austriæ 24 Febr. 1495. Pag. 372
- inter Hispanos & Belgas Foederatos 9 Apr. 1609. 172
- inter Imperat. Maroci & Ordines Generales 24 Sept. 1610.
113. 174
- inter Regem Lysitaniae & Ordines Generales 12 Jun. 1641.
120
- de Navigatione inter Regem Hispaniae & Ordines Gener.
4 Febr. 1648. 94
- inter Regem Hispaniae & Ordines Gener. 30 Jan. 1648.
172. 332. seq. 379
- Marinum inter Regem Hispaniae & Ordines Gener. 17 Dec.
1650. 78. 85. 94. 101
- inter Rempubl. Angliae & Ordines Generales. 5 Apr. 1654.
60. 173. seq. 342
- inter Anglos & Lysitanos. 1654. 77
- Marinum inter Regem Franciae & Civitates Hanseaticas.
10 Maj. 1655. 104
- inter Regem Lysitaniae & Ordines Generales. 6 Aug. 1661.
12. 77. 113. 121
- Commercii inter Regem Franciae & Ordines Generales. 27
Apr. 1662. 12. 60. 78. 85. 94. 101. 107. 113. 128. 174
- inter Regem Angliae & Ordines Generales 14 Sept. 1662.
60. 113. seq. 342
- inter Electorem Brandenburg. & Ordines Generales. 16 Febr.
1666. 379
- inter Reges Angliae, Sueciae, & Ordines Generales. 23
Jan. 1667. 185
- inter Regem Sueciae & Ordines Generales. 28 Jul. 1667.
235
- inter Regem Angliae & Ordines Generales. 31 Jul. 1667.
13. 60. 174. 342
- inter Reges Angliae & Daniae. 31 Jul. 1667. 58
- inter Reges Angliae & Hispaniae. 21. Sept. 1667. ibid.
- inter Regem Angliae & Ordines Generales. 19 Febr. 1674.
345
- Marinum inter Regem Angliae & Ordines Generales. 1 Dec.
1674. 78. 80. 82. 85. 94. seq. 102
- PAC-


INDEX PACTORUM.


- PACTUM *Commercii inter Regem Sueciae & Ordines Generales.* 26 Nov.
1675. *ibid.*
- Commercii inter Regem Franciae & Ordines Generales.* 10
Aug. 1678. 13. 60. 78. 85. 95. 101. 107.
- inter Reges Hispaniae & Franciae.* 27 Sept. 1678. 54. 58
- Marinum inter Regem Sueciae & Ordines Generales.* 12 Oct.
1679. 78. 80. 85. 95. 102
- Commercii inter Regem Franciae & Ordines Generales.* 20
Sept. 1697. 13. 60. 95. 101. 107
- Commercii inter Regem Franciae & Ordines Generales.* 11
Apr. 1713. *ibid.*


F I N I S.











BYNKE R.
TURIS
ROMAN.

T. V.